7/7/198

S.1301A



DECURIÆ
ANNORUM TERTIÆ
MISCELLANEORUM
MEDICO-PHYSICORUM
Sive
EPHEMERIDUM
GERMANICARUM
ANNUS QUINTUS
ET
SEXTUS.

S. 1301. A. 12

MISCELLANEA CURIOSA
SIVE
EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM
GERMANICARUM
ACADEMIÆ
CÆSAREO-LEOPOLDINÆ
NATURÆ CURIOSORUM
DECURIÆ III.
ANNUS QUINTUS
ET
SEXTUS
Anni M DC XCVII. & XCVIII.

Continens

Celeberrimorum Virorum

Tum Medicorum tum aliorum Eruditorum in Germania & extra eam

OBSERVATIONES
Medico-Phyſico-Anatomico-Botanico-Mathematicas

Cum

APPENDICE
&

Privilegio Sac. Cæſ. Majeſtatis.

Edita ſumtibus Academiæ 1700.
Francofurti & Lipſiæ,
apud Johannem Michaelem Rüdiger, & Engelbertum Streck.
Literis Chriſtiani Sigismundi Frobergii.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


NATURÆ
CÆSAREO-LEOPOLDINÆ
CURIOSORUM ACADEMIÆ
NUNQUAM OTIOSUS
Ephemeridum Physico-Medicarum
Decadis III.
ANNUS V & VI.

SACRATISSIMO ATQ; INVICTISSIMO

IMPERATORI

LEOPOLDO

MAXIMO,

GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ,
CROATIÆ, SLAVONIÆ, BULGARIÆ, BOSNIÆ,
SERVIÆ ET RASCIÆ

REGI,

PRIMARIO DUCI AUSTRIÆ,
BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, LUCELBURGI, STYRIÆ,
CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, WIRTEMBERGÆ, TECCÆ
AC SILESIARUM

DUCI

PRINCIPI SUEVIÆ,
COMITI
BURGOVIÆ, MORAVIÆ ET LUSATIÆ
LIMITANEO,
HABSPURGI, PFIRETARUM, KYBURGI ET GORITIÆ
PRINCIPALI,
ET PROVINCIALI ALSATIÆ,
DYNASTÆ HENETORUM, PORTENAVIÆ ET SALINARUM,
PIO, JUSTO, FELICI,
PATRI PATRIÆ,
MUSARUM FUGIENTIUM STATORI,
ORBE PACATO
SÆCULUM NOVUM CONDENTI GRATULATUR,
ET EX VETERI FORMULA ADPLAUDIT
DEVOTISSIMA MAJESTATI EJUS
ACADEMIA NATURÆ CURIOSORUM.

FELI-

FELICISSIME

LEOPOLDE
AVGVSTE

DEUS TE SERVET.

DEUS

TE NOBIS DEDIT.

DEUS TE CONSERVET.

FELICEM TE JUDICIO OMNIUM.

FELICEM TERRARUM ORBEM

TUO IMPERIO.

HÆC VOTA MULTIS JAM ELABENTIS SÆCULI ANNIS NUNCUPATA ALACRES HODIE LÆTIQUE PERSOLVIMUS NOVAQ. RURSUS INEUNTIBUS MELIORUM TEMPORUM AUSPICIIS SUSCIPIMUS DEUM SUPPLICI VOCE PRECATI UT TE REMQ. PUBLICAM EA BENIGNITATE PORRO TUEATUR QUAM SUPER MAXIMAS PLURIMASQVE VIRTUTES PRÆCIPUA SANCTITATE CONSEQUI MERVISTI.

SERE-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


pag. 1.
Fig. 1.
Joosie.

CÆSAREO-LEOPOLDINÆ ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM DECURIÆ TERTIÆ ANNUS QUINTUS & SEXTUS.

OBSERVATIO I.

Dn. D. ANDREÆ CLEYERI. De Plantis Japonenſibus Jooſie.

DUÆ ſpecies graminis medicati Japonenſium, quod ipſis vernaculâ linguâ dicitur Jooſie, Curioſis Botanophilis hîc propono: copioſè ad altitudinem unius pedis hîc in Inſula Japan & circumjacentibus Inſulis creſcit, folia habet arundinacea & difficulter tractabilia, quoniam ex utroque latere acutè ſcindunt, prima ſpecies ſimpliciter dicitur Jooſie,

altera verò à nonnullis Jooſie Mutzuba, quoniam ſex foliis in circulo quaſi naſcentibus eſt dotata, nam Mutzuba Japonenſibus ſenarium numerum denotat. Incolæ ſolent folia cum aceto trita recentibus vulneribus imponere, quæ optimè ſic præparata conſolidant. Radices verò cum ſaccharô & aquâ coquunt & colaturam contra dolores dorſi & calculum ſummo cum levamine affatim bibunt.

Fig. I.

OBSERVATIO II.

Dn. D. ANDREÆ CLEYERI.

De

Arboribus Japonenſibus Gummy & Fiaku Schyqua.

GUmmy arbor eſt procera & aculeata, foliis gaudens obſcurè viridibus, fructibus verò parvis luteis, ſaporis acidiuſculi quidem, ſed grati. Incolæ & inprimis pueri, fructus avidè appetunt, lignum quod maximè durum eſt, ad varia utenſilia adhibetur.

Fiaku Schyqua arbor eſt itidem procera, folia habet glabra & ſplendida, flores pulchrè rubentes adinſtar caryophyllorum ſylveſtrium, copioſè & ultra centum in uno ramo progerminantes, ideoque incolis Fiaku Schyqua dicitur, quod idem eſt ac ſi diceres centum & decem flores; ſi arbor hæc digitis ſcalpatur, ita tremere ſolet, ac ſi à terræ motu concutiatur, hinc pueri hâc arbore ludere & tempus terere ſolent, reverâ enim miraculum naturæ eſt;

lignum


pag. 2.
Gummij.
Fig. II.
Fiaku.
Schijqua.
Fig. III.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


Fig. IV.
Tſingkikæ.
Fig. V.
Fanadazibana.

lignum hujus arboris quod maximè durum eſt, ad trabes & ædificandum multum adhibetur.

Fig. II. & III.

OBSERVATIO III.

Dn. D. ANDREÆ CLEYERI.

De

Fruticibus Japonenſibus Tsingkikoe & Fanadatzibana.

TSingkikoe frutex eſt humilis & parvus, copiosè in campis, in quibus Japonenſes oryzam plantant & colunt, creſcit, quanquam etiam ab incolis in hortis ſtudiosè colitur, & ante ædes, aut circa templa ipſorum plantatur, flores habet luteos multis ſeminibus intus dotatos, foliis verò gaudet laciniatis.

Fanadatzibana itidem frutex eſt humilis, ad altitudinem unius pedis fermè adſurgens, folia habet foliis ceraſi ſimilia, ſemen ſive baccæ quæ pulchrè rubent, nucleum intus gerunt purpureum, folia hyeme decidunt, ineunte vere autem rurſus progerminant, radix quæ fibroſa eſt, optimum de ſe ſpirat odorem, nullius tamen nec baccæ nec radices in medicina ſunt uſûs.

Fig. IV. & V.

(*Berolino Noribergam* miſſa Menſe Januar. A.1697. per Excellentiſs. Dn. D.Mentzelium.

❧)o(❧

OBSERVATIO IV.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De

Oſſe monſtroſo è cantho ſiniſtro oculi dextri protuberante.

VArios hinc inde aberrantis â recto tramite Naturæ abortus hactenus Ephemerides noſtræ Curioſorum oculis expoſuerunt, quibus ſi & hoc monſtrum ſeptenni parturitione natum addatur, non ingratum fore confido. Concepit oſſeam hanc, non Minervam formoſam, ſed informem quidem, miræ tamen ſtructuræ compagem, non Jovis alicujus cerebrum, ſed fœminæ, ſervitio ac manuum operâ vitam tolerantis, donec ad eas ob dolores capitis continuos & vix tolerabiles inepta, ſtipem oſtiatim petere cogeretur, triginta trium annorum, egenæ, ruri haud procul Jutroboco in pago Wittvvrietzen dicto natæ, cui Barbaræ Schmids nomen, frons, in centro ſui & ſubſtantiæ, externam inter & internam laminam intermediæ, medulloſæ poris, unde ſucceſſive ſummis & continuis cum doloribus incrementum ſumſit paulatinum, donec tandem poſt annum augmenti quintum, perrupto, quod obſtiterat, oſſeo repagulo ac ſemoto e loco ſuo & oppreſſo oculo, ſicque per biennium intercepto ejus uſu, ſimulque viſu, e cantho oculi illius dextri majori prope naſum, cum inſigni faciei deformitate erumperet, ac ad nativitatem gradu plusquam teſtudineo properaret. Viderat, ut ita loquar, ultra annum jam lucem, unde caput ejus ab aëris ambientis, quæ oſſium denudatorum natura, injuriis ſqua-

ſqualidum & caſtaneum ferè colorem contraxerat, (id quod in Schemate umbrâ quaſi & litera A notatum) & e cantho prædicto immenſùm dilatato prominens, obſtetricantem, quæ illud in lucem protraheret, non ſine maximo geſtantis deſiderio, manum expectabat: donec caſu illa in ædes Magnifici atque Generoſiſſimi Domini Sylveſtri de Danckelmann Cameræ Electoralis quondam Præſidis venerandi, eleemoſynam petitura intraſſet, ibique miſeriam ſuam domeſticis expoſitura inter illos, qui cum Medicis encheireſi adminiſtrandæ, ac ſanitati optimi illius & deſideratiſſimi Magnatis, nunc inter cœlites verſantis, procurandæ invigilabat, Chirurgum ſatis hic loci celebrem, & artis ſuæ eximiè peritum, Danielem Dietze inveniſſet. Qui re accuratius examinatâ & perſpectâ, illam domum ſuam deducens, præparato priùs corpore, geminâ inciſione in fronte factâ, dextrè admodum, â ſpongioſâ illâ frontis medullâ ac interiori, cui adnatum, tabulâ ſeparatum, tandem felici auſu ac niſu hunc partum infelicem, molam dixeris an molem, perinde eſt, aut moleculam potiùs, ſed pro loci incongruâ valde capacitate, nimis grandem ac moleſtam, extraxit. Cujus Schema quâ ſuperiorem ejus partem ad ipſum archetypum, quantâ, inter concatenatos, qui me urgent, labores, fieri diligentiâ & fide potuit, delineatum his adjunxi; ſubſtantia ei eſt oſſea durisſima, ejusdem ſi non majoris, quæ oſſi temporum, quod petroſum dicitur & auditus organum conſtituit, duritiei, albisſimum ubique ferè (niſi ubi extra oculi canthum prominuit, quâ parte, ut ſupra dictum ab aëris injuriis ê flavo quadantenus nigreſcit) & glabrum, præcipue tamen parte ſuperiori

riori & exteriori & quibusdam locis, ubi inferior ſcabra compages, quâ procul dubio interiori frontis laminæ cohæſit, ſuperficie glabrâ incruſtata, uti ſub litera C. Superior & convexa facies variis anfractibus, foveolis, ac tuberculis diſtincta ac ſiniſtro latere, hiatu quaſi aliquo, litera B. deſignato, diſterminata, firmiſſimè tamen in dextro latere cohærens ac continua, ſub hiatu illo duas ſibi invicem oppoſitas occultat cryptas, quarum una poſticam verſus ſinuata, internè alba atque ſcabra, altera ad anticam vergens, minori ſcabritie ſed colori ſubcœruleo tincta apparet. Reliqua inferior ejus pars, qua, uti videtur, tabulæ inferiori frontis fuit agglutinatum os hoc adventitium, poſteriora verſus tota ferè ſcabra, limbo ſolum aliquo à ſuperiori deſcendente & marginem ambiente, glabro, quo ſcabities illa quaſi obvallatur, excepto. Anteriora verſus à ſupradicto hiatu totum os, tam ſupernè quam infernè læve eſt, & pollice prægrandi craſſius. Pondus ipſi duarum eſt unciarum civilium cum drachmis tribus. Præcipuum quod conſideratione dignum foret ac inquiſitione circa hunc hoſpitem peregrinum & ſummè certè moleſtum, eſt: (1) Quæ illius acceſſus occaſio. (2.) Unde prima illius rudimenta? ac deinceps (3.) tam ingens incrementum? quo utrumque frontis parietem findere, dislocare ac è ſitu ſuo naturali, una cum oculo, omnibusque ejus partibus, ſumma cum vi exturbare potuerit? (4.) Unde ipſi prævalidus iſte accreſcendi vigor, cui ne firmiſſimi quidem oſſis robur reſiſtere valuit. Quoad primum, dolendus Chirurgi, curæ potius, quam cauſæ & occaſioni indagandæ incumbentis neglectus.

quo-

Fig. VII.

Fig. VI.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

quoad ſecundum, ſuſpicor præternaturalem laticis uti cum Helmontio appellare libet, coagulabilis, quâcunque tandem de causâ ſuſcitatum affluxum, ſeu Catarrhum prima rudimenta dediſſe. Qua tertium & quartum, nullum dubium continuatum hujus affluxus appulſum materiam huic incremento ſuppeditaſſe, & quidem ad coagulationem aliquatenus prædispoſitam, id eſt, aptam quæ in corpus compingi potuerit; ſed, tantæ duritiei? tanti roboris? quo oſſa diſtringere potis? Unde illa tam valida, an coagulatio? an congelatio? Num à calore? Nullus medio in fronte, ab ambiente ſemper temperato, tantus, qui in eam duritiem coagulando ſufficeret, calor, nec quod congelando par eſſet frigus, incremento hyemem non expectante, ſed & medio æſtatis æſtu pomœria ſua promovente. Unde ille tam vehemens non motus, ſed violentus impetus? Næ hic ſiſtitur meo ſaltem arbitratu, ac deficit, ut ſenſus, ſic ratio, imo intellectus omnis. Nullus hîc cylindrorum aëreorum incumbentium ponderi locus, in centro nimirum frontis oſſeo, aëris, aliàs ſibi atque hoſpiti huic peregrino contranitenti ſpontè cedentis, oneri ſuſtinendo & pari & aſſueto. Nec Ætheris incomprehenſa mihi hactenus agilitas & ſubtilitas, qua penetrandi potius, omnium etiam duriſſimorum & ſolidiſſimorum corporum fulminis inſtar poros virtute, quam propulſando promovendi tanta cum violentia pellere putatur, hîc ſufficit. Num ab Archæo aut Spiritu quodam inſito oſſifico aut petrifico, ut loqui quidam ſolent? Sed illum planè exauctoratum haud ita pridem nova exploſit Philoſophia, quo jure aut injuria ipſa viderit, neque enim litem illam

meam

meam facio. Num à primo rerum omnium Authore aut motore petenda, ceu univerſali quodam agente in corporibus, nuperrimè diſputatione quâdam inaugurali prædicto Archæo ſurrogato? Hujus equidem à nutu, ut omnia noſtra, ſic & vitæ ſanitatis compendia atque diſpendia pendere firmiſſimè ſum perſuaſus, ſed non immediatè. Nimirum in hanc Potentiæ ac Bonitatis infinitæ abyſſum cujuscunque haud illicò obvii phænomeni occaſione demergi, vix congruum, tutum aut conſultum Philoſopho, niſi ignorantiæ ſuæ doctæ quærat, aut ſubeat Aſylum, quam fateri ſatius & honeſtius in hac imperfectionis humanæ notoriâ conſcientiâ, quàm diſſimulare velle, aut nebula quadam offuſa aut fuco tegere.

Fig. VI.

OBSERVATIO V.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De

Carcinomate horrendo, dextrum fœminæ brachium occupante, & in immenſam molem adaugente.

STatuarii cujusdam Berolinenſis, cui nomen Jacob Füchtner / uxor triginta circiter & ſeptem annorum, melancholicæ conſtitutionis, tuberculum aliquod parvum ac doloroſum in mamma dextra prope papillam ſentiens, ambubajarum conſilio aliquantisper uſa, dum augeri magis quàm minui & tumorem & dolores animadverteret, Chirurgum primo, dein & illius ſvaſu Medicum aliàs non inexpertum

con-

conſulit. Hi quod ſuberat veriti, internis partim, partim externis, per cuniculos potius, quam aperto Marte hoſtem illum aggredi conſultiùs rati, plurima tam interna ad ſubtrahendum fomitem & nutrimentum, quàm externa ad demulcendum illius furorem lenimenta, adminiſtrant, ſicque per annum integrum in ſtatu tolerabili palliativâ iſtâ curâ conſervant. Verùm longæ illius moræ impatiens, neglecto ſalutari illorum conſilio, ac derelicto tam Medico, quàm tandem etiam Chirurgo, rurſus circumforaneos quoscunque ac Agyrtas obvios implorans in deteriorem magis magisq; ſtatum redigitur, latens hactenus in apricum tandem erumpit & exulceratur cancer, mammaque in immenſam adtollitur molem. Nihilo tamen & tot damnis & periculis cautior, in manus temerarii cujusdam uroſcopi & empirici ſuburbani profeſſione Pharmacopœi, cui nomen Lentze, ſemet tradit. Is ſubitaneam ipſi opem prolixis verbis, Thraſonum illorum more pollicitus, enecto & extirpato funditus cancro, ſpiritum ulceri aperto corroſivum (num Antimonii butyrum? an Vitrioli oleum aut aliud aliquod Arſenicale fuerit, incertum, extorqueri enim ab illo etiam in judicium vocato non potuit,) guttatim inſtillat, quo poſt excitatos immanes dolores & cruciatus intolerabiles, cardialgias, Leipothymias, Syncopas, & id genus innumera horrenda ſymptomata, mamma quidem exulcerata turgens brevi concidit ac contrahitur, at brachium dextrum cum ipsâ etiam manu in tumorem ſextuplo, imo octuplo naturali brachio majorem, ad ipſam usque axillam, cum dolore noctes diesque inceſſanter excruciante adtollitur. Ægra

verò in deplorato hoc ſtatu â tortore illo potius, quàm Medico derelicta, dum ubivis opem quærit, in Italum, Baronem ſe venditantem de Almerigo, ac ſympatheticam Medicinam crepantem, illâque ingenti exacto & accepto præmio, plurimos ad plures mittentem, ſicque hactenus è Scyllâ in Charybdim, incidit. Ille etenim per integrum trimeſtre, ſuis illam largiſſimis promiſſis & nugis de die in diem, noctes diesque ejulantem lactando, aureos pollicitus montes, aureos quidem aliquot, præmii nimirum pacto promiſſi dimidium tulit, verùm levaminis ne gry quidem attulit, ſed re peſſimè ac perfidè plane acta, poſtquam à plurimis ex eadem cauſa repetundarum actione conveniretur, ad reſtitutionem acceptorum turpem, bis, nimirum 4. Mart. ac 23. Aprilis 1695. condemnatus, clam tandem fugâ ſibi conſuluit, ac imaniter afflictam hanc nocturna inter diurnaque tormenta, febri inſuper Fabulæ ſuæ Sympatheticæ miſerâ cataſtrophe, quaſi in gehennâ quadam flagrantem deſtituit. Adducor ad Iliada hæc malorum à Medico illorum conſcio, non medendi, conclamatum enim jam erat de ſalute illius recuperandâ, ſed monſtrum illud brachii videndi ergò, ac intimâ animi commotione ac commiſeratione tactus, in extrema illa calamitate dubium, quam nullum remedium ſatius eſſe reputans, Magnatem quendam inter noſtrates magni nominis ac valde curioſum, quem magno pretio arcana quædam ê Belgio redemiſſe nôram, adeo, illique fœminæ illius miſeræ calamitoſum ſtatum expono, ſimulque addo, occaſionem hac ratione ipſi offerri, non modo arcanorum ſuorum effectum explorandi, ſed & Chriſtianæ Charitatis à no-

nobis requiſitæ opus inſigne præſtandi. Miſertus itaque miſerrimæ hujus Baro ille Illuſtris, cujus nomen ſilentio venerari cogor, miſſis ipſi per me, quas à Chymico quodam inſigni Germano, cujus & ipſe nomen ſilentio tegebat, pilulis quibusdam exiguis, Univerſalibus ipſi dictis, quantum autem conjectura è quantitate, colore ac odore colligere datum, opiatis ſulphure quodam minerali ditatis, internè quavis nocte uſurpandis inſigne doloris ac febris levamen; vino autem Panacæâ, uti ipſi audiebat, externâ, ab eodem Medico communicatâ, medicato, imbutis ſpleniis lineis, brachium ter de die involvendo ac fovendo aliquale tumoris illius horrendi decrementum aliquamdiu conciliavit, ut taliter aliquo modo ſublevata & tranquillior majori patientia ac animi conſtantia ad beatam analyſin animam diſponere, atque tot menſium inquietudines, agrypnia, inedia ac innumeris tormentorum myriadibus excruciata & planè conſumta, exhauſtis viribus euthanaſia placida tandem Creatori ſuo reddere potuerit.

Fig. VII.

(Berolino - Noribergam Menſe Januario Anno 1697. miſſæ.)

OBSERVATIO VI.

Dn. D. THEODORI ZWINGERI.

De Scabie cum Tremore, ad Tabem inclinante.

VIR Annor. 36. victu ſalſo & muriatico diu multumque uſus, tandem Ann. 1686. ſcabioſus eſt redditus; cumque vinorum generoſorum potui ſimul indulgeret, etiam manuum tremore, imo & tabe affligi

 cœpit.

cœpit. Huic ergo præſcriptum eſt ante omnia *purgans* ex *Mercur. dulc. Extract. pilul. Angelicar. cum Bezoard. miner. & Ol. deſtill. Amarac.* Poſtmodum venæ ſectio adminiſtrata, ſanguisque eductus viſcido ſalſo obtectus ſero, tandem juxta *Decoctum Lignorum*, etiam ſequens *Electuarium* eſt ordinatum: ℞. *Conſerv. fumar.* ℥iß. *Conſerv. Beton.* ℥ß. *Cort. citr. cond.* ℥iiß. *ſpec. diatr. ſantal. Antimon. diaph. Pulv. viper. ppt. ana* ℈ij. *Salis Abſynth. Vitriol. Mart. ana* ℈j. *Syrup. de fumar. q. ſ.* M. F. Electuar. ad form. opiat. D. ad Oll. Mane ac veſp. ſumatur magnitudo nuciſtæ, ſuperbibendo ſemper vel *Infuſ. fol. Thee*, aut *Beton.* vel juſculum *Herbis Agrimon. Ulmariæ, Borrag. Pimpinell. Naſturt. aquat. &c.* alteratum. Atque ſic repetitis aliquoties præſcriptis remediis, ſimul ac meo ſuaſu pota Sualbacenſium Acidularum copiâ, perfecte ſanitati reſtitutus fuit.

OBSERVATIO VII.
Dn. D. THEODORI ZWINGERI.
De Pudendorum Muliebrium excoriatione & intumeſcentiâ poſt difficilem Partum.

NON raró accidit malum, quod non ita pridem in primipara obſervavi, cui in partu ſuo difficili, ſive à nimiâ vaginæ diſtenſione, ſive ab imperitia obſtetricantis fœminæ, labia pudendorum ipſaque ſimul vagina ita lacerata, excoriata, atque tumida eſt reddita, ut non inſignem tantum ardorem atque dolorem perſentiret, ſed & urinam, quam retinere po-

poterat, cum labore non niſi & difficultate excerneret, alias à Febri immunis. Hanc ego curavi intra triduum vel quatriduum, intùs quidem exhibendo *Eboris pp.* & *Antimon. diaph.* aliquot doſes, mane ac veſp. cum *Aqu. deſtill. ſcabioſ. ulmar. & card. bened.* extùs autem utendo ſequenti partim linimento, partim fomento. ℞. *Herb. Card. bened. Brunell. Flor. Chamomill. Sambuc. ana mß. Oliban.* ʒiß. *Croc.* ℈j. *inciſ. & contus. coque in ſ. q. vini albi & colatur.* ℥vj. *adde Eſſent. Myrrh.* ʒij. *Spirit. vin. Camphorat.* ℥ß. *D. ad vitr.* Quod ſubinde calefiat & cum linteis ei immerſis atque expreſſis applicetur calidè. ℞. *Butyr. recent. Aqu. Roſar. & Solan. lot. & cocti donec nullum amplius edat ſtrepitum,* ʒvj. *Trajiciatur per linteum, adde Album. Ovor. Mucilag. Gumm. Tragac. Aqu. Roſ. fact. ana* ʒj. *M. F. Linimentum tepidè inungendum.* Quibus remediis ab omni malo liberata fuit.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. THEODORI ZWINGERI.

De Anatome Viri Aſthmate & Hydrope Thoracis defuncti.

SEnator quidam civitatis noſtræ quinquaginta circiter ætatis annorum, qui antehac Aſthmate, ac poſtmodum etiam Gonagrâ laboravit, à quâ cachecticus evaſit; cum Ann. 1683. rurſus de Aſthmate conquerebatur, & aliquâ Tuſſi ſiccâ, citra ſitim & Anorexiam ſimul affligebatur, ſequens Remedium à Medico præſcriptum uſurpavit: ℞. *Milleped. pp. gr. XII. Flor. Sulphur. gr. III. Salis volat. ſuccin.*

gr. II. Extract. Enul. gr. III. Terebinth. Venet. q.ſ. F. l. a. Pilulæ n. XII. Inauratæ ſumantur pro doſi, & pluries quidem ante Cœnam cum *Aquâ Hyſſopi.* Cochleatim verò ſequens Mixtura frequenter propinabatur: ℞. *Aqu. Fœnicul.* ℥iß. *Card. bened. Cerefol. ana* ℥j. *Spiritus Salis armoniac. Urinos.* ʒß. *Eſſent. Croc.* ℈j. *Ol. Still. Chamomill. gut. IV. Tabell. manus Chriſt. ſimpl.* ℥ß. *Miſc. ad Vitr.* His nihil operantibus, cùm Urinæ ſimùl parciùs profluerent, Julepos ſæpiùs exhibuimus diureticos: ℞. *Aqu. Vincetox. Heder. terreſtr. Fœnicul. Syrup. de 5. Radic. ana* ʒvj *Spirit. Salis Armon. Urinos* ℈ß. *Ocul. 69. pp.* ℈j. *Diaph. Martial. gr. VI. Sacch. Roſ. Tabul.* ʒiß. *M. D. ad Vitr.* pro doſi. Cum nec his aliquid efficeretur, ac varii ſimul interea Clyſteres fruſtra infunderentur; ad cauſam mali antecedentem eradicandam, Abdomine ſimul exiſtente tumido ac tenſo, bis ſequens *purgans* præſcriptum fuit: ℞. *Mercur. dulc. gr. XVIII. Extract. pilul. cochiar.* ℈ß. *Magiſter Jalapp. gr. III. Ol. ſtillat. ſuccin. q. ſ.* M. F. Pilulæ n. XV. ſumantur pro doſi. Ab hiſce Pilulis quinquies ſine incommodo dejecit.

Cùm autem pulſus interea ſemper maneret parvus, languidus, & inæqualis, Reſpiratio difficilis ſine ſtertore, Tuſſis frequens, quâ ſaltem excreabat ſpumoſa & ſeroſa, quæ nunquam mutabantur, & ſaltem à motu pectoris in Tracheas ſtillabant, Dolor tenſivus & angens in Hypochondrio ſiniſtro, interdum toto Abdomine vexaret; Abdomen ipſum valdè diſtentum, velut in Tympanitide appareret; totum Affectum in nervoſo ſimul genere exiſtere conjecimus, membranas nimirum, ipſaque etiam Inteſtina ſpasmodicè diſtendentem. Quare præſcri-

ſcripſimus *Pulverem Stomachicum Birckmanni*, cum *Pulvere Marchion.* aliquoties ſumendum. Sed inſimul, dum Aſthma etiam valdè urgeret, *Clyſterem ex Infuſione Hippenteror. & Florum Chamomill. cum Melle Mercurial.* denuo præſcribi, & aliquoties infundi curavimus. Pilulas quoque ſequentes plurium dierum ſpatio mane ac veſperi conceſſimus: ℞. *Lapid. prunell. gr. XXIIII. Cinnab. Nativ. opt. gr. XI. Extract. Caſtor. gr. IV. Ol. ſtillat. Chamomill. gutt. X. cum Terebinth. F. l. a. Pilulæ gr. XXX. Doſis n. X.* Ab uſu horum Remediorum viſus fuit Affectus imminutus: ſed rediere ſymptomata; hinc m. ac v. *Spiritus Salis dulcis*, cum *Eſſentia Croci & Tinctura Caſtorei cum Spirit. Cochlear. parat. ad XII. guttas pro doſi cum Aqu. Veronic. & Syrupo de Betonicâ* dabatur; Clyſteres reiterabantur, ſimul & Abdomen ſequenti Epithemate calidè fovebatur. ℞. *Lapid. prunell.* ℥j. *Flor. Salis ammoniac.* ℥ß. *ſolve in Spiritus Vini boni & non dephlegmati* ℔j. *& d. ad Vitr.* Quibus per aliquot. dies ſedulo uſurpatis, cùm nihilominus Abdominis dolor angeret, Aſthma vexaret, Urina parcius profflueret, ſequentia fuerunt ordinata ℞. *Ocul. Cancr. præp. gr. X. Lapid. prunell. gr. IIII. Vitrioli Martis. gr. V.* M. F. pulv. ſubtil. d. ad Chart. ſumatur m. ac v. pro doſi. Alternis noctibus quoque pilulas ſeqq. ſumpſit: ℞. *Extract. Gentian. Vin. e. toxic. Theriac. Cœleſt. ana gr. V. cum Oleo ſtillat. ſuccin. f. pilulæ n. VIII.* dentur pro doſi. Inde melius aliquandiu Urinæ proſfluebant, ſpesque ſalutis aliqua comparebet, brevi tamen durans. Redibat enim reſpirandi difficultas, cùm gravitate & anguſtiâ præcordiorum, poſt ſumtum inprimis cibum, dolore

ten-

tenſivo & punctorio in Abdomine. Uſurpata hinc ſunt varia *Martialia*, *Jovialia*, & *Antiſpaſmodica*, quæ ad rem pertinere videbantur; omnia in caſſum. Tandem auctis magis quàm imminutis ſymptomatibus conqueſtus eſt de intolerabili lateris ſiniſtri dolore pungitivo, cum ſanguinis primum, hinc & ſeri ſanguinei per Tuſſim rejectione, quatridui autem ſpacio hiſce durantibus, ſomno obſopitus Æger placidè expiravit.

Cùm variorum Morborum atque Symptomatum Syndrome in Ægro notata fuiſſet, conceſſerunt Hæredes apertionem cadaveris ejusque interaneorum luſtrationem. In ſectione igitur deprehendimus Panniculum carnoſum & adipoſum duorum transverſorum digitorum craſſitiem æquantem; Omentum & Meſenterium copioſa pinguedine obſita erant, ita quidem, ut in Meſenterio neque glandulæ neque vaſa conſpicerentur. Lobuli pinguedinis ſex transverſorum digitorum longitudine aderant circa inteſtinum cœcum, & ſub Pancreate, quod totum etiam Pinguedini immerſum erat. Inteſtina flatibus diſtenta fuerunt: Ventriculus in Hypochondria ſiniſtra ab Hepate præter naturam grandi protruſus jacuit: Ipſum Hepar variegati erat coloris, punctis ex albo rubeſcentibus, & aliis obſcuris inter ſe mixtis: Veſicula fellis pinguedine obvoluta, bilem aquoſam continuit: Lien naturali magnitudine figurâ & craſſitie comparebat. Ex totâ Abdominis pinguedine parum ſeri ſtillavit, ita ut tumor ventris ſoli pinguedini adſcribendus eſſet, diſtentisque à flatibus inteſtinis, cùm nec in Abdominis cavo, nec in inteſtinorum canali vel guttula ſeri aquoſi

repe-

reperiretur. Aperto Thorace, in ſiniſtrâ ejus cavitate ſerum ſanguineum ultra 20. uncias reperiebatur, in dextro latere ne guttula quidem. Pulmo interea totus apparuit ſideratus, corruptus, nigris undique, lividisque maculis conſperſus, conſiſtentiæ quoque præter naturam ſolidioris, nullibi tamen adnatus. Pericardium copioſiſſimâ pinguedine obtectum exiſtebat; ipſum quoque Cor largo adipe circa baſin obſitum, molis erat ingentis; dextra ejus auricula inſignis fuit magnitudinis, à ſanguine intus ſtagnante & coagulato expanſa; ſiniſtra verò ſupra modum parva cernebatur. In dextro ejusdem ventriculo ſanguis coagulatus, in ſiniſtro nullus propemodum ſanguis, isq́ue minùs coagulatus exiſtebat.

OBSERVATIO IX.

Dn. D. THEODORI ZWINGERI.

De Aſthmate Lymphatico cum febri catarrhali feliciter curato.

MInister Verbi Divini, annor. 40. hypochondriacus, ante biennium & ſi quid excurrit, cùm aliquandiu Aſthmate divexaretur, cum aliquali febri continuâ catarrhali, Tuſſicula leni, Siti pauxillâ, Appetitu imminuto, artuum laſſitudine, varios in uſum vocavit julepos, ſyrupos, mixturas, aquas deſtillatas, aliaq́ue euporiſta ac domeſtica, multo ſaccharo cando permiſta; verùm ſine ſucceſſu omnia. Tandem vocatus in ſubſidium Medicus ſtatim omnibus nimiùm Saccharatis, Syrupis ac Julepis interdixit,

xit, Diætam catarrhis, ſeroque in Pulmonibus ſtagnanti adverſam inſtituit, primaque die *Clysma* injici curavit, ex *Decocto Radicum Vincetoxic. Helen. Herb. Agrimon. Salv. Alth. Mercurial. Meliß. Flor. Melilot. Semin. Carv. Bacc. Juniper. cum admixtione Mellis Roſacei, Olei Violac. & Elect. Hier. picr. Logad.* unde aliquoties mucoſa ac viſcida plura dejecit; ſimul autem ſequentem Mixturam Antaſthmaticam per cochlearia hauſit: ℞. *Aqu. Fœnicul.* ℥ij. *Petroſel.* ℥j. *Carminativ Sylv.* ʒvj. *Spirit. Urinos. Sal. armon.* ʒß. *Ol. ſtill. cortic. aurant. Mac. ana gut. II. Sacch. roſat. tab.* ʒj. *Miſc. ad Vitr.* Sequenti mane Æger retulit, ſe meliùs nonnihil per noctem dormiiſſe, ſed ſymptomata nihilominus in eodem manſere ſtatu; juſſus eſt pergere in uſu Mixturæ, & ſub veſperam ante cœnam *ſpermatis Ceti recentiß. drachmam* in Carnium juſculo probè ſolutam haurire. Hinc tantillum viſus eſt habere levaminis; poſtridie mane laxantes aſſumebat pilulas: ℞. *Maß. pilul. e ſuccin. Craton. gr. XII. Gumm. ammoniac. gr. VI. Cinnab. Antim. corr. gr. IV. Magiſt. Jalapp. n. III. Ol. ſtillat. Aurant. q. ſ. F. l. a. Pilulæ n. XV. Inaur. d. ad ſcatul. Sumantur unâ vice.* Ab hiſce pilulis octies citra magna tormina purgatus eſt: Sub veſperam abſolvere jubebatur uſum Mixturæ Antaſthmaticæ adhuc reſtantis. Sequentibus hinc pluribus diebus, quibus circa veſperam minorem, quam hactenus, ſymptomatum exacerbationem ſentiebat, remedia ſequentia cum quotidianâ Morbi imminutione, & Appetitus reſtauratione in uſum diligentem traxit. ℞. *Ol. amygd. dulc. rec. expr.* ℥iß. *ſpermat. cet. rec.* ʒiß. *Elæoſacchar. Aurant.* ʒß. *M. d. ad Oll.* Singulis tribus vel qua-

tuor

tuor horis parum inde deglutiit. ℞. *Specier. diacumin. Ocul. Canc. præpar. Specif. antibect. Poter. ana* ʒj. *Milleped. præpar.* ʒß. *M. F. pulv. ſubtil d. ad chart. in 14. dos. æqual. De quibus m. ac v. doſis capiatur.* ℞. *Spirit. Nitr. dulc.* ʒiß. *d. ad Vitr.* cujus plures guttulæ potui ordinario ex *Decocto liquirit. Ras. C. C. & Hordei* immiſcebantur. Fonticulus etiam in brachio fuit excitatus. Tandem ſeqq. datum purgans: ℞. *Extr. Cathol. gr. XV. Mercur. dulc.* ℈ß. *Reſin. Scammon. gr. II. Ol. ſtill. mac. q. ſ. M. F. l. a. Pilulæ n. XII.* Inauratæ d. pro doſi. Horum Æger uſu ſexies, citra incommodum dejecit, & convaluit.

OBSERVATIO X.

Dn. D. THEODORI ZWINGERI.

De Fiſtulâ Oſſis ſquamoſi, Abſceſſum Auris ſecutâ, feliciterque ſanatâ.

VIR annos natus 45. εὔσαρκος, labori deditus, victu copioſo ſemper uſus, ſed, quod vitæ requirebat conditio, humido frigidoque aëri multum expoſitus, per annum circiter integrum Hemicraniâ lateris dextri laboravit, eâ tamen minùs vehemente, nec niſi exiguum domeſticis operibus impedimentum procreante. Tandem vero menſe Majo Anni 1691. Dolor capitis acerbior reddi, indeque noctes inquietæ ac inſomnes evadere cœperunt: dolor ille tenſivus fuit, & gravativus, ad aurem usque dextram ſe extendens, ac modô mitiùs modò vehementiùs Ægrum excrucians. Varia hinc ab ipſo primum remedia euporiſta in uſum trahebantur, ſed ſine morbi

remiſſione: Vocatus autem ego in ſubſidium, dum ad Ægrotum accedebam, ἀπύρετον ſtatim eum deprehendi, bene appetentem, digerentem & egerentem: urinas ſimul monſtravit à naturali neque colore, neque conſiſtentiâ, neque enæoremate deflectentes: unicè conqueſtus eſt de inſigni Hemicraniâ per aliquod dies ſine intermiſſione durante, totamque Capitis dextram partem occupante, cum aliquali, ſed vix adhuc perceptibili retrò aurem tumore. Sitis aderat nulla; pulſus tantùm non prorſus naturalis, vires ſatis conſtantes. Nares, inprimis dextræ, ſatis ſiccæ manſerunt, mucique naturalem & ſolitam quantitatem non exhibuerunt. Quibus ſingulis ritè penſitatis ſeri alicujus acris ſalſo-fixi ſtagnationem in variis tubulis ſupra aut infra cranium mihi imaginabar, à quo fibræ membranaceæ lancinarentur atque dolorificè roderentur. Ad iſtud ergo ſerum partim edulcorandum, partim attenuandum, reſolvendum, atque diſſipandum cum tota medendi ratio mihi dirigenda videbatur, curationis initium feci *à Clyſmate emolliente & laxante, ex decocto Herbarum emoll. & cephalic. cum Melle rutac. & Electuar. lenitiv.* parato. Hinc venam in dextro brachio curabam incidi & octo præter propter ſanguinis uncias extrahi. Poſt aliquot etiam dies, *purgantes è ſuccino Cratonis pilulas, cum Cinnab. Antimon. Millepedi. præparat. Magiſt. jalapp. & Oleo ſtillat. Roriſmar.* præſcripſi. Deinceps quotidie Remedia intùs abſorbentia, incidentia, & diſſipantia obtuli, ex *Antimon. Diaphor. Succin. alb. præparat. Ebor præparat. Corall. præparat. Ocul. Cancr. præparat. Diaph. Jovial. Lumbr. terr. præparat. Ægagropil. præparat. Cinnab. nat. vel Antimon. opt. ſale volat.*

ſuc-

ſuccin. viperar. vel C. C. & ſimilib. concinnata, nunc in forma pulverum, nunc in pilulis cum *Extracto Angelic. Beton. Lign. Saſſaphr. ac Oleo deſtill. Amarac.* adornatis. Quibus ſubinde *opiata* ad leniendam dolorum acerbitatem permiſcui, cumque parum levaminis ex uſu talium medicaminum deprehenderem, etiam *Tincturam Antimon. Eſſent. Beton. Zedoar. Croc. Spirit. Salis Armoniac. urinoſum cum Oleis ſtillatit. Rutæ. Amarac. Rorismar. Succin. Oleoſum redditum* ordinavi, omnibus tandem *Infuſum fol. Thee* addidi, utque interea extus primò quidem lintea, accenſo *Maſtichis Succin. Styrac. calamit. Thur. Sandarach. fol. menth. Solani, Flor. Lil. convall. ac ſalv. pulvere*, fumigata calidè frequenter dextro capitis lateri applicanda, poſtmodum etiam ſacculos è *Salvia, Majoran. Solan. Heder. terr. Meliſſa, Serpillo, Ocymo, Flor. Chamomill. Melilot. Primul. Ver. Bacc. Juniper. Semin. Fœnicul. Carv.* concinnatos, modò ſiccos, modò etiam lacti incoctos, calidosque diligenter admovendos curavi: demum & alia ſuaſi, quibus Lympham ubicunque ſtagnantem reſolvi diſcutique poſſe credidi. Sed his omnibus nihil obſtantibus, juvantibusve, tandem Abſceſſus extra cranium formatus, atque in interiorem Auris dextræ meatum apertus, ſaniem albam minus fœtidam, nunc craſſiorem, nunc aquoſiorem fundere cœpit, non ſine inſigni dolorum mitigatione. In uſu hinc ſacculi in lacte decocti perrexit Æger, ſimul ac meo ſuaſu *Oleum Amygdalarum amarar. Melque roſaceum* Auri ſæpius immiſit, ejusdemque cavitatem ſibi extergi curavit. Reiteravi tum etiam purgans *ex maß. pilul. e Succino Crat.* cum *Mercur. dulc. pluries ſublimato*; inſuper-

 que

que *Decoctum Lignorum atque Herbarum traumaticarum* per longum ſat tempus bibendum ordinavi. Nihilominus tamen ulceris curatio protrahebatur, dumque fluxus ſaniei ceſſabat, Hemicrania ſtatim in affecto latere augebatur, manante dein iterum pure dolor minuebatur. Tandem verò cùm ſanies per aliquot dies lentè prodiret, ac interdum prorſus ſubſiſteret; retro aurem tumor apparere cœpit, quotidie magis dolens, citra tamen mutatum cutis naturalem colorem; dolor verò pulſans fuit, uti in Abſceſſibus, locus autem duriuſculus. Cogitans hinc de loci ejusdem ſuppuratione, atque apertione pro conciliando faciliore puris effluxu, peritum in rem præſentem vocari jubebam Chirurgum, *Dn. Joh. Conradum Zachmannum*, cujus experta manus quotidie ulcus tractaret. Accedens ergò Chirurgus, Ægrumque examinans, mecum animadvertit, tumidam retrò & ponè aurem cutim; ex auris cavitate tum, ſicut ferè continuò manabat quædam aquoſa & ichoroſa materia, auditum in eadem aure penitus intercipiens; ſomnus à longo tempore vel perturbatus, vel nullus, vires Ægri atterebat, Dolore lateris ſive Hemicrania nunc remiſſiore nunc intenſiore exiſtente: Affecto lateri minore cum incommoditate quàm ſano incubuit: Appetitus valdè imminutus fuit: ſine tamen febri vel ſiti quadam moleſtâ. Adcuratius verò locum dolentem examinantes, intumeſcentiam non levem retrò aurem dextram invenimus, quam licet primo attactu duram ac renitentem deprehenderemus, nihilominus ſaniem ſubtus latentem continere ſatis animadvertimus, ichoremque ex aure jugiter profluentem inde

Velut

velut ex fonte ſuo, ſcaturire conjecturavimus. Inito poſtmodum conſilio, Abſceſſum retrò aures rumpendum eſſe concluſimus, eaque propter intus ſtatim *Laxans ex Infuſ. fol. ſen. atque Rhabarb.* propinatum, atque poſtea *decoctum traumaticum ex Lignis & Herb. Vinc. pervinc. Pyrol. Alchimill. Beton. Ulmar. Scabioſ. Sanicul. Anſerin. Seminib. Hyper. Aquileg. Fœnicul.* ordinatum fuit, de quo Æger m. ac v. Cyathum plenum hauriret, ſi poſſibile, calidum. Externè verò tumorem retrò Aurem emollire, ſuppurare atque aperire conati ſumus, primâ nocte imponendo *Gummi ammoniacum aceto ſolutum*, formâ Emplaſtri craſſioris alutæ inducti. A quo poſtridie ſtatim vidimus tumorem nonnihil fuiſſe auctum; cumque ſimul appareret mollis, adeoque ſic puris intus latentis indicia præberet, lanceolâ, à Chirurgo profundè ſatis adactâ, fuit apertus, bonamque coctæ ſufficienter materiæ quantitatem exhibuit. Ligatum vulnus more ſolito cum carptis linteis ſtegnotico pulvere, ad impediendam hæmorrhagiam, reſperſis, ſuper impoſito *Emplaſtro Diapalma*, atque *ſacculo ex Diſcutientibus & Traumaticis adornato, vinoque incocto*, ad præcavendam inflammationem. Subſequente nocte Æger quàm optimè dormivit, ac poſtridie retulit, ſibi dolores inſigniter lenitos eſſe. Tumor valdè minutus apparuit, ac parum ſaniei pro tempore reddidit. Immiſſo autem in ulcus ſtylo, illud ſinuoſum deprehendimus, cumque introductum ulterius ſtylum ad cranium usque penetrare, ejusque ſuperficiem aſperam offendere deprehenderemus, protinus eò loci cariem quandam contraxiſſe credidimus, ſimul ac vulnus ampliandum magis ſtatuimus, quod

quod cùm novâ Chirurgus inciſione poſtero mane effectui daret, iterataque negotium operatione proſequeretur, cranium tandem detexit, ſed propter obortam Hæmorrhagiam nihil tum conſpici poterat: quamobrem novum hocce vulnus ſtatim eâ, quâ prius, ratione tractatum & deligatum fuit, vicinis tamen etiam partibus *Oleo roſaceo* atque *Chamæmelino calefacto* inunctis. Sequenti die cùm ſedata eſſet Hæmorrhagia, cranium immiſſo iterum ſtylo, exploravimus, ac prope ſuturam ſquamoſam in foramen quoddam incidimus, utramque cranii tabulam perterebrans, per quod ſtylus cautè transmiſſus, aliquo usque inter Meningem duram & cranium absque Ægri dolore verſus cerebellum protrudi poterat, quemadmodum in Figuris appoſitis Litter. B. conſpicere licet. Cùm autem primâ hâc vice ſtylus paulatim extraheretur, notabilis ipſum quantitas ſeri cujusdam flaveſcentis ſecuta eſt, quod tamen hinc copioſius adhuc emanabat, Ægro in ſtrophiolum exhibitum cum niſu ſufflante. Quo quidem ſic obſervato interrogatus eſt æger, num aliquando ictum in iſtam capitis regionem qualicunque ratione acceperit; ſed negavit, ſe tale quid intra proximè elapſos quinque vel ſex annos paſſum eſſe. Quamobrem in hanc tandem conjecturam devenimus, Hydatidem fortè aliquam in craſsâ Meninge enatam, vel Lymphaticum quoddam vas craſſiusculo ſero nonnihil infarctum & expanſum, ſternutationis fortiore niſu ruptum eſſe atque tantillam quantitatem ſeri ſalſioris inter cranium & Meningem effudiſſe, quod cùm non ſuffecerit ad Apoplexiam quandam, preſſione forti baſeos cerebri ac principii nervoſi, excitandam, ſatis

ſatis tamen erat ad Hemicraniam, atque imbecillitatem quandam artuum dextri lateris inducendam; ſæpe enim de hoc conqueſtus eſt, quod in dextris artubus longè minus roboris, quam in ſiniſtris obtineat. Sed inſimul opinabamur, extravaſatum illud ſerum acrimoniâ ſuâ teneriorem cranii ſubſtantiam in loco ſuturæ ſquamoſæ inductâ carie perfodiſſe, ſicq; facto foramine ulteriùs per exteriores partes molliores perrumpendo Abſceſſum illum pone aurem, ſinuoſumque ulcus progenuiſſe. Ad hoc verò ulcus probè detergendum, oſſeamq́ue cranii ſubſtantiam ab ulteriore carie præcavendam, Spiritus Vini dephlegmatus tepidè ſub qualibet deligatione inſperſus, indeq́ue iterum ab ægro aërem inſpiratum in ſtrophiolum efflante, excuſſus fuit. Vulnus autem ſive ulcus dein filis lineis carptis, *Spiritui Vini, Eſſentiæque Myrrhæ* intinctis replebamus, vicinias *Oleis* ſupra dictis illinebamus, *Emplaſtrum de Betonica* imponebamus, tandemq́ue omnia ſacculo ſuperius quoque deſcripto cephalico traumatico, in vino albo decocto & expreſſo tegebamus. Cui ſanandi methodo, cum per plures dies, mane atque veſperi inſiſteremus, tumor paulatim omnis, dolorq́ue ſimul evanuit ac ceſſavit, ſanies ex aure nulla amplius promanabat; appetitus, ſomnusq́ue naturalis redibant, omniaq́ue benè ſatis cedebant, Accidit interea aliquando, ut, dum Chirurgus more conſueto, ſub deligatione *Spiritum Vini* ulceri inſpergere conabatur, nil prorſus ex ſiphone profluerет; neſciens, quid cauſæ ſubeſſet, piſtillum Siphonis fortiùs adigit, unde confertim, & impetuosè expulſus Spiritus undiquaque diffundebatur ac penetrabat, Ægrum quaſi attonitum

nitum ſubitò reddens, vel ita ſaltem perterritum, ut arrepto confeſtim ſtrophiolo totam comprimeret antrorſum nutantem faciem. Sed territus magis Chirurgus, qui metuebat, ne qua fortè Spiritus per ipſum cranium, Meningesque fortè eroſas perruperit, Apoplexiam promptè ſuſcitaturus. Æger autem brevi caput rurſus erigens conquerebatur, inſperſum Vini Spiritum in Palatum & Nares usque penetraſſe; cujus veritatem vel ipſe Spiritus per Nares in ſtrophiolum penetrans, & odore ſe prodens, arguebat. Unde colligere neceſſe fuit, ſaniem ulceris adhuc latentis cuniculos egiſſe, & ad meatum auris usque penetrâſſe. Ea nocte Æger à fortiore inſperſione dolorem quendam ſenſit, qui tamen paulatim rurſus ceſſabat. Paucis hinc elapſis diebus, varia carioſi cranii fruſtula unâ cum pure benè cocto, ſeroque flaveſcente prodibant; cùmque ab eo tempore notaremus, ulceris interanea paulatim carne obduci, minoremque indies quantitatem ſaniei profundere; loco *Spiritus Vini & Eſſentiæ Myrrhæ, Decoctum plantarum traumaticarum cum Tinctura compoſit. Myrrh. Aloes, Croci, Hyperic. Pyrolæ &c.* poſtea inſperſum ſicque tandem ſpatio quatuor hebdomadarum totum ulcus perfectè ſanatum, ac cicatrice obductum fuit. Ab iſto tempore Æger in hunc usque diem perfectâ ſanitate fruitur, recuperato etiam in artubus dextris robore integro.

Fig. VIII. & IX.

OB-

Fig. VIII.
pag. 26.

A. Foramen ampliatum ulceris fistu: loſi.

B. Stÿlꝰ per Si: num fistulæ usq; ad Os ſqua: moſum penetranis.




Fig. IX.

B. Foramen ſuturæ ſquamosæ per quod Stÿlꝰ immittebat digiti longitudine inter Cranium et duram matrem penetra bat.

C. Foramen Cranii pro introitu vaſorum.

D. Stÿlus.



OBSERVATIO XI.

Dn. D. THEODORI ZWINGERI.

De Febri maligna continua feliciter curata.

VIR Senatoriæ dignitatis annor. 46. Menſ. Decemb. 1687. cum nuptiali cuidam intereſſet convivio, dolorem percepit capitis, cum appetitu dejecto, & aliquali nauſeâ, ut ante tempus domum remeare cogeretur: tuſſire hinc quoque incepit, nec niſi catarrho hæc attribuens ſymptomata; cùm verò tridui ſpatio eadem non remitterent, tandem D. 14. Decemb. Venæſectionem admiſit, meque arceſſivit. Accedens ſanguinem vidi pituitâ viſcidâ albâ obductum: pulſus Ægri febrilis extitit, urina turbida, dolor capitis, atque tuſſis urgebant; ſitis erat mediocris, virium languor notabilis, cum anxietate quâdam præcordiorum. Hinc judicans Febrim adeſſe malignam, hoc tempore nonnihil graſſantem, præſcripſi *Julepum ex Aqu. card. bened. Fumar. Syrup. Citr. Spirit. Salis dulc. & Bezoard. mineral.* Pro potu ordinario autem conceſſi *Decoct. C. C. raſ. cum Radic. Acetoſ. & Hord.* Juſculorum optimorum frequentem uſum imperavi, atque diætam convenientem inſtitui. Nox ſubſequuta mediocris, cum aliquali ſomno.

D. 15. Decemb. *Mane* exhibui vomitorium *ex Salis Vitrioli gran. XXIV. & Antimon. diaph. gran. VI.* ex quo vomuit quater, & pluries per alvum mucoſa dejecit. Dolor capitis erat mitior, non ſitiebat, frigebant manus, pulſus febrilis, urina adhuc turbata, ſedimentum tandem albicans mucoſum deponens. Præſcripſi *Emulſionem ex Semine Melon. Cu-*

cum. Card. bened. Aquileg. Nucleis amygd. dulc. cum Aqu. Succiſ. Fumar. Endiv. & C. C. phil. præparat. noctu horâ ſomni capiendâ. Verùm hâc non obſtante nox fuit inquieta, cum ſomno interrupto; & poſtridie nec appetebat, nec ſitiebat, cephalalgia remiſit; febris tamen continuat, cum urinâ tinctâ, ac turbatâ; linguaque cruſtâ albâ obducta apparet. Hinc ergo ad ſanguinis maſſam in priſtinum ſtatum reducendam, acidum febrile infringendum, abſorbendum, vel etiam per urinam, aut glandulas ſubcutaneas expellendum unicè diaphoretico-cardiaca in uſum trahenda ratus, præſcripſi ſeqq. ℞. *Aqu. Borrag. Card. bened. ſcabioſ. ana* ℥j. *Syrup. acetoſ. citr.* ʒvj. *Spirit. C. C. vol. Spirit. Sal. armon. urinos. ana* ℈ß. *Bezoard. min. gran. V. Miſc. d. ad Vitr.* Sumpſit die hâc 16. Dec. mane intra horæ ſpacium, indeque ſudavit, & manifeſtum levamen perſenſit. Sub veſperam idem remedium fuit repetitum, cumque rurſus ex eo ſudaſſet, nox ſubſequens magis quieta evaſit.

D. 17 Decemb. Etſi pulſus minùs frequens eſſet, de reliquis tamen adhuc conquerebatur ſymptomatibus, inprimis autem de Linguæ ſiccitate & glutinoſitate; ut neceſſe eſſet eandem probè abradere, atque eluere, quod per Chirurgum fuit præſtitum, poſtquam Æger cum *Aceto* & *Aqua*, cui *Salvia* atque *Brunella* incoquebantur, cruſtam linguæ gargariſando emollivisſet. Interea pergendum eſſe duxi in uſu diaphoreticorum, eaque propter ſeqq. pulveres ordinavi: ℞. *Pulveris Pannon. rubr.* ʒiß. *Antimon. diaph.* ʒß. *Bezoard. min.* ℈j. *M. F. pulvis ſubt. in 6. dos. æqu. ad ch.* quarum una mane atque veſperi ſemper cum hauſtu *Aqu. Card. bened.* & *Ulmariæ* capiebatur

&

& ſudor inde exſpectabatur, qui cum hâc die benè ſuccederet, nox quoque tranquilla ſecuta eſt. Interea ſimul Mixturam præſcripſi Cardiaco-diaphoreticam per cochlearia ſumendam frequenter, unde corpus in aliquali madore detineri poſſet: ℞. *Aqu. Borrag. Flor. acac. Fumar. ana* ℥j. *Syrup. rub. id.* ʒvj. *Syrup. acetoſ. citr.* ℥ß. *Confect. Alk. inc.* ℈ij. *Ebor. præp. Matr. perl. præp. ana* ℈j. *Bez. min.* ℈ß. *Sacch. roſ. tab.* ʒj. *M. ad Vitr.*

D. 18. Decemb. Pulſus fuit parvus, non admodum frequens, urina clara, tincta, ſine ſedimento, lingua alba, quæ tamen abſterſa rurſus fuit. Perrexit in præſcriptorum uſu & ſemel tantùm mane ſudavit. Noctu propinata emulſio ut ſupra. D. 19. appetitus adhuc proſtratus, citra ſitim, de nullo amplius dolore, de nullâ præcordiorum anxietate conqueritur. Abſolvit hodie uſum pulverum præſcriptorum, Mixtura autem fuit reiterata, ſimul ac de *Spirit. C. C. volatil. puriore* ℈j. fuit additus, præprimis cum de inſigni virium languore conquereretur. Nox ſequuta eſt ſatis quieta, cum ſomno, Alvus quotidiè laxa.

D. 20. Decemb. Pulſus apparuit fortior ac melior; urina clara, cum ſedimento aliquali vel enæoremate potiùs; ſitis nulla; appetitus tamen nondum rediit. Hinc ſeqq. pulveres præſcripſi: ℞. *Antimon. diaph. Ebor. præp. C. C. philoſ. præp. Bezoard. min. ana* ℈j. *Radic. aron. pulv.* ℈ß. *M. F. pulv. ſubt. in 4. dos. ad Ch.* mane ac veſperi capiatur doſis cum hauſtu *Aqu. Ulmar. & Card. bened.* In uſu dein Mixturæ ſimul quoque pergatur: D. 21. Decemb. poſt noctem tranquillè iterum peractam, heſternosque ſudores,

urina hodie turbata iterum comparuit, alvusque adſtricta, ſed in aliis non pejus habet: quare & hodie pulveres capiebat, mixturam ſumebat, & poſt admiſſum ſimul cum fructu clyſterem emollientem. ſudabat; tandemque noctem ſatis quietè & feliciter tranſigebat.

D. 22. Decemb. Pulſus fermè naturalis, urina coctionis ſigna dabat; appetitu tantillum redeunte, ſequentes hinc pulveres adhuc præſcripſi: ℞. *Antim. diaph. pulv. ſtomach. Birckm. ana* ʒß. *Ebor. præpar.* ℈j. *Pulv. Card. bened.* ℈ß. *M. F. pulv. ſubtil. in* 3. *dos. æqu. ad Ch.* quarum una ſingulis octo horis cum *Aquâ plantag* vel *Naſturt.* capiatur. D. 23. Decemb. Mane poſt noctem tranquillam, ſumptumque pulverem, ſudor obrepſit ſatis largus, à quo benè habuit: Pulſus & urina naturales: Appetitus melior, ſumpſit reſtitantem tertium pulverem. D. 24. Decemb. mane ſpontaneus iterum ſudor, poſt noctem quietam, acceſſit, ſed ex eo haud pejus habet, quin cum appetitu ſimul tantillum vires redeunt, Nihil ordinavi, ſed reliquum curationis Naturæ permiſi, & probè inſtitutæ culinæ. Attamen ad reliquias febris expellendas D. 28. Decemb. cum vires ſufficienter rediiſſe deprehenderem, ſequentem potionem laxantem ordinavi: ℞. *Syrup. de Cich. cum Rhab.* ℥iß. *Syrup. flor. perſic.* ℥j. *Aqua borrag.* ℥iß. *Aqu. cinam. bugloſſ.* ʒiiß. *M. F. potio d. ad Vitr.* & ſumatur pro doſi: ex quâ octies ſine torminibus purgatus eſt, & commodè ſe habuit: ut appetitu perfectè reſtituto vini ſimul, ſed moderatum in principio uſum ſuaſerim, atque ita pio cum voto valedixerim.

Poſt

Poſt plures inde elapſos dies Æger denuo conquerebatur, ſe ſingulis noctibus, circa diluculum inprimis matutinum ſudore diffluere, & inde delasſari: quod cum Maſſæ ſanguineæ, ob præcedaneam febrim, ſulphureis particulis orbatæ, & aquoſiori redditæ multum adſcriberem, ſequens Electuarium confortans uſurpandum ſuaſi: ℞. *Conſerv. Fumar. Borrag. ana* ℥j. *Ebor. ppt. Corall. rubr. ppt. ſantal. citr. ana* ʒß. *ſpecier. diarrhod. Abbat. Lapid. prunell. ana* ℈j. *Margarit. orient. præp.* ℈ß. *Syrup. de Fumar. q. ſ. F. Mixtura ad formam Opiatæ d. ad Fictile:* de qua ſingulis quadrihoriis magnitudo nuciſtæ ſumatur. Ex uſu verò hujus Mixturæ à ſudoribus nocturnis liberatus perfectè convaluit.

OBSERVATIO XII.

Dn. D. THEODORI ZWINGERI,

De Iſchuriâ per plures dies durante.

MEnſe Majo Ann. 1689. Centurio quidam, ſtaturæ egregiæ, habitus obeſioris, acidis uſque delectatus cibis, jamque ab itinere quodam redux, poſt vomitum & dolorem in latere dextro infra Renes incidit in Iſchuriam, adeo ut ne guttulam quidem per quatriduum excerneret; quamvis *Clyſteribus* atque *ſemicupiis* emollientibus; nec non *Oleo Amygd. dulc. cum Syrup. de Alth. Fernel. & Spermat. cet.* uſus fuisſet (ad dilatandas vias, Renaliumque Glandularum obſtructiones reſerandas) ac binâ quoque vice ſibi Venam, in brachio nimirum & pede incidi curâſſet. Sumpſit dein aliquoties *Julepum ex Aqu. petroſel. Ononid. Syrup. viol. cum Spirit. Terebinth. & Bacc.*

juni-

juniper. Sumpſit pulveres *ex Ocul. Cancr. Lapid. prunell. virga aur. Millepel. præp. & Tartaro crud.* ſed fruſtra. Tandem poſt hæc omnia *Cancrum contuſum probè cum cyatho vini rubri non craſſi nec auſteri, ſed tenuioris & generoſi* nonnihil maceratum & expreſſum propinabam, ac noctu *Julepum* cum ℈j. *Lapid. prunell. Aqu. Malv. Ononid. ac Syrup. citr.* præſcripſi. A quibus remediis poſt mediam noctem mingere incepit, & quatuor matulas implevit urinæ crudæ, parum tinctæ, cum paucis arenulis, catheter in principio quarti diei veſicæ intruſus nil profuit, cùm veſica adhuc vacua prorſus exiſteret.

(*Baſileâ Noribergam Menſe Januario 1697. miſſæ.*)

OBSERVATIO XIII.
DN. D. CAROLI LANGII.
De Anatome virginis Hydrope defunctæ.

Virgo ſex annorum Illuſtr. Dn. Laurentii Pfyfferi filia, habitus cachectici, ſæpius in facie, pedibus & imo ventre intumeſcebat, quæ quidem intumeſcentiæ remediis appropriatis non difficilius cedebant ac brevi datâ minimâ occaſione iterum revertebantur; manifeſtum argumentum, quod diureticis ſolis Hydrops curari nequeat, niſi cauſa extravaſationis lymphæ primaria ſimul tollatur, quæ eſt gravis partium internarum ab humoribus viſcidis obſtructio, & ab hac proveniens copioſa vaſorum lymphaticorum ruptio & apertio. Tandem invadenti tumori accedebat ſcabies occupans potiſſimùm crura & brachia, è quibus ſerum aliquod acre diffluebat. Malum

Malum ſane Hydropicorum omen eſt, ſi in cruribus à lymphâ acriori ulcera exoriantur, etenim non ſolum indicant magnam lymphæ quantitatem extravaſatam, ſed quoque ſal in eâ contentum ob longiorem ſtagnationem jamjam fundi reliquisque principiis ita prædominari, ut intenſiſſimum acorem ipſi ſero inducat, quo periculoſius interna viſcera lædi, plura vaſa lymphatica corrodi & conſequenter ipſum morbum ad ægri interitum usque augere neceſſe ſit, unde in curatione Hydropis omni ſtudio edulcorationi humorum invigilandum, ſi morbi accretionem quantum poſſibile ſit, impedire cupiamus. Vocatur Medicus Nobiliſſimæ familiæ Ordinarius, ut virgini iterum hoc gravi malo tentatæ ſuccurrat, qui præſcribebat ei laxans ex Reſina Jalappæ, Mercur. dulci addito grano diagridii, quo ſuaviſſimè fuit purgata. An hoc in caſu aliisque ſimilibus ſalutare ſit exhibere diagridium, vehementer dubito tam ob teneram patientis naturam, quam ob intenſam humorum acrimoniam, cuncti enim practici ſcammoneam omniaque ex ea parata mordacis & acerrimæ accuſant naturæ, quamobrem tantæ extant correctiones, quæ utrum vim omnem obtundant, acutioribus judicandum relinquo. Sequenti die augebatur tumor ita, ut totum corpus inficeret, ad quem debellandum reiteratum fuit catharticum & præſcripta juſcula diuretica, in quibus potisſimùm decoctæ erant Radices Petroſelini, his promittebat medicus ſe reſtiturum ægrotam, ſed præter omnium exſpectationem filia, prius tamen, ſed pauco temporis ſpatio dolorificâ thoracis contractione & vehementi reſpirandi difficultate correpta, noctu exſpira-

vit. Indicibile eſt, quam perniciofum ſit Hydrope decumbentibus, lymphâ craſſiore glandulas & vaſa lymphatica obſtruente nondum attenuatâ, diuretica propinare, nam magnam ſeri partem à reliqua ſanguinis maſsâ præcipitant, quod copiosè vaſa lymphatica ſubit, & cum ſuum liberum exitum non inveniat ob continuum affluxum, tandem ea ita diſtendit, ut neceſſario ſequatur major humorum extravaſatio, qua conſequente aqua inter cutem adaugeri debet. Hæc ſubitanea mors omnes conſanguineos ipſosque parentes in ſummam trahebat admirationem, præcipuè vero cum à medico ordinario nulla poſſet adduci cauſa tam citati interitus, ad quam inveſtigandam inſtituta fuit decimo die proximè elapſi menſis Julii Anatomica cadaveris diſſectio, eo quoque fine, ut frater defunctæ eodem morbo vexatus, felicius opportunis remediis priſtinæ ſanitati reſtitui poſſet, quem meæ curæ commiſſum integrè liberavi, ita ut optimè nunc fruatur valetudine, ut inferius indigitabo. Huic Anatomiæ & ego præſens eram ſequentiaque notatu digna & ad cognitionem hujus morbi apprimè inſervientia, obſervavi.

Integra corporis ſuperficies fœda quadam ſcabie infecta erat, in cruribus autem & brachiis hærebant frequentes puſtulæ, ſubflaveſcentes, è quibus diſruptis ſerum acre emanabat, artus omnes inflati, nec minus ipſum abdomen, thorax faciesque tumore pallido, tactui cedente adtollebantur. Conſiderata extima corporis cónſtitutione, aperto infimo ventre ad interiora progrediebamur, ut viſcerum in hac cavitate ſitorum labes, à quibus potis-

potiſſimum hydrops dependet, ſcrutaremur. Quoad integumenta communia nil non naturale vidimus, præter jam indicatam pſoram & conſiſtentiam pinguedinis fluidiorem, ordinarium in ſimilibus morbis defectum, ob extravaſatum & cum ea undique confuſum ſerum. Primum nobis obviam fuit incredibilis lymphæ quantitas, quæ totam abdominis cavitatem implebat, ſaporis erat ſubdulcis, conſiſtentiæ propria viſcidioris, diaphana, nullum ſpirabat odorem, igni admota incraſſeſcebat, fruſtula tamen in Gelatinam converſa nondum apparebant. Omentum nulla prorſus ditatum pinguedine ad putredinem vergebat tuberculis duriuſculis ſubflaveſcentibus hinc inde refertum. Quod non parum confirmat opinionem Clariſſ. Dolæi ſatis rationabilem, de parte affecta hydropis, quam exponit in ſua Encyclopæd. Med. dogmat. lib. 3. cap. 9. §. 2. In ventriculo offendebamus cibos pridie aſſumptos, à fermento ſtomachali eo usque illæſos, inteſtina à ſtatu naturali non recedebant; Pancreas Aſellii majorque glandularum in meſenterio ſitorum pars ſcirrhoſa, dura & coloris flavi exiſtebat, nec aliter ſe habebat verum Pancreas, etenim ob ſtagnantes paſſim in ſuis ductibus viſciditates tubuloſque fortiter extenſos, in magnum tumorem elevatum, duritiem quaſi lapideam contraxit. Hæc ſunt præcipua Hydropis fundamenta, quæ lympham debito curſu privant, tenſiones vaſorum, ruptiones & ſeri extravaſationes cauſant naturam fermentis ad exaltationem Chyli ſanguinisque neceſſariis privant, in quorum defectu præter ſummam humorum intemperiem nil exſpectandum eſt. Renes colorem naturali remiſſiorem

obtinuerant & fere nulla pinguedine obducti, hepar, lien, uterus una cum veſica nec minimum patiebantur defectum.

Thorax tantam lymphæ copiam continebat, ut aperta pleura vi quadam exiliret, quantitate duas menſuras ſuperabat, ſubviridis erat, coloris & açoris penetrantisſimi ita ut inſtrumenta in ea madefacta ſubito rubiginem contraherent. Hunc aquarum acervũ cauſam tam citatæ mortis eſſe ſuſpicor, nam omnẽ thoracis cavitatem arctisſimè occupabat, ut nullum amplius ſupereſſet ſpatiũ diaphragmati dilatando ad attollendos pulmones aëremque contentum, qui in veſiculis longiorem quam par eſt, moram trahens, eas ita extendit ut ob compreſſas arterias nullus impoſterum permitteretur ſanguini aditus ad pulmones, circulatioque neceſſario inhiberetur ſine qua impoſſibile eſt vitam diutius protrahere. Hæc mea opinio confirmatur prædicta dolorifica thoracis contractione & præcedenti laborioſa reſpirandi difficultate, nam cum muſculi abdominis ſeſe contraherent ad elevandum diaphragma, ob obſtaculum motus diaphragmatis invincibile, depreſſerant violenter coſtas & conſequenter dolorificè thoracem contorſêre. Ob vapidam ſanguinis craſin, quo debite inflare nequeunt, fibrę cordis erant laxiſſimæ, præſertim verò illæ quæ dextrum cordis thalamum conſtituunt, quia omnium longisſimæ, in cavitate utriusque ſinus nec gutta ſanguinis reperta eſt, defectu circularis ſanguinis motus aliquo temporis ſpatio ante mortem: Pulmones colorem præ ſe ferebant naturalem, aliquibus in locis apparebant maculæ rubræ, ubi ſcilicet guttæ reſidui ſanguinis coagulatæ hærebant. Fratrem eodem

mor-

morbo correptum, Deo favente, ſequentibus curavi: primo ei exhibui vinum medicatum ex blande aperientibus, incidentibus viſcidosque humores evacuantibus compoſitum, deinde præſcripſi decoctum ſudoriferum edulcorans & urinam movens, de quo quotidie mane hauſtum aſſumpſit & tertio quolibet die ſudavit, inter hujus uſum continuo aſſumpſit confortantia viresque conſervantia, ſemel in ſeptimana eum purgavi infuſo earundem virium cum vino medicato, quibus integrè reſtitutus eſt. Morbus hic frequenter in noſtris Regionibus graſſatur & potiſſimum infantes corripit, cujus cauſam datâ occaſione pluribus exponam.

(*Lucernâ Helvetiorum, Baſileam, & hinc ab Exc. Dn. D. Theod. Zvvingero, Menſe Januario 1697. Noribergam miſſa.*)

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII, De Veſicatoriorum Efficacia.

INter quamplurima, quæ in Praxi contigere, veſicantium proſperè adhibitorum exempla, eminere videntur ſequentia. Anno 1683. 28. Aug. Puerperam dignitate primariam hujus civitatis, 14. à partu diebus, Paroxysmus ſubitò invadebat epilepticus, ad 17. usque menſis ſequentis diem, ſeptimâ vice recurrens. Facies Paroxysmo incipiente rubore notabili ſuffundebatur, imo & collum & brachia, quousque nuda conſpiciebantur, rubeſcebant. Extra tales inſultus ſincipitis varias partes dolores infeſtabant

bant acerbiſſimi & continui. Tollendis hiſce malis imparia erant omni ſtudio adhibita remedia tam interna quam externa, interque ea ſectio Saphænarum, hirudines fronti affixæ, ipſaque nuchæ applicata veſicatoria. Quin imò dolorum vehementia delirium primò mitius, tandem verò plenariam mentis emotionem furibundam pariebat. Idcircò aliis vel nihil proficientibus vel amplius non admiſſis inter medios furores ægræ neſcienti duo veſicatoria majora ſupra malleolos pedum interiores per 10. horas fuere applicata, eô quidem cum ſucceſſu, ut paucis poſt admotionem horis adeoque ante veſicarum adhuc exortum quietior, ſequenti verò die, primô poſt tot vigilias obveniente ſomnô, à delirio ſenſim libera fieret, ſibi reddita omnium præteritorum immemor, ſicque brevi integram ſanitatem recuperaret.

Vir Illuſtris ac Generoſiſſimus quinquagenario haud multum major & per annos 20. poſteriores arthriticus, tandem in cephalæam incidebat graviſſimam, quam ſi in tali ſubjecto arthriticam cognominaveris, fortè non errabis, præſertim cum & durante capitis dolore arthritici paroxyſmi primordia gliſcerent. Atrocitas effectus atque ſymptomatum concomitantium Nobiliſſimum Ægrotum in ſtatum redigebant moribundo ſimilem. Nimirum 16. 17. & 18. Martii 1686. cum pulſu languidiſſimo loquela deficiebat, atque interrogata rariſſimè & vix amplius intelligebat, urina involuntariè profluebat ſicut & alvinæ feces, corpore præter brachium dextrum plane immobili exiſtente, & ſpiritu quoque, quem ore hiante ducebat, tandem ſæpius intercepto. Inpri-

primis verò 18 Mart. omnia ad interitum vergebant quem adſtantium corona tanquam certiſſimum lacrymis jam urgebat acerbis nec immeritò; ſensûs enim omnes & motus etiam prius adhuc ſponte mobilis brachii dextri erant aboliti, neque inclamationes in aures fortiſſimas audiebat æger, provoluto in latus ſiniſtrum corpore prius ſemper reſupino, ex ore profluebat amurca nigreſcens, & dejectio alvi clyſtere ſollicitata, haud multum abſimilis erat, acidiſſimi præterea fœtoris. Mihi tamen tantillum ſpei repullulabat ex ſudore blando univerſali cum corporis totius incaleſcentiâ oboriente, qui poſtea usque ad 20. Mart. conſtanter continuavit. Hinc quamvis jam antequam res ad has anguſtias devenirent 4. veſicatoria ad nucham & tibias adhibita periculum avertere nequiviſſent, tamen ad eandem denuò confugere anchoram non dubitavi & dictâ die 18. Mart. poſt hor. 11. antemerid. etſi omnium oculis res penitus conclamata videbatur, ad 4. pedum malleolos 4. veſicatoria latiora unâ vice applicare juſſi, ad quorum effectum obtinendum usque ad craſtinum mane adeoque triplo majori, quam aliàs fieri ſolet, tempore expectandum erat, 19. Mart. mane ex veſicis tum demum apertis ichor flavus largiter emanabat, cujus effectum auſpicatum ſensûs & motûs ut & loquelæ, quam verſus meridiem hujus diei recuperare incipiebat, tam parvô 4. vel 5. horarum intervallô reſtitutio abundè teſtabatur. Delirium ſuccedebat per plures dies cum ſiti valdè intensâ, & tandem menſe ſequenti ſanitatis redintegratio, licet ſat brevis. Ea namque diutius gaudere, Recidiva proximo menſe Majo ſuperveniens lethalis haud permittebat,

occa-

occaſionem ſubminiſtrante caſu ab equo graviſſimo. Laudibus tamen veſicantium hactenus recenſitis tenebras forte non offundet, quod repetitus eorum variis in locis uſus hac vice non amplius ſuffecerit; vel enim plane non operabantur, vel ægerrimè & multo labore excitatæ veſicæ mox iterum exareſcebant, ſuccedente notabili partis excoriatæ intumeſcentiâ. Ubi inprimis relatu dignum, quod in pedis dextri malleolo externo veſica tandem obtenta inſtar ovi ſubventanei inanis & nullo plane humore ſtillans fuerit inventa, id quod concluſionem ex aliis id genus caſibus jam formatam magis „confirmabat: Veſicatoria nempe eo difficilius ef„fectum ſortiri, quo magis humores ad coagulatio„nem tendunt, unde & actio earum fruſtrata in ma„lignis ſemper mali ominis habenda.

(Jauerâ Auguſtam. Vind. Menſe Januar. Anno 1697. miſſa.)

OBSERVATIO XV.

Dn. D. JOHANNES de MURALTO.

De quibusdam lapidibus figuratis Helvetiæ.

EXhibeo hic icones lapidum præcipuorum figuratorum in Helvetiæ montibus repertorum, & à celeberrimo Wagnero p. m. primum memoratorum. Quod ad Ammonis cornua attinet, Athanaſius Kircherus cauſam figuræ hujus lapidis attribuit vi actinobolicæ, i. e. radiorum jaculatrici, quæ reperitur in ſalinis corporibus, quæ in eo conſiſtat, quòd Spiritus in ſalis corpore abditus appetitu quo-

dam

dam naturali ex centro prodiens in circumferentia protruſione ſua paulatim in radios quosdam ea diſpeſcat. Armatura, quæ nonnunquam cornibus Ammonis adhæret, & quandoque aurum, plumbum ac ferrum mentitur, nihil aliud eſt, quàm marcaſita & immaturum metallum, id quod manifeſtum mihi erat in magno & perpulchro anguino ovo Plinii, ſeu Echinite in monte Glaronenſi nuper reperto; cortex ejus exterior admodum lucens, lapis ſpecularis erat, & terſiſſimo vitro argentei coloris politura haud cedebat, ſub cujus cortice durior ſilex ſubcœruleus latitabat. Firmiter crediderim ego in montibus his varii generis, i. e. diverſis ſalibus conſperſa luta, & minerales fluores, uti lapides metallares nos docent, reconditos eſſe, qui modulum agnoſcant vel internum vel externum, ſine quo materia coagulabilis incertis legibus in terræ ductibus fuſa nullam exactam producet figuram, ſed erit ſumma tunc irregularitas; ſed præſente hoc modulo accommodabit ſe ad datam formam, tepore langueſcentes partes obſtante, vel duritie materiam cogente. Modulus talis externus eſt tum ambiens aër vi elaſtica ſingula premens cum moderato quodam calore, vel ſal quoddam minerale ſolutum foris glebam tangens. Internus verò, ſpiritus ſalis & ſulfuris ſeu archæus vel materia ſubtilis eſt, maſſulæ primitivæ concluſus, qui fermentatur, & poſt rudimenta ſenſim ſine ſenſu applicatione novæ materiæ augmentum capit, ſeſe expandit, juxta dimenſiones omnes ad integram usque perfectionem, propaginis verò incurius deliteſcit hic ſpiritus, toto quo irretitur, & repagulis vincitur, tempore; ſed obſequente tempore per

mollitiem materiæ particulæ ejus extenſibiles juxta ſe invicem juſte collocantur per fermentationem, ſolutionem & coagulationem gradatim diſtinctam: Ubi notandum, alia corpora ratione principii prædominantis, legitimè & rectè operantis ad motum & figuram certam inclinare, & ita ſpecioſiora, coloratiora, gratiora, & temperatiora eſſe, ſicque perfectiores figuras deſcribere: In quo autem in ſpecie motus talium particularum conſiſtat, & qua proportione cuilibet parti inſit, dimetiri nondum valui. Nam cum particulæ ſingulæ propriam habeant figuram, neceſſe eſt, ut coëuntes obnoxiæ reddantur conditionibus neceſſariis corporum figuratorum. Corpora autem ad determinandas ſuperficies figuram poſſident lateribus & angulis conſpicuam, quare exactiſſimè pingi non poſſunt nullo interjecto ſpatio niſi angulis & lateribus figura eorum conveniat, id quòd regularibus corporibus tantum datum ſit, naturâ reliqua tam accuratè coaleſcere nequeunt, quia interſtitia quædam relinquunt, & ſicuti diverſas figuras, ita diverſos quoq; poros efficiunt. Ut verò, quid ſibi modulus meus externus & internus velit, clarius declarem, hæc addere lubet: Aër cum corpora naturalia figuranda æqualiter undique premat, ceu externus modulus, neceſſariò materiæ mollitiem vel duritiem ſequetur, molle magis premetur, durum reſiſtet magis, hinc ſulci & protuberantiæ variæ orientur. Archæus ſeu modulus internus, Spiritus Sal. & Sulph. maſſulæ primitivæ concluſus dum ſuſcitatus ad operandum inſurgit, virtutem ſuam jaculatricem (quæ ſingulis actionibus perfectionis tribui poteſt, & quam in cryſtalliſationibus chymicis

vide-

videmus) exercebit quantum valet, ſecumque per ordinatos poros ſibi agglutinata & adhærentia corpora vehet quaquaverſum usq; dum dimenſionem & perfectionem debitam nactus ſit, non aliter ac punctum ſaliens in canum catulis primis ab imprægnatione diebus conſpicitur radiis ſanguineis in circumferentiam æqualiter miſſis ſeſe extendere, vel nucleus aut ſemen plantæ terræ mandatum incrementa ſumere, poſtquam Spiritus vegetabilis intus latens expergefactus repagula operculorum ſolvit, radicem figere, caulem ſiſtere, folia pandere, ramos fructumq; protrudere: ita regulus Antimon. ſuam ſtellam huic vi jaculatrici acceptam refert. Non minus quam in operatione inſtaurantium medicamentorum vis quædam irradians è centro ventriculi per totam corporis humani peripheriam diffunditur; prolicit aër ambiens innumeris rerum ſeminibus refertus intus latentia principia, particulæ igneæ ſepultæ ad ſolem properant, aëreæ & æthereæ ſub Lunam ſedem affectant, aqueæ & terreæ quoque ſuum centrum petunt, motum ſibi invicem communicando per appulſum regularem, è quo diverſitas figurarum menſuranda eſt. Hac de cauſa dictæ figuræ ſunt inſtar hieroglyphicarum notarum cum ſuis characteribus totam naturæ vim exprimentium, quæ Ægyptiis celebrabantur: nam ſi pyramides vel obeliſcos conſideremus, quos tempus edax rerum Romæ hucusque ſuperſtites reliquit, tales inveniemus; Sunt enim omnes quadrangulares & in acumen deſinentes, & tot ignis flammas aut radios denotant Solis, quem tanquam ſummum numen Ægyptios quoque ſub nomine Oſiridis coluiſſe conſtat, cui etiam intelli-

telligentias, genios & animas Univerſi inhabitantes conſignabant, quatuor eorum anguli tot mundi plagas reſpiciebant, & quatuor elementa ſignificabant: ii patentium librorum inſtar erant, qui myſteria naturæ tectè quidem omnium oculis exponebant.

Fig. X. Continet Cornu Am̃onis Montis Randii XII. libras ponderans.

XI. Cornu Am̃onis ex pago Tägerfelden.

XII. Aliud ex eodem pago.

XIII. Cornu Am̃onis Randii, in ſuperficie undulatum.

XIV. Cornu Am̃onis Montis Legerii, bifurcatis ſtriis.

XV. . . . . . . Randii Montis odoriferum.

XVI. Cornu Am̃onis Verrucoſum Randii Montis, ubi articulationes eleganter conſpiciuntur.

XVII. Cornu Am̃onis ſtriatum minus.

XVIII. Cornua Am̃onis plana minora.

XIX. Cochlites Seſſilis in ſe retortus inſtar buccinæ.

XX. Cornua Am̃onis minora ſtriata & pertuſa.

XXI. . . . . minora plana & pertuſa.

XXII. Nautili lapidei Figura concava & convexa.

XXIII. Concha lapidea montana plana univalvis.

XXIV. Pectunculites.

XXV. Pectunculi montani ſtriati contorti.

XXVI. Mytuli montani plani bivalves.


XXVII. Cochlea lapidea.

XXVIII. Conchites ſtriatus bivalvis in matrice.

XXIX. Pectunculus bivalvis ſtriatus.

XXX.


Fig. X.
pag. 44.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

Fig. XI.

pag. 44.



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

pag. 44.

Fig. XII.



Fig. XIII.



Fig. XV.






Fig. XIV.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


Fig. XVI.
pag. 44.
Fig. XVII.
Fig. XVIII.
Fig. XX.
Fig. XIX.
Fig. XXI.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Fig. XXII.




Fig. XXIII.




Fig. XXIV.





Fig. XXV.



Fig. XXVI.

Fig. XXV.





BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Fig. XLIII.




Fig. XXXVIII.



Fig. XXXIX.




Fig. XLII.



Fig. XLI.



Fig. XL.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.



Fig. XXIX.
Fig. XXVIII
Fig XXVI
Fig. XXXI.
Fig. XXX.
Fig. XXXVI.
F. XXXVII.
Fig. XXXII.
Fig. XXXIII.
Fig. XXXIV.
Fig. XXXV.

Fig. XXX. Concha ſtriata bivalvis lapidea elegantiſſima.

XXXI. Conchites montanus planus bivalvis:

XXXII. Lapis lyncis cuſpidatus.

XXXIII. - - - concavus.

XXXIV. Lapis Judaicus fructum Olivæ referens.

XXXV. Lapides Judaici oblongi.

XXXVI. Pediculus lapidis Judaici.

XXXVII. Lapidis Belemnitæ interna facies.

XXXVIII. Lapis Ammonites.

XXXIX. Ombriæ pars convexa & concava.

XL. Amygdaloides.

XLI. Lapis nucleum pini referens.

XLII. Lapides Caricoeidei.

XLIII. Ovum anguinum Plinii.

(*Tiguro Auguſtam Vindel. Menſe Januario Anno 1697. miſſæ.*)

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De Uſu radicis Symphyti in Iſchiade.

QUod venerandus ſenex nuper in Dolore Iſchiadico expertus laudavit remedium, obſervationum modò numerum augeat. Eſt autem nihil aliud, quam nota Symphyti ſive conſolidæ majoris radix, in formâ cataplasmatis parti dolenti applicata, de quâ etiam *Rajus* in hiſtoriâ plantarum: *Medicamentum hoc ad dolores podagricos & nonnun-*

quam etiam Iſchiadicum leniendum valere iteratis experimentis atteſtantibus ab amico quodam certior factus ſum. Circumſtantiæ ſingulares ab ægro noſtro recenſitæ ſunt ſequentes: 1. radicem recentem cum urinâ propriâ in conſiſtentiam pultis coctam, tantum non fervidam dolenti ſummo femori admotam, 2. deligatum femur & faſciatum, decubitumque ſuper latus affectum per viginti quatuor horas imperatum, 3. cataplasma dein ut putreſceret terrâ defoſſum fuiſſe. Factum id eo cum ſucceſſu, ut veſiculæ plures puſtulæque exiguæ fuerint excitatæ, cutisque tandem in latum quaſi impetigine mordaci laboraverit, eò majore cum moleſtiâ, quòd frictione ipſi fuerit interdictum. Nec in hoc ſubſtitit cutanea fœditas, ſed brevi ſcabies reliquum corpus occupavit, ægro jam doloris experte, & liberè ſatis incedente. Duo ſunt, quæ inſuper notari poſſent, unum, quod recens adhuc fuerit malum, nec inveteratum, remediumque adeò in principio uſurpatum, alterum, quòd æger flatibus aliàs valdè obnoxius, illos ſub ferociâ doloris ex intimo partis dolentis incipere & prodire putaverit, aut potius ſe ita ſentire ipſe miratus fuerit. Contra pertinacem iſtum affectum communiter commmendari legimus externa varia, quæ ex profundo evocare poſſint, inuſtiones, ſcarificationes, veſicatoria & ſimilia. An itaque in radice iſtâ, quam mitem aliàs & mucilaginoſam experimur, penetrans quædam acrimonia latet, ex quo capite raphanus ruſticus in priore Eph. Germ. tomo juviſſe legitur? An ab urinâ, ab actuali calore, à diuturno decubitu iſta excoriatio & exulceratio? In defoſſæ radicis putrefactione plurimum fiduciæ

po-

poſuerat æger, ſed eam exſibilârunt alii. Notabilis autem ſcabiei ab exiguo ſpatio per reliquum corpus diffuſio, ſive ob infectionem à contactu partis ſcabioſæ, ſive totius depurationem. Sanè quæ aliàs ſenibus non moleſta modò ſed & lethi frequenter prænuncia eſſe ſolet ſcabies, huic viribus adhuc conſtanti præſentaneo auxilio fuit. Ita & nuper Melancholicum ſanæ menti reſtitutum ſcabie fœdatum fama tulit. &c.

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De Adiantho aureo ſponte in ruderibus enato.

IN ruderibus olim Londini poſt famoſam deflagrationem *Rajus* magnam copiam Eryſimi anguſtifolii ſuccreviſſe mirabundus narrat. Cùm nuperis annis eandem Vulcani vim experiretur Kirchemium, patriæ oppidum, à vicinâ Tecciorum Ducum vetuſtâ arce celebre, elegantioris etiam herbulæ inſignis paſſim copia ſuccrevit, Adianthum ſcilicet aureum præ aliis omnia latè in abundantiâ occupavit. Dubius hæret *Rajus* an iſtud Eryſimum ſponte, an ex ſeminibus diu in terra latentibus, an à malefeeriato quodam de induſtriâ ſparſis ortum fuerit? Magis probabilis videri poſſet Adianthi iſtius ortus ſpontaneus, cùm ſemine dubio, ſive minutiſſimo & nudis oculis vix conſpicuo, præditis plantis imperfectioribus ab eodem accenſeatur, & inſuper in mu-

ris

ris, aggeribus antiquis, ædium tectis & tegulis ſimilibusque complutis locis & aſperginoſis limbis ubique ferè oriri notetur. Verum quò plura paſſim æquivocæ generationis malè credita exempla clarius reducuntur hodiè ad univocam, eò meliorem de reliquis etiam è præexiſtente ſemine deducendis ſpem concipimus. Facilis tamen hoc in caſu eſſet recurſus ad inſenſibiliter diſperſa primæva germina, extraordinario caloris & humoris fotu excitata & evoluta; Niſi fortè muſcos iſtiusmodi uti fungos non tam plantas è ſuo ſemine oriundas quàm recrementa potius & excreſcentias plantarum quis dicere malit. &c.

(*Tubingâ Auguſtam Vind. d. 12. Januarii Anno 1697. miſſæ.*)

OBSERVATIO XVIII.
Dn. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.
De vomitu habituali Cati Domeſtici.

CAtum domeſticum pinguem, magnum & elegantem tribus abhinc annis alui, ſed qui ultimo anno ſingulis ferè diebus ſemel vel etiam bis vomuit, at propterea de pinguedine nihil amiſit; hoc quia mihi mirum viſum fuit, eum ſtrangulatum ſectioni ſubjeci, & ecce novam vomitûs cauſam. Nihil in hoc Cato à natura alienum reperi, quàm quòd ſiniſter pulmonis lobus cum diaphragmate in anteriori parte firmiter unitus & concretus fuerit, unde vomitum iſtum per conſenſum ventriculi cum diaphragmate ortum fuiſſe manifeſtum eſt.

OB-

OBSERVATIO XIX.
Dn. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.
De rubore & puſtulis oculorum & medicamentorum Camphoratorum ad eas utilitate.

PUella elegans 5. annorum puſtulis compluribus ac rubore oculorum non ſine cæcitatis periculo vexata, mihi curanda oblata eſt. Huic præter medicamenta purgantia, veſicantia, hirudines, cucuphas exſiccantes &c. etiam multa alia topica oculis applicanda præſcripſi, ſed ſine fructu; tandem unguendum ſequens quod

℞. Butyr. rec. S. Sal. in aq.
Euphrag. aliquoties
loti ℥iß.
Tuicæ præp. ʒiß.
Camphoræ ʒj. m.

ordinavi, & palpebris non tantùm illiniri, ſed etiam cum petiolis applicari præcepi, & ecce intra paucos dies & rubor & puſtulæ cum omnium admiratione diſparuerunt, & ægra plus quàm per medium annum optima ſanitate eſt uſa. Poſtea tamen propter errores, ut opinor, in diæta commiſſos idem morbus denuò rediit, puſtulis non tantum album ſed & nigrum oculorum copioſè obſidentibus, ac toto ferè albo intenſo rubore obducto, cum venulis turgidis & non ſine dolore. Ego vocatus præmiſſo per 4. continuos dies laxativo Jalappato, idem Ung. repetii, & rurſus quidem cum fructu ut ſupra & ægra

bene habuit quaſi per 9. menſes; tandem una iterum puſtula in albo oculi eſt ſuborta cum aliquali rubore, ſed mox iterum methodo modò laudatâ ſublata, & jam ferè ab integro anno ægra nihil mali eſt paſſa.

(*Bruna 1697. Menſe Januar. Norimberg. miſſa.*)

OBSERVATIO XX.
Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.
De Cyani virtute antihydropica.

GRatus ille Orator, qui rem pauciſſimis expedire callet verbis; grati libri, qui reciſis iis, quæ minùs ad rem pertinent, tribus, ut cum Plauto loquar, bolis & ſummatim lectorem inſtruunt. Sic Medici ipſi commendatiores habendi, qui, ſimplicibus ubi locus eſt, compoſitorum farragine ægrotis minùs exiſtunt moleſti. Reperiri autem ex illis talia, quæ maſculè, quod non raro fruſtra ab his exſpectatur, præſtant, ipſa loquitur experientia ſoloque cortice peruvianô & inventô non ita pridem remediô antidyſenterico, Ipecacuanha dicto, ſatis probari poteſt. Meminiſſe ſaltem hâc vice placet vulgaris illius Cyani cœruleis floribus æſtivo tempore inter ſegetes copioſiſſimè creſcentis. In oculorum rubedine, inflammatione, lippitudine, morbo regio &c. egregia hanc plantam ſuppeditare medicamina notum eſt iis, qui ejus unquam uſi ſunt operâ. Vim diureticam in ea ſapor amarus ac nonnihil acris arguit: unde jam tum *Fridericus Hoffmannus* Medicus quondam celeberrimus *Commentar. in Pharm.*

Pharm. Schröd. lib. 4. Sect. 1. p. m. 464. ejus Decoctum in hydrope incipiente propinatum aquas per diureſin eduxiſſe teſtatur. Eundem effectum nonnulli in confirmato jam hydrope & quidem anno 1694. Lüdeke Hollberg molitor in Kribbenaw & anno 1695. Thomas Marck ruſticus pagi Dujen maximô ſuô commodô experti ſunt, referente ſic Henricô Buteniô dicti pagi Dujen æudituô, qui præteritâ æſtate faſciculum cyani in manibus tenens & propriæ infirmitatis ergo remedia ex me quærens interrogatus, quid cum Cyano ipſi eſſet negotii, hoc regerit reſponſi: Domine Doctor, hanc herbam aurô quôvis judico cariorem. Noti enim mihi ſunt duo viri, qui hydrope aſcite graviter decumbentes ob ingentem pedum, ſcroti & ipſius abdominis tumorem incedere, vel domeſticis negotiis nequaquam ampliùs vacare poterant, imò quibus ſub ingenti ventris aquâ tumidi mole vix reſpirare licitum erat. Hi ſolò hujus plantæ Decocto ad plures dies in notabili quantitate calidè aſſumto difficillimi alias morbi indolem refractariam optimo ſucceſſu edomuêre, colluvie nimirum aquoſâ hinc in tanta per vias urinarias ſubductâ copia, ut uterque jam ex ærumnis ſuis ſublevatus integerrimâ fruatur ſanitate. Hinc, annectebat, notabilem hujus herbæ quantitatem colligere ſoleo, ut, cùm de hydrope & ipſe metuam, illam, neceſſitate ejus exigente uſum, ſemper habeam in promtu. Hiſce quidem æditui verbis fidem habens, nomina tamen pagorum ipſorumque ruricolarum, quos ope Cyani ab hydrope liberatos fuiſſe aſſeruerat, diligenter annotavi, ac datis occaſionibus in rei veritatem ſedulò inquirens ipſum ex animo & verè omnia retuliſſe comperi.

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De Leucorrhœa atrociſſima cum hæmorrhagia uteri alternatim affligente, deque Opio in inſigni quantitate ſine noxa ſumto.

DEcennium fermè effluxit, cùm honeſta hujus loci Matrona, Uxor Dn. H. C. D. annorum 46, temperamentique ſcorbutico-ſeroſi fluore albo non interpolato; ſed continuo miſerè premeretur ſingulis ferè diebus illuviem quandam tenuem per loca muliebria in notabili copia excernens. A multis jam huic malo ſubjecta annis parùm tamen ſollicita fuerat de ejus occaſione tollenda: jam vero, cum res manifeſto in deterius inclinaret, poſt cauſam vulneratam remedia ex me & aliis anxiè quærebat medicis. Primâ vice cum ipſi in hypocauſto circum ambulanti adesſem, pavimentum purgamentis albis undique conſpurcatum non ſine ſtupore vidi, quæ etiam, mirum ſanè dictu! in mea præſentia ad aliquot partitis vicibus profluebant cochlearia. Præmiſſis talibus, quæ ab impuritatum hacce ſarcinâ ægrotam liberare, quæque aliquoties iterata (neque enim tale Augiæſtabulum tam facili negotio expurgatur) illam per cloacam corporis amovere poſſent, ad corroborantia, abſorbentia, ſubadſtringentia &c. tranſitus factus eſt, non neglectis externis ſuffumigiis contra uteri Rheumatiſmum longo aliàs uſu comprobatis. Aſt,

quot-

quotquot etiam convocati ſunt Medici, contumacia ſcilicet morbi efficaciſſimorum medicaminum vim conſtanter eludente, operam & oleum in curatione mecum perdidêre. Cunctis igitur ex voto parùm ſuccedentibus paulatim dicta uteri purgamenta majorem acquirentes acrimoniam dubio procul lacerando & rodendo partes genitales atrociſſimum excitârunt dolorem, quem haud diu poſt horrenda excepit uteri hæmorrhagia, quâ durante ille mitior viſus eſt, qui verò ſtatim ac loco ſanguinis alba iterum excernerentur, menſtrua, ſemper recruduit, miſerèque miſeram tamdiu afflixit, donec novis quibusdam ab humore acerrimo corroſis & reſeratis vaſibus ſanguis denuò quâ datâ proruerét portâ certiſſimas iterum dolorum inducias, eaſdemque tot dierum, ſiſtens, quot ſcilicet Nectaris vitalis advertebatur effluxus. Et ſanè tantam noſtra ægra torturam, tot perſentiſcebat cruciatus, ut jure eam tribus illis afflictis, de quibus *Tulpius Obſ. lib. 3. cap. 1. 2. 3.* fatetur, quòd eorum ferox calamitas & formidabile tormentum lachrymas vel infenſiſſimo hoſti excutere potuiſſent, adjungere queam ardentibus hinc illam ſuſpiriis ſæpius expetiiſſe recordor, ut, ſi in noſtra eſſet poteſtate, profluvium ſanguinis uterinum in perenni ſtatu conſervaremus, ſe malle cum hoc ipſam amittere vitam, quâm vel unicum momentum ineffabilibus illis ac ſæviſſimis angi doloribus. Ratio hujus dolorum remiſſionis non adeo obſcura poterat eſſe conſideranti, quod ſanguis particulis ramoſis, chyloſis ac glutinoſis abundet, quibus uteri lymphæ admixtis hujus acrimonia exedendi vim ad tempus depoſuit; Quæ forſan etiam cauſa eſt, quare

 clyſ-

clyſmata ex cujusvis animalis ſanguine in dyſenteria, & balnea ex ſanguine humano in elephantiaſi tam ſalutaria nonnunquam exſtiterint, uti de his *Ballonius ap. Bonet. Labyrinth. med. extric.* § *299. p. 610.* de illis verò Illuſtris Wedelius *de Med. Extemp. Comp. Sect. 2. cap. 5. p. m. 83.* teſtantur. Sed ut ad propoſitum revertar, noſtra ægrota, cùm, quod in votis habebat, à Medicis præſtari non poſſe videret, nullumque ex tot remediis perciperet fructum, conſtanti animô hujus mali in nonum usque menſem tolerabat tyrannidem, quo tempore enormi & ſubitaneâ iterum correpta hæmorrhagia è vivorum emigravit contubernio. Doleo adhuc, mihi & aliis corpus aperiendi denegatam fuiſſe libertatem, quâ aliàs impetratâ uterum cancroſis & phagædenicis ulceribus defœdatum pluraque curioſa nos reperturos fuiſſe nullus dubito. Cæterum cùm in decurſu hujus morbi ad intenſiſſimos dolores mitigandos opiatorum opus eſſet uſu, de iis ut annectam operæ pretium duco, quod ægrota initiò ex grano uno Laudani quotidie aſſumto aliquantulum levaminis ſenſerit, ſingulis verò hebdomadibus, ſi quicquam emolumenti exinde capere deberet, dicta doſis uno grano augenda fuerit, ita ut paulo ante obitum ad ℈j. vel grana XXVI. dicto Laudano ſingulis ferme diebus uteretur, non majorem nunc inde, quam initiò ex grano uno percipiens utilitatem. Quâ occaſione Baronis de F. arthriticis doloribus perpetuò fermè obnoxii recordor, qui olim in diverſorio hujus loci ſub ſigno aurei Angeli ad aliquot commorans dies, mecum de morbo ſuo communicabat interque alia referebat, ſe jam viginti duorum Medicorum in diver-

verſis degentium locis operam imploráſſe exque variis ab ipſis propoſitis remediis Opio nil ſalutarius deprehendiſſe; hoc unicum eſſe illud, quod ferociam ſui mali edomare poſſet, unde à longo tempore ſe ita illi aſſueviſſe, ut, ni quotidie bis, mane nimirum & veſperi XXXIII. grana Opii crudi deglutiret, nil certiùs quam acerbiſſima artuum tormenta ipſi exſpectanda eſſent. Vix ut dicta crederem adduci potuiſſem, niſi me præſente tribus vicibus conſuetam Opii doſin devoráſſet, ex qua bene habens id ſaltem incommodi ſentiebat, quod nunquam niſi ope clyſmatum deponeret alvum. Sed cùm ſimilis farinæ Obſervationes in hiſce Ephemeridibus paſſim reperire liceat, plura de hac materia non addo.

OBSERVATIO XXII.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De Abſceſſu hepatis ex temerario Opii uſu, feliciter tandem curato.

INconſultam non omnibus æque feliciter cadere temeritatem ex dicendis fiet manifeſtum. Annis abhinc, præter propter ſeptendecim in officina Pharmacopolii noſtri occaſione remedii opiati à Medico quodam præſcripti, de doſi Laudani inter miniſtros lis oritur, altero nimirùm, id ſine ſanitatis detrimento in notabili quantitate ſumi poſſe, altero ejus minimam portionem ſummè nocivam eſſe contendente. Ille pertinax ſuæ ſententiæ, ut hunc erroris convincat, aſſumta ad manus libella VIII. Laudani grana pen-

pendit eaque ſine mora circa veſperam abſorbet. Contigit id Menſe Januario & quidem eo tempore quo quotannis ſub mea directione in præſentia aliquot Senatorum Pharmacopolium perluſtratur cunctaque tam ſimplia quàm compoſita ratione bonitatis & ponderis examinantur: Inſequenti igitur die cum alter miniſtrorum ad congerendas capſulas & alia, quæ ſui muneris erant, non appareret, ad quæſtionem, ubi eſſet? reſponſum tuli, eum adhuc alto obrutum ſomno in cubili deliteſcere. Ignarus tum ante actorum mirabar, hominem aliàs ſatis ſedulum plumis adhuc (erat enim jam nona diei hora) immerſum eſſe, utque illum expergefacerent monui. Fruſtraneus autem fuit hic labor, neque tum temporis fuſte excuti potuiſſe ſoporem credo, quo tamen ſequenti luce ſponte excitus & recordatione culpæ non parùm commotus ridendi aliis ſubminiſtrabat occaſionem. Ab hoc tempore non aderat amplius naturale capiendorum ciborum deſiderium, videbatur tardus, languidus, ſegnis ordinarios labores vel cunctanter adminiſtrans, vel planè ſubterfugiens. Effluxo aliquot hebdomadum ſpatio calor faciei in lividum palleſcentem degenerabat, reſpiratio difficilis, febris lenta, dolor initiò obtuſus, poſtea magis acutus & pulſans in dextro hypochondrio cum inſigni hujus regionis protuberantia in ſcenam prodibant, ob cujus tumoris incrementum ad quævis negotia ineptus redditus, lectoq; conſtanter affixus, nil magis quàm placidam mortem, vel citam illius apertionem exoptabat, ſub cujus mole vix Spiritum trahere poterat. Chirurgo comitatus, cum ipſius ſtatum explorarem, ex præſenti-

ſentibus ſignis abſceſſum hepatis ſatis maturum animadverti ægrotoque vel moriendum, vel ipſius inciſione haudquaquam ulterius differendâ curationem dubii eventus adornandam eſſe prædixi. Uti verò in caſibus extremis ſine omni ſalutis ſpe decumbentes relinquere haud adeò decorum videtur, ſic annuente & precibus ardenter id contendente noſtro infirmo in nomine Domini operi manum admovimus, applicatoque parti decliviori ad aliquot horas cauſticô lunari portiunculam ab hoc intactam phlebotomo incidimus: Quo facto extemplo ac cum impetu pus album tantillo ſanguinis permixtum copioſè ſatis profluxit, cujus primâ vice fortè librâ unâ elicitâ, ulteriorem egreſſum inhibuimus, deligato & neceſſariis munito vulnere ægrum relinquentes. Altero manè turundam removemus iterum portionem puris ex vulnere dimiſſuri, cujus tamen ne guttula quidem proſiliit. Stylo igitur ferreo dum in obſtaculum ejus exitum ſufflaminans inquirimus, orificium vulneris interius occluſum obſervabatur membranula quadam, quæ ad leviſſimum attactum ſummos ægroto creabat dolores. Facilè apparuit hanc membranam eſſe ipſum peritonæum, quo ſcapelli ope de novo pertuſo, omniqúe ſic remota remora, puris iterum notabilis prodiit quantitas. Cogitatum tunc eſt de ampliando vulnere, quam intentionem inſerto fruſto Rad. Gentianæ feliciter obtinuimus, neque impoſterum de novo vulneris orificium occluderetur, turunda excavata rigidior tantæ longitudinis, ut per ipſam peritonæi apertionem internè promineret, adhibita eſt, quâ mediante & hunc noſtrum aſſecuti ſumus finem. Cæterùm primis ſtatim diebus, quo plus pu-

rulentæ colluviei partitis vicibus foras egrediebatur, & majus exinde noſter ægrotus ſenſit levamen, qui antea propter vires collapſas ferme exhauſtus, jam quaſi reviviſcere videbatur quotidie, quoad appetitum & alias corporis functiones magis magisque proficiens. Aſt quam inconſtans hoc gaudium! quam trochi in morem verſatilis poſtea illius fuit ſtatus! Etiamſi enim remediis tam internis quàm externis ipſius ſaluti proſpiceretur, Chirurgusque noſter, Dominus Gösling attentiſſimo animo quælibet neceſſaria ad hujus abſceſſus curationem dirigeret, nihilominus in tantam proceſſit diuturnitatem, ut decem fermè menſium ſpatium præteriret, antequam cum ſanitate in priſtinam rediret gratiam. Interea verò temporis quot moleſtiæ devorandæ, quot difficultates ac labores ad optatum hunc finem obtinendum mihi æquè ac chirurgo exantlandi fuerint, nôrunt, qui huic ægro fuêre præſentes, haudque ægrè fatebuntur, qui partis læſæ præſtantiam quàmque difficulter tales ſolvantur nodi, animo perpendunt. Admiratione dignum præ cæteris hoc erat, quòd non rarò, dum deligationi chirurgus invigilabat, loco puris materia alba inſtarque pultis cujusdam craſſa prodiret, ipſo Vulnere ſimul fœtidam vaporum copiam ad notabile tempus nubeculam quaſi in aëre præſentantem interdum eructante. Nonnunquam materia illa pultacea propter craſſitiem, niſi antea artificioſis injectionibus magis diluta redderetur, exitum plane reſpuebat. Majorem adhuc pariebat admirationem, quod fermè dictus abſceſſus tantam vel ichoris purulenti, vel materiæ pultaceæ quotidie exhiberet quantitatem, ut nullo modo abſit à vero,

ſi

ſi aſſeram, toto morbi decurſu plus centum libris ex eo profluxiſſe. Hinc quoque factum, ut humore nutritio hoc modo abſumto, noſtri ægroti corpus ad extremam maciem deduceretur. Muſculi ad membranæ fermè tenuitatem emarcuiſſe videbantur, vix pellis & oſſa ſupererant, ſic, ut fateri cogar, me in vita alium in tali gradu emaciatum nunquam conſpexiſſe. Favente verò Divino Numine diligenti decoctorum ex Herbis, Lignis &c. concinnatorum aliorumque generoſiorum medicaminum uſu ab hocce marcore revaluit ulcereque tandem clauſo cura ægrè, aſt ex voto tandem abſoluta eſt. Recuperata tunc ſalute ad alia abiit loca inque pharmacopolio (uti ex aliis habeo) poſtea Monaſterienſi arti ſuæ ulterius operam navavit, ubi dubio procul memor, opium temerarios non ferre jocos, cautius mercatus eſt.

SCHOLIUM.

Continet hic caſus curioſa quædam aliquali ſcrutinio non indigna: Uti enim (1) non immeritò mirari quis poteſt, qui factum, quód tanto temporis intervallo purulenta hujus abſceſſus materia recto ſemper tramite per factum vulnuſculum exierit, nulla omnino ejus portiuncula (quantum quidem ex variis apparuit ſignis) in cavitatem abdominis deſcendente; ſic (2) aliis forſan magis mirum videri poſſet, quomodo tanta hepatis læſio, præſertim cum leviſſima ejus vulnera certiſſimam non raró intulerint mortem, ſine inſequenti lethalitate ſuperari potuerit. Ut autem brevibus de hiſce meas aperiam conjecturas, reſpondeo ad Primum, bene diſtin-

guendum eſſe inter molis hujus apoſtematicæ ſummum ſtatum, & inſequens ejusdem decrementum. Summum ſtatum voco id tempus, quo maxima puris copia turgidum ac refertum ſummopere protuberabat, premens ſic immediatè peritonæum muſculoſasque ſibi incumbentes partes, ut facilè quis concipere queat, durante tali preſſurâ poſt factam inciſionem rectâ per vulnus puri exeundum fuiſſe; Diſpar autem ratio erat illo tempore, quo mole ejus poſt notabilem jam puris evacuationem magis magisque ſubſidente integumentis hepatis antea tenſis & expanſis laxior jam concedebatur libertas, ut non incredibile videretur, poſſe ſcilicet, iisdem paululum ab hepate deflectentibus, partem puris in ipſum delabi abdominis cavum. Quòd verô & tum temporis in noſtro id non contigerit ægroto, ejus rei cauſam partim in integumentorum aliquali atonia ex antecedente diuturna preſſione & extenſione contracta, propter quam minùs mobilia & conſequenter magis ponderoſa loco affecto etiam poſt ejus molem diminutam arctè incubuêre, quærendam eſſe ſuſpicor; partim verò niſi jam tum in ſtatu ægroti ſano, jecur peritonæo contra ſolitum naturæ ordinem (uti Columbus *Anatom. Lib. 15.* id ſe quondam obſervâſſe teſtatur) adnatum fuerit, probabile admodum videtur, idem hic, quod in vulneribus inteſtinorum, locum habere potuiſſe, quæ non rarò per communem cum integumentis externis cicatricem coaluiſſe, graviſſimi annotârunt Autores, quem coalitum initiò & quidem illis diebus, in quibus abſceſſus partes ſuperjacentes mole ſua vel maximè premebat, facilè in noſtro quoque ægro fieri

po-

potuiſſe, ferme ut credam recta ſuadet ratio. Secundum quod attinet quæſitum, non putem quendam inveniri, qui quamlibet hepatis læſionem pro mortifera agnoſcat. Vulnus hepatis cum jactura alicujus ejus portiunculæ curâſſe legitur Jacobus Carpus apud Foreſtum *Libr. 6. Obſ. Chir. 3. p. m. 9.* Cujus farinæ plures ex Hildano & Glandorpio celeberrimus Bohnius in elegantisſimo de vuln. Renunc. Tractatu *p. m. 370. & ſeq.* ſiſtit Obſervationes. Abſceſſuum verò hepatis per inciſionem curatorum quanquam haud adeò obvia ſint exempla, leguntur tamen nonnulla apud Schenkium *Libr. 3. Obſ. 3 p m. 409.* quorum illud quod ex Herculis Saxoniæ Operibus allegat, aliquam cum noſtro habet affinitatem. In gibba verò hepatis parte abſceſſum, de quo hic agitur, occaſione opii enatum, ſuum habuiſſe locum, facile mecum fatebitur, quisquis ſupra memoratas circumſtantias ponderabit; Quod ſi enim interiora magis occupaſſet, vix video, quomodo laceratis & exeſis ab acri ſanie dubio procul tunc vaſis ipſe ſanguis pure permixtus non prodiiſſet, quod tamen per totum morbi curſum rarisſimè factum recordor; Imò ſublata tunc ſecretione bilis icterico quôdam colore corpus defœdatum fuiſſet, quod itidem obſervare non licuit. Probabiliter igitur concludendum, abſceſſum hunc fuiſſe ſuperficialem parum profundè hepatis ſubſtantiam penetrantem, qualem ſemper cum mortis conjungi periculo, vix quisquam affirmabit.

OBSERVATIO XXIII.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De Inſigni hepatis fruſto in ipſo bombardæ exploſione per exiguam plagam extra corpus proſiliente.

TRagica, quam enarrare animus eſt, hiſtoria accidit 25tô Februar. anni præteriti in M. non procul ab urbe noſtra ſita. Degebat ibi ancilla quædam Margaretha Brunners/ quæ diu in hocce famulatu officia ſua feliciſſimè præſtiterat, non ita pridem verò murario cuidam in mœnibus illius loci reparandis occupato, ardentique eam deperienti amore deſponſata erat. Hicce ſponſus, ut dicto die, quô nimirum Bacchanalia à plebe celebrabantur conſtantis ſui amoris exhibeat ſigna, circa meridiem hypocauſtum, in quo ſponſa erat, ingreditur, interque varias delectationes, quibus recreare ejus animum ſatagit, bombardam ſecum allatam (eine Flinte vocant) tubulô ſcilicet extra feneſtram verſus aëra directô, aliquoties explodit. Hilari porrò animô cum ſponſa agens, illam de novo pulvere pyriô & multâ chartâ oneratam imponit menſæ, cumque ſe jam eandem in illius ſanitatem exoneraturam dixiſſet, vix manu admotâ infauſto fragore illa maturè nimis tamque funeſtô eventu ſolvitur, ut ſponſa trium vix paſſuum intervallô à bombardæ tubulo recta ejus abdomen reſpiciente disjuncta, ex pernicioſo ictu his ſaltem expreſſis verbis, O GOtt! exanimis ſubitò proci-

cide-

cideret caſuque inopinatô ſic, quod in ſponſæ ſalutem intenderat ſponſus, jam in certiſſimum ejus cederet exitium. Perterritus ille lugubri ſpectaculo, morienti ſimilis nutantem diu egit animam, poſtea redeuntibus quodammodo viribus in fuga ſalutem quærens, dum interim alii non minori percuſſi terrore, flammis, quas veſtimenta conceperant, exſtinguendis, alii remediis domeſticis vitæ, ſi poſſibile eſſet, revocandæ operam ſedulo navant. Quæ tamen omnia inani facta ſunt labore, vulnerata nimirum in eodem permanente ſtatu nec ullum porro vitæ ſignum edente. Sequenti die Dominus loci meam & Chirurgi vel ideò deſiderat præſentiam, ut conditionem vulneris, anque globuli plumbei clanculum forſan bombardæ immiſſi ſigna adeſſent (qualia tamen quod hic monendum, nulla inventa ſunt) diligenter inquiramus. Statim atque comparemus, maſſa mihi quædam parenchymatica ſatis craſſa ab adſtantibus offertur, latitudinem palmæ plus minus æquans, quam in ipſo ictu ex ſauciato corpore cum impetu proſiliiſſe perhibebant. Cognovi illud hepatis quandam eſſe portionem ac propterea, cùm ex minuſculo vulnere tanta moles vix progredi poſſet, plagam nos ſatis amplam inventuros eſſe ſuſpicatus ſum: Sed remoto induſio præter opinionem dextrorſum in ſuperiori epigaſtrii tractu vulnuſculum patulum, ratione magnitudinis ac figuræ parùm à foramine tubuli ferrei, ex quo lethiferi ignis in ipſam contigerat ejaculatio, diſcrepans, tamque accuratè rotundum & omni carne deſtitutum, ac ſi circino quodam circumciſorio exemta hæc fuiſſet, prodiit in conſpectum, interiùs ipſam ventriculi ſub-

ſtan-

ſtantiam oſtendens. Aliàs quoad externas corporis partes præter aliqualem mammarum aduſtionem nil notatu dignum conſpectui noſtro ſeſe obtulit; Ubi verò aperto abdomine ad interiores perventum eſt, inteſtinis paululum reclinatis, dextram hepatis partem à violentia ignis aliorumque bombarda emiſſorum in minutisſimas particulas laceratam, diſcerptam ac plurimis chartæ fruſtulis permixtam vidimus, altera verſus ſiniſtram magis inclinante ejus portione magis illæſa apparente, in qua tamen illa pars, quæ ut plurimum in ſtatu naturali ventriculi regioni dextræ ſuperius incumbere ſolet, omninò deſiderabatur, ſuperſtite nihilominus notabili vulneris veſtigio ſufficienter comprobante, id hepatis fruſtum, quod extra corpus projectum erat, violenta dilaceratione ibi ſuo privatum fuiſſe nexu. Diaphragma quoque (ut de aliis non dicam partibus, quas nil vitii contraxiſſe ocularis inſpectio teſtabatur) in variis locis tam muſculoſis quam nervoſis aduſtione quaſi ſyderatum & nigerrimo tinctum colore deprehendimus, unde repentinam mortem non tam læſo hepati (quod ad minimum unius vel alterius horulæ vitam concedere potuiſſet, quàm ipſi ſepto transverſo violentâ hâcce percuſſione motu ſuo orbato, aſſignandam eſſe judicavi, cùm neceſſariò & quidem ſubitò ſic ceſſante reſpirationis negotio, ancillæ noſtræ pereundum fuerit. Neque adeò obſcurum videri poteſt, quomodo tantum hepatis fruſtum per exiguam illam abdominis plagam penetraverit. Notum enim eſt, pulverem pyrium in tubulo bombardæ accenſum & ipſa exploſione ſub forma ignis protruſum, non ſtatim in ipſo egreſſu

per aëra diſſipari, ſed ad aliqualem diſtantiam vi quaſi unita adhuc agere, jam verò cum ancilla, de qua hic loci nobis eſt ſermo, vix trium paſſuum intervallo à bombarda ſuum habuerit locum, credibile eſt, poſt factam ab ejaculata charta abdominis apertionem ipſum pulveris pyrii ignem niſi omnem, maximam tamen ejus partem cum illa ſimul ſeſe in abdomen inſinuaſſe, qui ibidem pro ſua expanſione & dilatatione ſatis ſpatii non inveniens, portionem hepatis antea forſan ab ingeſta charta ſeparatam vulnusque epigaſtrii quodammodo occludentem violenter ſecum abripuit protruſitque foras. Sed an rectè ita ſentiam, judicent alii.

OBSERVATIO XXIV.
Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.
De Hæmoptyſi periodica plurium annorum.

HÆmoptyſis quanquam non rarò vel in phthiſin pulmonalem, cachexiam hydropicam, vel etiam ſubitaneum vitæ periculum deducat mortales, eandem tamen ad plures annos, interdum citra notabile ſanitatis detrimentum imò cum euphoria multis ægris fuiſſe familiarem, Obſervationes Practicorum paſſim teſtantur. Sic Tulpius *Obſerv. Med. Libr. 2. c. xi.* Sputum ſanguinis triginta annorum ſiſtit. Perilluſtris quoque noſtræ Academiæ Præſes in doctiſſimo Scholio ad Helvig. *Obſ. 66. ex Act. Hafn. Vol. 1.* Obſervationis illius meminit, quam de hæmoptyſi bis

ut plurimum in anno contingente, innoxia tamen & minimè in phthiſin deſinente Excell. D. Brechtfeld, antequam Glorioſiſſimæ Danorum Reginæ conſtitueretur Medicus in cive hujus loci annotavit dictisque poſtea Actis inſeruit. De quo cive annectere placet, quod poſt diſceſſum laudati D. Brechtfeldii ad multos adhuc annos periodicum hocce ſanguinis ſputum perpeſſus, neque tamen eodem, ſed paucis demum abhinc annis, cum biennium fermè ab hæmoptyſi, ante novem luſtra vixiſſet immunis, febre continua exſtinctus fuerit. Sed jam cum alio & quidem plethorico Mercatore ac Senatore hujus loci mihi res eſt, qui annos natus xxvi. ante novem luſtra cum ſponſa ſua matrimoniū iniit. In ipſo convivio nuptiali choreis potuiq; non parcitur, hilariter & læto animo omnia peraguntur, finitaque hac feſtivitate neogamus accubitum it cum nova nupta, jungitur complexu venereo & fruitur reciprocis amoribus. Aſt eheu! quantis caſibus humana omnia vertuntur, quamque nullum hujus vitæ gaudium firmis nititur radicibus! Anchoris qui jam ſuaviſſimæ conjugis fultus extra quamlibet telorum jactum eſſe videbatur, vix duarum horarum ceperat ſomnum, cum ex improviſo à tuſſi moleſta expergefactus parum deeſſet, quin ipſam cum ſanguine eructaret animam, cujus tantam rejecit copiam, ut toto cubiculo liquor hicce vitalis perflueret. Tam triſti nova uxor conterrita ſpectaculo, Medici urget adventum, qui quoque in curatione haud fruſtra deſudans ægrotum brevi meliori reſtituit ſanitatis vigori. Fatetur tunc ille, ſe jam à decimo quarto ætatis anno in hoc usque tempus ſæpius hæmoptyſi laboraſſe,

quæ ſanguinis rejectatio poſtea quotannis bis inſtante utplurimum Æquinoctiorum tempore, quanquam ille exactam diætæ normam obſervaret, certisque temporibus venæſectiones aliaque ad prophylaxin hujus morbi facientia neutiquam negligeret, conſtanter rediit, unde etiam medicamenta à celebrioribus medicis ipſi aliàs præſcripta quolibet menſe Martio & Septembri in promtu habebat, ut morbo conſueto in ſcenam prodeunte, ſine mora iis uti posſet. Anno 1674. prima vice ad ipſum vocatus non ſine ſtupore ſanguinem, cujus ad minimum 3. vel 4. libras civiles diei naturalis ſpatio ejecerat, meis vidi oculis. Continuabat ſputum cruentum utplurimum, quanquam parciùs ſemper in fine, ad octavum usque diem, quo tamen tempore effluvio hujus nectaris paulatim ceſſante ad ſubſequens Æquinoctium ab omni novo inſultu manebat liber. Ego tum temporis tanquam junior Medicus, de hoc ægroto cum b. D. Conerdingio Archiatro quondam Sereniſs. Duc. Brunſvicenſis celeberrimo ſedulo communicavi, qui præſtantioribus affatim ſuppeditatis remediis ſolicitè inculcabat, à ſubitanea criſeos hujus ſuppreſſione cavendum eſſe, ne quod facilè fieri poſſet, in deterius rueret morbus. Quod monitum apud me, qui non præcipitanter ſed ſumma cum circumſpectione ægrotis meis medicinam facere ſoleo, facile locum invenit, idque eò magis, cum non ſemel ſtatis temporibus, quibus aliàs hic morbus, ut Antæus quidam, vireſcere ac reſurgere conſpiciebatur, noſtrum mercatorem concitatiori pulſu, ſiti, continuo æſtu febrili aliisque ſymptomatibus vexatum, in ſummis anxietatibus verſari deprehenderem, quæ non priùs

quam rivulus quaſi ſanguinis ex pulmonibus & ore denuo prorumperet, evanuêre. Ut autem quæ dicenda reſtant, brevibus expediam, quovis ſemeſtri ſpatio hoc malum recruduit, ſuamque periodum ad ipſum usque vitæ finem, qui viro pio, cordato & longævitate alias non indigno, occaſione febris cujusdam continuæ Anno 1679. obtigit, poſtquam nimirum XXVI. annos in matrimonio, XL. verò periodica hacce hæmoptyſi detentus vixiſſet. Interim illis intervallis, quibus ab hoſte ſuo intactus relinquebatur, omnibus numeris ſanus viſus, pluriumque liberorum parens factus eſt, quorum aliquot adhuc vitali fruentes aura, de chronico hocce parentis morbo teſtari poſſunt.

OBSERVATIO XXV.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De Sanguinis ſputo ex neglecto venæſectionis & cucurbitularum uſu.

QUod multo uſu (egregium ſanè dictum Val. Maximi!) confirmatum inveteravit ac velut in naturam abiit, ſubito tolli ſine magna pernicie tranquillitatis humanæ nequit, ſed ita ſubmovendum, quemadmodum Sertorius revulſit pilos caudæ equi. Nota mihi Virgo, quæ à multis annis frequentibus venæſectionibus & ſcarificationibus aſſueta, ſuaſu neſcio cujus, ſubitò ac temerè de hac conſuetudine diſceſſit. Vix ſemeſtre tempus prætererat, cum ſalivam ſemper cruentam exſpueret nullo tamen in gingivis

givis apparente vitio. Fuêre interim, qui omiſſis fontibus rivulos conſectantes illarum labem ſcorbuticam accuſarent ac propterea linimenta, Tincturas aliaque contra ſtomacaccen uſualia vel illinenda vel affricanda commendarent; aſt omnia fruſtra. Fuêre & alii, qui eroſionem venæ cujusdam pulmonalis in cauſa eſſe ſuſpicabantur, quos tamen abſentia tuſſis & alia facilè refellebant. Ego ad conſilium vocatus, attento animo rem ipſam penſitans, vidensque ſanguinem nec tuſſi, nec vomitu, ſed ſola exſcreatione cum ſputo rejici, oris interiora ut diligenter luſtrarentur juſſi. Quo facto, vaſa quædam palati in culpa eſſe deprehenſa ſunt, quæ id, quicquid ſanguinis exſpuebatur, plorabant quaſi & guttatim effluere ſinebant. Hinc dictam virginem bono animo eſſe jubens, autor fui, ut omnem medicamentorum uſum relinquens, à repetitis vel venæſectionibus vel ſcarificationibus unicum peteret auxilium. Obtemperavit illa & vix ſanguine hoc modo bis educto, ab omni ejusdem ſputo libera reddita eſt.

OBSERVATIO XXVI.

D. Dn. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De miſeriis ex Podagra recurrente illatis.

OCcurrunt jam tum paſſim in hiſce Miſcell. varia ac notatu digna de hac materia, quibus, quæ in mea praxi mihi obtigerunt, annectere lubet. Præteriti anni Menſe Juniô dilectiſſimus Frater, hujus urbis

Conſul, qui jam aliquoties podagricis doloribus non parum excruciatus fuerat, de novo eosdem incurrit tolerabiles tamen, neque adeò immani torturâ moleſtos, imò citius multò, quàm aliàs ſolebant, hâc vice evaneſcentes ita, ut planè liberum ſe ab iis ſentiret. Interim paulò poſt de raucedine quadam ac levi tuſſicula querelas inſtituens remedia contra illam ex me poſcit; quæ etiamſi ex arte & ſolicitè ſatis præſcripta, nil tamen levaminis attulere, tuſſi potius quotidie incrementum capiente paulatimque magis exacerbatâ ipſam pulmonalem minitante phthiſin. Non temere hinc, ne ſanguine humoribusque lymphaticis fermentô arthriticô aliàs liberius in ipſis artubus furente infectis cogitare cœpi, idque eò magis, cum durante morbô ſubinde inſultus quidam podagrici obſervarentur, qui tamen poſt unam vel alteram horam ſubitò diſparuêre, tuſſi interim graviſſimâ in ſuo ſtatu conſtanter perſeverante, cui febris lenta cum ſputo nonnunquam cruento & intolerabilibus pectoris doloribus ſeſe aſſociâvit. Imò, ex quo ſumma humorum turbatio valde arguebatur, nonnunquam frigus manuum ac pedum ſine remiſſione ad tres vel quatuor obſervatum eſt dies ratione exitus morbi non adeò fauſta protendens. Remediis igitur ulteriùs ſubminiſtrandis non tam ad tuſſim, quàm ipſam materiam podagricam, ſi non, ut Helmontii utar verbis, in ſuo ſemine vel ſpermatica radice interimendam, ſaltem mitigandam, invertendam & partim ad laudabiliorem craſin revocandam, partim verò ad humores vitales ab ea per diaphoreſin, interpoſitô nonnunquam eccoproticorum uſu, liberandos reflexi, in quem finem varia præſcripta ſunt, ex

quibus,

quibus, ut cætera non attingam ſequentes ſpecies pro potu quotidiano calido, locô infuſi Herbæ Thee exin parando, ſalutares admodum deprehenſæ ſunt. ℞. Fol. Tuſſilag. Beton. Chamædr. Châmæpit. aa. Mj. Flor. Bellid. papav. Rh. Ros. rubr. aa. Mß. Rad. Chin non car. ſarſæparil. aa. ℥ijß. Conſol. Maj. ʒvj. Lign. ſantal. citr. ℥iij. Saſſafras ℥j. ſem. Anis. Fœnic. aa. ʒvj. CC. raſp. ʒx. Lumbric. terreſtr. exſicc. ℥iß. Paſſul. maj. exacinat. ʒvj. Præparata d. ad chart. S. Species zu die warme Geträncke. Hôc potus genere per aliquot menſes cum tali uſus eſt emolumentô, ut aliis ſimul non neglectis melior paulatim valetudinis appareret aura, fractâque magis ipſius tuſſis violentiâ, effœtæ morbo vires ita tandem reviviſcerent, ut ratione muneris publici, cui præeſt, ſuas iterum implere poſſet partes: De cujus quoque (Deo ſit laus) adhuc vigente ſanitate ipſi æque ac mihi gratulor, quam ut in multos adhuc prorogetannos ſuperemus ille Rector, animitus & affectu verè fraternô voveo.

Tragicam magis morborum ſuorum cataſtrophen ante paucos annos duo hujus loci Senatores, Domini C. H. O. & M. D. experti ſunt, quorum ille fortè 46. annorum, poſt ſuperatam tuſſim autumnalem mox ſolitis podagræ cruciatibus corripitur, quibus poſtaliquot dies paululum ſopitis, lecto nimis citò ſe ſubducit cœlôque pluvioſo exiſtente piſcatus cujusdam in loco extra urbem poſito, ſe ſiſtit ſpectatorem. Corpore igitur, præcipuè verò pedibus in ſolo paludoſo non parum refrigeratis infirmus admodum ac debilis ad ſuos revertitur lares, ab omnibus quidem podagricis doloribus immunis, tuſſi autem tam immani laborans, ut ob continuam pulmonum irrita-

tionem

tionem vix verbum proferre poſſet. Altero die in miſerrimo & periculoſo ipſum vidi ſtatu, doloſamque podagræ verſutiam ſtatim agnoſcens, nil quidem, quod ad levandum morbum pertinebat, intermiſi; aſt omnia, quotquot etiam tum à me tum ab aliis excogitata fuêre præſidia, in caſſum ſunt adhibita, morbo intra paucos dies in veram pulmonum exulcerationem degenerante viriumque, in quo aliàs vel minimum phthiſeos indicium ſe ſe haud unquam manifeſtarat, crudeliter & ſubitò è medio tollente. Infeliciter æque alterius illius modò memorati ejusdem cum antecedente fermè ætatis cecidit res hac ſaltem differentiâ, quòd alia neque tam vulgaris cauſa ad ejusdem exitium dederit anſam. Nimirum qui ſæpius jam ſub podagræ ingemuerat tyrannide, adque hanc quodammodo leniendam loco affecto aquam arthriticam illinere ſolebat, nunc denuò ex eodem morbo languens, ancillam ad pharmacopolium mittit, ut pro duobus groſſis miſnicis dictam petat aquam. Hæc neſcio cujus errore, loco illius, aquam fortem hero ſuo inſinuat, qui ſtatim ac confidenter ejus portionem volâ dextræ exceptam pedibus affricat; paulò poſt verò tum in his, tum ipſa manu inſignem ardorem excoriationemque advertens peſſimè ſe deceptum ſentit, reique veritate ab ancilla detectâ, chirurgum in auxilium vocat, qui etiam virulentiam aquæ fortis cauſticam partes ipſas ſubcutaneas jam depaſcentem idoneis facile pacavit remediis, illatamque ſanavit læſionem. Interim vix peractus erat illitus, cum ſubitò atrociſſimus alias dolor arthricus periret, quem etiam nunquam poſtea in hac vita perpeſſus eſt, quæ tamen, quamdiu

ea fru-

ea frui licitum erat, ipſi ſatis acerba & miſera exſtitit: Paulatim enim in peſſimam incidit cachexiam appetitu proſtrato, reſpirandi difficultate, tuſſi ferinâ & pluribus aliis ſtipatam ſymptomatibus, quibus, cùm multi Medici in iisdem tollendis fruſtra deſudâſſent, exacto poſt cauſtici illius remedii uſum trienniô, magis magisque contabuit ipſis tandem cedens libitinariis.

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De Puerperæ cujusdam epilepſia funeſtâ ex ſono campanarum.

Quanta ſoni in corpora animantium ſit efficacia, beatus Morhoſius (cujus præmaturum ex hac vita diſceſſum meritò totus luget adhuc orbis eruditus) eleganter ſatis in *Diſſ. de Scypho vitreo per certum humanæ vocis ſonum rupto* oſtendit. Ipſa bruta nonnunquam à ſonis mirè affici notum. Tubarum & Tympanorum ſono in conclavi excitato inſequenti die ſatis moleſtam aliàs gryllorum turbam exanimem inventam eſſe, doctiſſimus teſtatur Ledelius *Dec. 2. Ann. 7. Obſ. 46.* Ipſe canem jam in ædibus meis alo, qui ad quemlibet chelys vel alius inſtrumenti muſici ſonum lamentabili ejulatu tamdiu hinc inde diſcurrit, donec vel fuſtibus abigatur, vel ipſius muſicæ adſit finis. Ridiculum, quod nonnulli ad lyræ ſonum ab urinæ redditione ſe continere non potuerint, uti id aliquot exemplis *Dec. 1. An. 1. Obſ.*

Obſ.134. confirmatur. In ſpecie verò, ut de campanarum ſono nonnulla addam, quendam quoties eundem audiebat, hæmorrhagia narium correptum eſſe, teſtatur Excell. Blancardus *Colleƈt. Phyſ. Med. Cent. 6. Num. 74.* Alios exinde in animi deliquia, alios in Epilepſiam incidiſſe paſſim apud fide dignos legitur Autores. Exitialis præteriti anni Menſe Februario fuit hic loci honeſtæ cuidam puerperæ campanarum ſonus, quæ ex difficillimis partus laboribus mirum in modum enervata acutâ admodum febri malignitatis præ ſe ferente notas detinebatur. Omni induſtriâ neceſſaria morbo oppoſui medicamenta; neque ſpes de ipſo feliciter tollendo vacillavit, præſertim cùm in nonum usque diem ſymptomata vel mitiora apparerent, vel ſi quæ gravius ægrotam afficerent, eorum tamen furor adhibitis adhibendis haud adeò operosè infringeretur. Accidit autem circa quartam pomeridianam diƈti noni diei, ut in vicino templo vix triginta paſſuum intervallo à cubiculo, in quo illa decumbebat, diſtante ad Feſtum ſequentis diei populo intimandum, omnes ſubitò pulſarentur campanæ, quarum ingenti ſtrepitu & ſono non parùm commota noſtra puerpera acerbiſſimas totius corporis incurrit convulſiones, ſpumâque copioſâ ex ore prorumpente tam dirum patitur morbi comitialis paroxyſmum, ut viribus exin magis labefaƈtatis ab illo tempore ejus calamitas ingraveſcere omniaque interitum minari viderentur. Ego toto peƈtore conſternatus, ſedulò ſaluti ejus invigilans, ſollicitâ medicaminum exhibitione epilepticos quidem inhibui inſultus, non tamen impedire potui, quin inſequenti die admodum campanis ite-

rum concrepantibus delirans & valde anxia ægrota, etiamſi aures ſibi obturari curaſſet, ter quaterve terribiliter convelleretur proſtratôque ſic omni virium robore paulò poſt inter preces & ſuſpiria adſtantium placidè obdormiret. Cæterùm, uti initiò hujus obſervationis memorata exempla ad nonnullorum idioſyncraſiam referenda ſunt, ſic hoc, quod addidi, terroris potiùs arguere efficaciam, quilibet videt, de cujus vi ſequentia ut annectam, Lectori forſan haud erit ingratum.

Fig. XLIV.

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De Repentina ex terrore cœcitate, cum inſequenti epilepſia, feliciter ſanata.

ANno 1695. d. 30. Octobr. N. B. mulier adhuc juvenis vigeſimum ſecundum vix transgrediens annum, dum menſæ aſſidens fortè infantem ſuum, quem antea non procul ab eadem menſa in ſella quadam collocaverat, gravem videt minitari caſum, citò advolans eundem manibus exceptum, ex diſcrimine feliciter quidem eripit, perterrita interim illa ita ut cunctis artubus contremiſceret, ſtatim de viſus titubatione & obtenebratione oculorum conqueritur, putans igitur id, quicquid ſit morbi, vel ſponte remotum iri, lectum petit ſomnôque oppreſſa ſatis ſecura in multam dormit lucem. Expergiſcens tandem oculorum lumine totaliter ſeſe privatam ſentit, unde maritus ac parentes meam citò implorant

opem. Accurro rerumque anteactarum ignarus ad primum afflictæ conſpectum detracto pileo præmiſſaque officioſa ſalute meliorem ſanitatis auram ei apprecor. Non verò videns ullum reſalutationis ſignum vel ipſa invita me accerſitum, vel brevi eam neſcio ex qua c auſa inſolentiorem factam eſſe jocoſis alloquor verbis. Ipſa verò re, uti erat, ex adſtantibus cognita, jocum in commiſerationem verto, inque oculis nil vitii animadvertens, heſternam amauroſin dubio procul ob humorum per terrorem nimis commotorum nervosque opticos vel obſtruentium, vel indecenti preſſurâ afficientium in horum confinio coacervationem jam tandem in veram abiiſſe cœcitatem comperio, unde quoque non levem cerebri arguens turbationem, ni acceleratis armis morbi cauſa in herba, quod dicitur, exſtinguatur, facilè graviora ſuccedere poſſe mala, prædixi. Neque verba mea adeò vana fuiſſe eventus docuit. Poſteaquam enim Chirurgum ad phlebotomiam in alterutro brachiorum adminiſtrandam citiſſimè advocari juſſeram, ſimulq; brevi me ipſi iterùm adfuturum promiſeram, diſceſſi ad alios interea temporis me collaturus ægros. Nondum verò parentum ad fores ædium usque me comitantium conſpectui me ſubduxeram, cùm miſerô ejulatu & tremente voce revocarer; Reditum ſine mora accelerans ægram repentinô caſu in terram dejectam manuum, pedum, oculorumque horrendâ contorſione, dentium ſtridore, ſpumæ per os eruptione, ſenſuum omnium abolitione, unôque verbô vehementiſſimâ excruciari deprehendi epilepſia; contra quem Herculeum morbum etiamſi Herculea verè & præſtan-

ſtantiſſima præſcripta fuerint medicamina, ad duos tamen circiter dies naturales omnem eluſit operam ex ſingulis horis quartam ad minimum ſibi vendicans partem, quâ ſemper miris concuſſionibus miſerum affligebat corpus, ut vix de recuperanda ſalute ulla ſpes ſupereſſet. Aſt annuente Divino Numine ex diligenti medicamentorum uſu in tantum profecit, ut laxatâ paulatim vi morbi, cum diris illis convulſionibus cœcitas ipſa evaneſceret; remanente ſaltem aliquali viſus obſcuritate, quæ tamen ipſa præcipuè diaphoreticorum uſu intra paucos dies feliciter curata eſt ita, ut in hunc usque diem gratisſimâ luminis fruatur uſurâ fomiteque epilepticô, ne vi ejus in inſidiis relicti in hanc Scyllam iterum incidere poſſet per varias corporis vias eliminatô à morbo comitiali vivat immunis.

OBSERVATIO XXIX.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De Rara quadam in Fago viſa figura.

MIrandos naturæ luſus circa vegetabilia obſervatos inque Annorum præcedentium Tomis à curioſis delineatos ac copioſè ita deſcriptos eſſe non ignoro, ut fermè dubitem, an, quem proponendi animus eſt, annectere iis audeam. Interim, ut hoc faciam, jubet Reverendiſſimus ac Celſiſſimus JODOCUS EDMUNDUS, Epiſcopus & Princeps noſter Clementiſſimus; jubet ipſa rei curioſitas, quam oblivione nullô modô ſepeliendam judico. In pago

ret ſuſpicionem, cujus figuræ delineationem curioſorum oculis, ut eò meliùs de ea judicare queant, exponere volui, quibus & ipſum protypum, quod ex clementiſſima Celſiſſimi noſtri Principis indulgentia inter rariora mea in propriis ædibus cuſtodio, monſtrare poſſum. Cæterùm an talium rariorum naturæ operum ſignificationes, quas interdum acuta de iis in medium proferunt ingenia, firmo ſemper nitantur fundamento, mearum partium non eſt, ut hic loci prolixori diſcurſu inquiram. Si tamen in re obſcura quid conjectare licet, meo judicio non peccabit, qui per literam H Hildeſienſe territorium, per ſignum vero X crucem Salvatoris noſtri intelligit, piamque Amici cujusdam ſententiam, quam ſequentibus de hac materia expreſſit verſiculis, pio amplectitur animo.

Hæc ea forma fuit fagi, quam ſtipite fiſſo
 Lignator reperit ruſticus atque ſtupet.
Inſolitum, non artis opus ſpeculantibus extat,
 Si videas, certum dixeris omen ineſt.
Hildeſienſe ſolum, ni fallor, litera ſignat,
 Quòd ſub vexillo militat hocce crucis.
Vinces in ſigno hoc tellus charisſima vinces.
 CruX tibi juncta fide læta trophæa dabit.

(Hildeſiâ Auguſtam Vind. Menſe Januar. Anno 1697. miſſæ.

OBSER-

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De Vermibus Nivalibus.

Quod olim in Ungariâ obſervavit Excell. D. Car. *Raygerus*, cecidiſſe cum nive vermes, idem etiam in Patriâ contigiſſe dubia primùm fama tulit, ſed non ita pridem perſonæ fide dignæ unanimiter confirmârunt: ſcilicet ſub finem anni nonageſimi ſexti, die vigeſimo ſeptimo Decembris ſtyl. vet. prope Biſſingam pagum præfecturæ Kirchemenſis, cujus fata nuper ſingulari obſervatione indicavi, in campo ſuper nivem recens modò delapſam comparuiſſe plurimos vermes, ſive parvas nigricantes erucas, non ſine vitali motu, cùm hinc inde reptaverint, translatas autem in calida hypocauſta (& hîc ſubita mutatio periculoſa) brevi fuiſſe emortuas. Unam atque alteram ipſarum conſpicere & examinare mihi licuit, ſed exſiccatas jam & in literis, quibus incluſas acceperam, compreſſas. Agnovi autem iſtis, quas in Eph. Dec. I. Ann. IV. delineari curavit Laud. D. *Raygerus*, adeò in totum ſimiles, ſive magnitudinem ſive ſex pedes ſive annulos aut inciſuras, omnemque reliquam figuram ſpectes, ut ſpecie easdem pronunciare non dubitem, & ulteriore deſcriptione novâque delineatione hinc ſuperſedeam, curioſum Lectorem ad iconiſmum cit. Eph. tom. remittens.

In ætiologiæ extraordinarii hujus phænomeni brevibus me expedire potero, cùm ruſticorum ratiocinium variis aliorum ſententiis mihi jure videatur præferen-

ferendum. Illi itaque vermes non in nive, quales quidem citat *Ariſtoteles*, non in terrâ ſub nive, non in nubibus genitos, ſed ex nidis inſectorum ab unâ alterâve arbore decuſſis omninò veriſimiliter deduxerunt; quibus ut calculum adjiciam, ſequentibus moveor rationibus. Amant enim inſecta iſtiusmodi congregationem, hærent nidi foliis antiquis ramisque arborum magis minusvè implexi, expectantque calorem excitantem, qui utique die iſto notabatur extraordinarius, (ſenſuum teſtimonio qui hyeme ſubitò remittens frigus teporem judicant) exceperat enim diuturnum gelu blandior aura mitisque, adeò ut poſt meridiem nix liquationi videretur proxima; nec ventorum impetum defuiſſe probabile eſt tali die, qui totus nivalis extitit. Imò temperatum & vivificandis inſectis convenientem oportet fuiſſe aërem, qui fovit culices, quos eodem tempore eodemque loco viator quidam ut examen apum volantes offendit, non aliter ac parvos ſcarabæos muſcasque unà cum vermibus obſervavit *Raygerus*. Culices autem è vermibus ſ. eruculis vel iisdem vel certè non diſſimilibus excludi, docent obſervationes Dnn. *Menzelii* & *Wagneri* Eph. D.2. A.1. & 3. ubi generatio culicum univoca, totusque proceſſus excluſionis ex ovo, & mutationis è verme in muſcam clare deſcribitur. Favet locus, productioni & diſtributioni inſectorum idoneus, quippe humidus, non procul enim diſtantes aliquot lacus in mappâ geographicâ video, (noti autem ſunt Rhenani culices) & vicinas eſſe arbores perhibent, qui ibi fuerunt. Nec aliam loci conditionem fert ipſa hiſtoria, qua non niſi in certo & determinato ſpatio ver-

mes repertos fuiſſe confirmatur. Id modò dubium videtur, an vermes nidum ſuum in arbore jam deſeruerint, hinc delapſæ & à vento diſperſæ fuerint, an vero in & cum nidis abreptæ, ſupra nivem demum prorepſerint? Equidem an talem nidum aut exuvias vermiculorum in culices transfiguratorum obſervaverint accolæ, vel ut fieri ſolet, incurii non attenderint, etiam reſpicere non potui.

Huc tamen referre juvat globum à D. *Spilenbergero* in Eph. D. 2. A. 2. obſervatum pugni magnitudine, conſtantem ex parvulis admodum vermiculis, quorum nonnulli ſupra nivem reptitârint, alii verò elatis minimis alis avolaverint. Qui per microſcopium exigua iſta animalcula, nudis oculis pulviſculos tantum nigricantes æmulata, tunc examinavit Illuſtris *Præſes*, globum illum aliquot eorum myriades continuiſſe judicat, & in uno alteroque ſex etiam pedes deprehendit. Lucem noſtro caſui fœnerari poteſt hæc inſectorum multitudo & figura, utut in diverſum abeat magnitudo, quâ non obſtante, liceat noſtram quoque pluviam ſ. nivem portentoſam, uti globum iſtum, cum Laud. Dn. D. *Schröckio* deducere â vermibus ex ovis jam olim excluſis, & ad hyemalem requiem alicubi compoſitis, tum ventorum impetu abreptis, & in tepido aëre ſuſcitatis. Cui ſententiæ etiam nuperrimè ſubſcripſit, qui ex Ephemeridibus hiſtorias iſtas in œconomiam mundi mirab. tranſtulit, Dn. *Zahn*. Et iſta quidem hâc vice ſufficiant, quid enim inſecta portenderint, expediant alii &c.

(Tubingâ Auguſtam Vind. d. 9. Febr. A. 1697. miſſa.)

OBSER-

OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

De ſeri in ſanguine lenteſcentia.

Obſervatio *Excellentiſſimi Domini Schelhämmeri* quondam in Academia Helmſtadienſi Præceptoris mei, anno proximo communicata, de ſeri ſanguinis lenteſcentia, ſimilem ut adducam monet. Rectiſſime autem vir accuratiſſimus diſtinguit inter cruſtam gelatinoſam, ſuperficiem ſanguinis obtegentem, & chylum cum ſanguine permixtum, quibus & tertiam quaſi ſpeciem in altero tamen ſexu, lac ſcilicet genuinum addendam eſſe, elegans obſervatio *Domini Chriſtiani Niſtkii*, Anno primo Decuriæ primæ, occurrens, evincit, prima verò ſpecies uti *Dominus Schelhammerus* notat, non in febricitantibus tantum & pleuriticis, ſed & cacochymicis occurrit. Idem enim ante annum deprehendi in Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Domino Barone de Pl. cum ei vena in brachio ſecaretur, ut non ſolum ſuperficies, ſed & dimidia ſanguinis maſſa ſpiſſius lac referret.

Uti verò ejuſmodi abundantia ac lenteſcentia ſeri imprimis à copioſo & pinguiori nutrimento exiſtit, chylo ſcilicet ſimul & copioſam maſſam ſanguineam obruente, & acore ſuo exaltationem ſulphuris vitalis impediente, ceu præclarè demonſtrat, *Excellentiſſimus Dn. Theodorus Zwingerus*, Hoſpes quondam meus in Academia Baſileenſi, Anno ſe-

cundo Decuriæ tertiæ miſcellaneorum, usque eò magis ſi propter vitam ſedentariam tardior motus & conquaſſatio ſanguinis contingat, ſegniorque adeo colorati iſtius Sulphuris evolutio procedat, ut elegantiſſimis verbis *Illuſtriſſimi Domini Præſidis Schröckii* ex Anno ſexto Decuriæ ſecundæ, loquar. Ita utraque cauſa in prædicto Domino Barone ſubeſt, namque tam in prandio, quam cœna cibos in majori quantitate aſſumere conſuevit; ac propterea vitæ valde ſedentariæ & ſolitariæ eſt.

Nec tamen omni periculo res vacat. Quamvis enim *Excellentisſimus Raygerus* Anno ſexto Decuriæ primæ, ejusmodi ſanguinem in quodam optimæ conſtitutionis, & temperamento plane ſanguineo obſervarit, & in *Scholio Sachſiano* ad annum primum Decuriæ primæ (ubi de materia hac copioſiſſimè agitur) quoque exemplum virginis occurrat, bona valetudine fruentis; impoſſibile tamen eſt, ſanguinem ejusmodi, ſive ſero ejusmodi lenteſcente ſcateat, ſive integer albeſcat (gradu enim tantum hæc differre arbitror) non exiſtere non morboſum, utpote à cauſa ſulphur ejusdem rubicundum, in quo eſſentia ſanguinis conſiſtit, deprimente ortum, & inprimis in ſexagenario. Hinc quoque laſſitudine afficiuntur, conſummatique ſcorbuticæ exiſtunt, inque cachexiam labuntur, quibus ſanguis ejusmodi proclivis eſt, docentibus id obſervationibus Societatis noſtræ, ejusque imprimis *meritisſimi Præſidis, Dn. Schröckii*, Anno nono Decuriæ ſecundæ, & *Excellentisſmi Smidii Dantiſcani*, (cujus filium in Academia Helmſtadienſi quondam Convictorem, propter egregias animi dotes adhuc ſuſpicio) Anno tertio Decuriæ

Decuriæ primæ. Ad quartanas præterea proclives ſunt, docente hoc *Illuſtriſſimo Pechlino* in aureis ſuis obſervationibus. Singulare autem quodque præſentem caſum maxime tangit, eſt, quod *B. Gabriel Clauderus* Anno ſeptimo Decuriæ ſecundæ notat, lento gradu cœcitatem ad ejusmodi ſanguinis conſtitutionem ſubſecutam fuiſſe.

Quamquam verò illuſtriſſimus Æger, & laſſitudine inſigni, pedumque tumore, & dyſcraſia ſcorbutica maxime laboret, tamen ab anno circiter, viſus ipſi in utroque oculo obſcurari cœpit, cum dolore frontis & dextri lateris in capite gravativo, memoriæque imbecillitate. Ante dimidium annum, cum in Weſtphalia bona hæreditaria viſitaret, catarrho Apoplectico in dicto latere corripi cœpit, quo quamvis à celeberrimis ejus loci medicis levatus ſit, pupilla tamen oculi iſtius lateris ab eo tempore albugine laborat.

OBSERVATIO XXXII.
Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.
De Recidiva febris cortice Peruviano fugatæ arte procurata.

OCcaſione obſervationis Ledelianæ de recidiva febrili ex uſu lactis, proximo anno inſertæ, non poſſum, quin etiam communicem haut abſimilem, quam relationi Illuſtris Medici, *Domini Rudolphi Weſthovii*, Archiatri Electoralis Brunſuigo-Luneburgici, cum nuper apud quendam ægrum una eſſemus, debeo

debeo. Scilicet obſervavit ille, febrem uſu corticis Peruviani abactam, ab eſu capitis porcini fumo indurati ſemper recidivam habuiſſe, quod ipſum adeò certum fuit, ut quoties ægri ab aliis Medicis curati ipſi ſe offerrent, nec de formulis receptorum quicquam ipſis conſtaret, is ſaltem eſum capitis porcini fumo indurati ſuaſit, experimento nunquam fauente. Cauſa autem, quam laudatiſſimus Archiater ſuppeditat, ex Epiſtola mea ad *Illuſtriſſimum Leibnizium* de recidivis, Anno ſecundo Decuriæ tertiæ inſerta, facile colligere eſt, fermentum ſcilicet ſtomachi imbecillius, & ab edulio ejusmodi, non ſolum corpori humano alendo minus idoneo, ceu *Excellentisſimus Ridlinus* anno ſecundo linearum, egregie monet, ſed & inſuper ſingulari viſcoſitate prædito, obrutum, unde febris recidiva neceſſario inſequi debuit.

OBSERVATIO XXXIII.
Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.
De Calculoſa conſtitutione.

ELegantiſſima obſervatio eſt, uti omnes, quas ex ſectionibus defunctorum communicat *Excellentisſimus Hartmannus*, proximo anno occurrens, conſtitutionesque calculoſorum, & eosdem curandi difficultatem apprime edocens. Cum autem deprehenderit, parenchyma renis ſiniſtri totum in panniculum quaſi carnoſum conceſſiſſe, non poſſum quin referam, quid hoc in paſſu ante annos non ita mul-

tos

tos in ſectione Aſthmatici cujusdam deprehendit Honoratiſſimus Agnatus meus, Archiater Ducalis Brunſvigo Luneburgius in aula Guelpherbytana. Parenchymata ſcilicet renum à calculis, quibus per multos annos æger laboraverat, adeo exeſa, ut nil niſi cutis adeſſet, in qua adhuc multi calculi latebant. Dein in veſicula quoque fellis calculus magnitudine nucis juglandis repertus eſt, pendens drachmas quatuor, quo ipſo confirmatur elegans aſſertum *Illuſtris Pechlini in obſervationibus*, calculum ſcilicet non unius partis aut fermenti vitium eſſe, verum toti complexioni inhæreſcere idque vitio ventriculi, ceu *Excellentisſimus ejusdem collega, Dn. Hannemannus*, Anno quinto Decuriæ ſecundæ, & *Illuſtrisſimus Præſes Schröckius* in Scholiis ad obſervationem illic adductam, recte & ad uſum practicum accommodatiſſime notant.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

De Membranis per anum ſecedentibus.

VAria ſæpe ex alvo excernuntur, tam præter naturam in corpore exiſtentia, quam de ipſa partium corporis ſubſtantia decedentia. Singularisque admodum obſervatio eſt inſignis quondam medici apud Wratislavienſes, Chriſtophori Rumbaumii, quam recenſet *Schenkius*, particulam coſtæ ſpuriæ fractæ, palmæ unius longitudine ſeptimo die per alvum excluſam fuiſſe. Non poſſum autem quin & occaſione du-

duplicis obſervationis anno proximo alterius ab *Excellentisſimo Thomaſio*, alterius vero ab *Excellentisſimo Roſino Lentilio Oribaſio*, parallelisſmo inſertæ, de meo qualicunque penu quippiam haut abſimile conferam. Annus eſt cum virgo quædam, celeberrimo iſti monaſterienſi Chiliarchæ, Dno. Corvey, ſanguine juncta, per matronam mihi denunciaret, ſibi poſt octiduanam diarrhœam, quippiam ex ano propendiſſe, quod aliquoties digitis repoſitum, ſemper iterum proruperit, dimidiæ ſpithamæ longitudine, craſſitie & rotunditate digito haut abſimile, ſiccitate vero & duritie inſtar baculi, colore nigrum, donec denique cum reponi non poſſet, egeſturienti inopinato in cloacam deciderit. Exin fruſta quædam membranacea ſicca digitum transverſum lata, longitudinem vero æquantia aliquot dejicit, alternis ternisque diebus cum dolore dorſi & abdominis imprimis circa hypogaſtrium & umbilicum, qua in regione ſimul contractionem aliquam percipit. Poſt aliquot dies de novo maſſa ejusmodi ſe oſtendit, tumque meum expetiit conſilium. Ad tunicam internam inteſtinorum hæ membranæ referri non poterant, cum ejusmodi ſeceſſio vix absque ſanguinis, aut præcedente puris fluxu contingere nequeat, quale quid tamen hic obſervatum non erat, & membranæ ipſæ duriores exiſtebant, firmioresque, quam ut interior inteſtinorum tunica præſumi poſſet. Potius ad veſiculas quasdam aquoſas, vaſculis lymphaticis ex naturæ luſu donatas referendæ, quarum præſentem caſum non parum illuſtrans exemplum notavit *Hagedornius* Hiſtoriarum Medico-phyſicarum centuria ſecunda. Quibus ſcilicet ruptis humor ſenſim exſtillans

diar-

di arrhœam aliquot dierum procuraſſet, quem dein continentes membranæ inſecutæ ſint. Vidit alias *Helmontius* virum, qui à longo ventris cruciatu membranas multas excerneret, quæ exſiccatæ & clavis aſſeri affixæ pergamenum mentiebantur. Ægra verò dicta abſtergentibus traumaticis uſa benè convaluit.

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

De Flatibus in Inteſtinis quædam Phænomena.

OBſervatio lectu digniſſima eſt, quam ex anatome viri, qui veneficiis interemptus creditus eſt, formavit annoque proximo inſeruit *Excellentisſimus Donus Nebelius.* Scilicet ea flatuum in Inteſtinis conditio ſæpiſſimè eſt, ut animalculum vivum ſubeſſe, tam ex doloris quam motionis ſenſu arguatur. Idem obſervavit *Excellentisſimus* quondam patriæ noſtræ Medicus, *Hermannus Conerdingius, Senior,* in quodam nobili cui flatus in ventre oberrantes, motus, quaſi animalis calcitrantis efficiebant, ceu id ipſum ex conſiliis *Reineri Solenandri* apparet. Simile in fabro quodam lignario deprehendit *Hôferus,* & in Hyſterica quadam *Excellentisſimus Muraltus,* decuriæ ſecundæ año ſeptimo miſcellaneorum; ſonitus clamoſi inſtar viperæ meminit *Excellentisſimus Reiſelius,* anno eodem. In quodam colicæ paſſioni obnoxio, Honoratisſimus Agnatus meus, Dn. Archiater

Guelpherbytanus, ipſas coli cellulas tactu deprehendit.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

De Experientiæ Hippocraticæ autoritate.

MAgna ſemper experientiæ Hippocraticæ exſtitit autoritas, & aphoriſmorum ejusdem genuina interpretatio non niſi ex ipſa praxi deſumenda fuit. Idem cum ubique, tum præcedente æſtate in muliere quadem juvencula obſervavi, quæ cum bubone primum ſub axilla ſiniſtra erumpente, inſigni humerorum dolore, torporem manuum inducente, circa ſolſtitium æſtivum corriperetur, egoque inter Autores, quos conſulebam, in locum iſtum qui II. Prædict. num. 33. exſtat, inciderem, miratus ſum, qualis communicatio eſſe poſſet inter articulorum dolores & vomitum materiæ nigræ, & quo pacto hic ipſe iisdem ſupervenire poſſet? Vix autem duo tresve dies elabebantur, cum ægra hæc materiam nigerrimam vomere inciperet, cum anxietate præcordiorum maxima, æſtu interiorum, vigiliis, adeoque febri quaſi maligna, quæ ſymptomata quidem primum paulum mitigata, dein ita recruduerunt, ut vomitu puris craſſi veluti amurca ſingulis duabus tribusve ſeptimanis, præcedente ſiniſtri hypochondrii dolore & ſomnolentia, redeunte ac affligente, tandem circa ſolſtitium hyemale exſpiraret mulier opti-

optima, maritique ſui imprimis amantiſſima, & vita longiore digniſſima. Pancreas corruptum & quaſi limoſum non immeritò quis judicaverit.

(*Miſſæ Hildeſiô Noribergam d. 16. Febr. Anno 1697.*)

OBSERVATIO XXXVII.
Dn. D. EBERHARDI GOCKELII.
De Spasmo ſectioni herniæ ſuperveniente lethali.

Anno 1696. Menſe Novembri, Joh. Bitterloff Ruſticus mediæ ætatis hernioſus, ex Pago Pful, propè Ulmam ad recuperandam per ſectionem priſtinam ſuam valetudinem, Ulmam ſe recepit, ibidemque ſe manui alicujus exercitati Chirurgi ſubmiſit, à quo etiam in præſentia quorundam Medicorum & Chirurgorum feliciter ſectus & decenter tractatus eſt; Hic patiens ad duodecimam usque diem benè habuit, quibus præterlapſis, ex improviſo ſpasmo laborare cœpit, qui etiam in tantum invaluit, nervosque ac muſculos gutturis, temporum ac genarum ita obſedit, ut os ad comedendum vix aperire, nec deglutire vel reſpirare potuerit, & capite pronus in lecto, ac ſi fune tenſus & ligatus eſſet, ſedere coactus fuerit.

Cujus cauſa externa corporis refrigeratio ab aëre externo algido, per ineuntes & exeuntes tempore hyemali ſæpius in anguſtum hypocauſtum immiſſo, interna verò humores acri-ſalini, auſteri & aluminoſi, nervos infeſtantes & contrahentes, ve

ſanies nervos vellicans, & ſurſum verſus ſuum principium contrahens fuit.

Ego ad hunc patientem vocatus, ipſi ſequentia remedia præſcripſi. Et quidem internè. ℞. Pulv. lumbric. terr. ℥j. CC. phil. præp. Pulv. Epilept. Marchion. Cephal. Michael. Auguſt. aa. ℈j. Caſtor. ℈ß. Ol. macis. gutt. iij. M. f. Pulv. ſubtil. de quo, quantum cultri cuſpide capi poteſt, de die aliquoties in aqua Ceraſ. nigror. patienti exhibeatur; Et ℞. Aq. Ceraſ. nigr. flor. tiliæ pœon. aa ℥j. hirund. cum caſtor. Epilept. Lang. aa. ℥ß. Confect. Alkerm. ʒß. Lap. Bezoard. Or. gr. v. Margarit. præp. Pulv. Marchion. Cephal. Michael. aa. ℈ß. ſacch. perlat. ʒij. M. Doſis Cochleare unum vel alterum, ſæpius repetendo. Ad hæc, Clyſter etiam ſequens fuit applicatus. ℞. Herb. 5. emoll. flor. Chamomill. Verbaſci ſummit. aneth. aa Mß. Sem. lini ℥ß. decocti hordei q. ſ. fiat l. a. ebullitio, Colatur. ℞. ℥vj. in qua diſſolv. Elect. lenit. Florenz. Diacathol. aa ℥j Ung. Clyſmat. ℥j. Axung. anſer. gallin. anatis aa. ʒvj. Vitell. ovor. num. 2. M. f. Clyſter. Externè, nucha, collum, genæ, ſpina dorſi, & venter tali linimento calidè fuere inuncta. ℞. Ol. Chamomill. roſar. lumbric. terr. de caſtor. anethi aa. ʒvj. Terebinth. pingued. homin. Canis aa. ʒj. M. d. ad fictile.

Sed omnia hæc remedia ſine optato ſucceſſu fuêre adhibita, ac dictus patiens ingraveſcente morbo & ſymptomatibus occubuit, ſicque effatum Hippocratis adimpletum eſt, qui ſect. 5. aphoriſmorum ſecundo inquit, convulſio (vel ſpaſmus) vulneri ſupervenienſ, lethalis.

OBSER-

OBSERVATIO XXXVIII.
Dn. D. EBERHARDI GOCKELII.
De ſpasmo incipiente poſt ſectionem herniæ curato.

Anno 1696. Menſe Decembri, Michael Huzelin, Civis Ulmenſis & alutarius hernioſus à Georgio Riedlino, Chirurgo & Lithotomo exercitato feliciter ſectus fuit, qui etiam per duodecim dies benè habuit, ſed poſtea tenſiones ſpasmodicas circa malas & tempora, ita ut vix os aperire potuerit, nec non in ventre cum calore aliquo corporis præternaturali, pulſuque celeri ac duro perſentire cœpit, cui ego ſtatim in principio vocatus, ſequentia remedia ordinavi. ℞. Herb. emollient. aa. Mß. Agrimon. Flor. Chamomill. ſummit. aneth. aa. Mß. ſem. lini, fœnugræc. aa. ℥ß. M. & conciſ. f. cum decoct. hord. q. ſ. ebullitio, Colatur. ℞ ℥viij. in qua diſſolv. Mell. roſ. colat. ſacch. Thom. aa. ℥iß. Ol. Chamomill. aneth. aa. ℥ß. Vitell. ovor. num. 2. M. f. Clyſter. à quo maximo cum levamine aliquoties dejecit.

Duabus poſt Clyſterem horis vena mediana brachii ſiniſtri ſecta, poſt aliquot dies ad metum recidivæ repetita, & ſingulis vicibus ſanguinis ℥iij. vel iiij. ſubductæ fuerunt. Poſtea ante ſomnum talem pulverem una vice in aqua Ceraſorum nigrorum ſumſit, cujus uſum poſtea per biduum manè & veſperi continuavit. ℞. Pulv. Cephal. D. Michael. ℈j. d. ad chartam. Externè circa collum & nucham Cataplasma ex herbis radicib. & ſeminib. emoll. cum lacte coctum, addito Ol. roſar. Chamomill. lumbricor. &c.

calidè fuit applicatum; Spina dorſi tali ſpiritu illita, ℞. Spir. lumbricor. terr. ℥iß. Spir. ✱iac. ℥ß. Et venter Oleo roſarum, Chamomillæ, lumbricorum, & unguento nervino invicem mixtis, inunctus.

Die 11. Decembr. anguſtiam circa pectoris regionem, cum tenſione ventriculi & imbecillitate virium ſenſit, cui vinum Cydoneorum auxilium tulit; circa veſperam verò venæ hæmorrhoidales ſanguinem fuderunt, à cujus fluxu dicta ſymptomata ceſſarunt. Die 15. Decembr. rurſus de tenſione ſpasmodica & alvi conſtitutione conqueſtus eſt, & vix os aperire potuit, cui ſequentia remedia ordinata fuerunt. ℞. Herb. rorismarin. ſalv. Agrimon. Origan. hyperic. lavendùl. aa. Mß. Flor. Chamomill. ſummit. aneth. aa. Mß. Rad. alth. lilior. alb. aa. ℥ij. ſem. lini, fænugr. aa. ℥ß. Decoct. hord. ℔j M. f. ebullitio, Colatur. ℞. ℥viij. in qua disſolv. Ung. Clyſmat. ℥j. Elect. Lenitiv. Florent. Diacathol. aa. ℥vj. Axung. anſer. anatis aa. ℥vj. vitell. ovor. num. 2. M. f. Clyſter. Hora una poſt Clyſterem vero mediana fuit ſecta. Pro confortando cerebro & nervoſo genere ſeq. Aqua Cephalica fuit ordinata ℞. Aq. Ceraſ. nigr. flor. til. ſalv. cum vino deſtill. pæon. aa. ℥j. hirund. cum caſtor. Epilept. Lang. aa. ℥ß. Cinam. ſtill. ℥ij. Spir. Cephal. Anhalt. Compl. ℨj. Confect. Alkerm. compl. ℈j. Pulv. Cephal Michael. Epileptic. Marchion. aa. ℈j. Lapid. Bezoard. Occid. gr. v. ſacch. perlat. ℨiij. f. mixtura cochleatim ſumenda. Et ℞. Pulv. Cephal. Michael. ℈j. Aq. Ceraſ. nigr. ℥iß. Eſſent. caſtor. cum Spir. Vin. extr. gt. vij. M. pro doſi una. Externè, ℞. Ung. dialth. Martiat. Agripp. aa. ℨiij. Ol. de caſtor. ℨij. M. d. adſictile pro inunctione calida cervicis, genarum & temporum.

Die

Die 16. Decembr. ad reſolvendam materiam ſpasmodicam ſeq. ſudoriferum dedi, ℞. Rob. Juniper. Elect. Diaſcord. Fracaſt. Theriac. Androm. aa ʒj. ▽. Card. Bened. ℥iß. Spir. Cochlear. ℈ß. M. pro Doſi. Ad laxandam alvum, ℞. Decoct. hord. ℥x. in quo diſſolv. Butyr. rec. ℥iß. Ol. Olivar. ℥j. Vitell. Ovor. num. 2. M. f. Clyſter domeſticus. Die 17. Decembr. Clyſter hic circa veſperam fuit reiteratus. Et ℞. Eſſent. Caſtor. cum Spir. Vin. extract. ʒj. Spir. beccabung. naſturt. aa ℈ß. M. d. ad vitr. Doſis gutt. vij ad x. in aqua Salviæ. Ac, ad humores acri-ſalinos & ſcorbuticos eliminandos, alvumque apertam conſervandam, ℞. Herb. Majoran. Rorismar. Salv. nob. beccabung. naſturt. Agrimon. Cochlear. Scolopend. aa. Mß. Rad. Caryophyllat. Raphan. marin. aa. ʒij. Angelic. ʒj bacc. Lauri, Junip. aa. ʒiß. Rhabarb. Monach. ℥ß. fol. ſen. Alex. ſ. ſt. ℥j. Gialapp. Agar. Troch. Turpeth. el. Polypod. qu. aa. ʒij. Cinam. el. ʒj. Tart. alb. crud. ʒij. Chalyb. cum Sulph. præp. & in petia ligat. ℥iß. Sem. anis. fœnic. aa. ʒß. M. & Conciſ. f. cum linteo alb. nodulus cum menſur. iß. aquæ mulſæ decoquendus.

Die 23. Decembr. ad reſolvendas & diſcutiendas mali reliquias, ſeq. Electuar. diaphoreticum præſcripſi. ℞. Rob. Juniper. ℥iß. Elect. Diaſcord. Fracaſt. ℥ß. Theriac. Androm. ʒij. Syr. Sceletyrb. ℥ß. M. F. Electuar. de quo una vice nucis moſchatæ quantitas capiatur.

Et denique ad quævis heterogenea ac vitioſos humores, (de quibus adhuc patiens circa infimum ventrem & pubem conquerebatur) eliminanda, maximo cum emolumento talem potiunculam ordinavi. ℞. Pulv. rad. Jalapp. ℈ij. Diagryd. corr. gr. iij. Syr. de

Cich.

Cich. c Rhab. ℥j. Aq. meliſs. puleg. aa. ℥vj. M. pro una Doſi; à cujus ſumptione aliquoties dejecit, & ſic omnia ſymptomata evanuerunt, ac patiens, obſervata bona diæta, per Dei gratiam priſtinæ ſanitati fuit reſtitutus.

(Miſſæ Ulmâ Noribergam d. 24. Febr. 1697.)

OBSERVATIO XXXIX.
Dn. D. ELIÆ CAMERARII,
De Naturalis Phosphori Phænomenis.

Quam & in Phosphoro Urinæ extorto, & in Noctiluca Spiritûs Nitri & Cretæ Sobole, lapideque Bononienſium calcinato miramur lucem, non niſi violento igne obtinendam, eam Natura nullo vel exili calore adjuta frequenter exhibet. Vividum cicindelarum lumen tempore æſtivo, Sole occidente omnium oculis obverſatur, quod eò nonnullos adegit, ut lucidum inde deſtillatione liquorem præſtolarentur, quarum tamen lucem reflexam potius & peregrinam ſtructura corpuſculi (etiam in illuminato modicè loco ſplendentis) innuere videtur; dum ſemicirculares iſtæ poſticæ & inferioris corporis partes microſcopio conſpectæ, ſubflavo politoque candore, & cryſtallinis ſplendentibusque pilis atque eminentiis creberrimis ſunt conſpicuæ, repetitæ radiorum lucis repercuſſioni forſan inſervientibus. Ut taceam piſcium, putridi ligni, adamantis in tenebris lucentis, quamque nuper obſervavi in caprea lucem, cujus, frigore intenſo gelati pili fortiter contra ductum ſitumque naturalem agitati ingentes

ſplen-

plendidasque cum ſtrepitu flammas eructarunt. Lucidorum juvenis cujusdam induſiorum atque linteorum phænomena & inſigni luce conſpicuas flammas Ephem. Dec. II. ann. 8. Obſ. 172. inſeruit Hector. II. Frater Chariſs. & quandoquidem iſtiusmodi caſus rariores hactenus videntur, parem iſti atque prorſus affinem recenſere operæ pretium erit. Vir juvenis à quatuor jam menſibus (neque enim antea adeò attenderat emicantes quas ſæpius conſpexit ſcintillas) inſolitum induſiis ſplendorem exilientesque inde ſcintillas animadvertit; quæ leviter etiam commoto linteo ejusve partibus leniter colliſis prorumpunt, longè tamen frequentiores accedente manus agitatione conſpiciuntur, neque ſcintillæ ſolùm ſed ingentes radii in latitudinem linguarum inſtar expanſi oculos feriunt, &, quod non ſine admiratione retulit, ſtrepitu tali aures percellunt qualis ſcintillarum ignearum eſſe ſolet. Quò verò breviori tempore induſium corpori admotum fuit, eò copioſior altera mox tertiaque die comparet & vividior flamma, quò verò id geſtatum eſt diutiùs, eò rariores flammæ non niſi fortiore lintei frictione excitandæ comparent. Æqualiter verò omnes induſii partes lumen de ſe emittunt; neque eo lineum pectorale deſtituitur, excuſſitque nuper ex chirothecis ſcintillas. Nec in aprico ſolum aëre atque atmoſphæra lucidum phænomenon obſervatur, ſed ſub ipſis quoque lecti ſtragulis corpore penitus ſepulto, excluſâque latentis in ambiente aëre lucis ſuſpicione. Eſt verò & id memoratu dignum, nullum excitari poſſe ſplendorem ſi forte (quod rarior contingit) manè corpus induſiumque ſudore madeat. Innui rariorem eſſe ſudorem & haud fre-

quenter ſenſibilem, cum & vita ſedentaria, & muſeum frigore potius quam calore excedens ſudorem facilè arceant. Monitus ut capillorum quoque aliquam haberet rationem, examine inſtituto candidè retulit, excusſiſſe ſe, pectendo crines, ſcintillas, lucida autem phænomena clarius longè atque elegantius pectinem exhibuiſſe per crines profundius tractum, quô mox perpendiculariter manui impoſito quivis pectinis dentes impreſſi ordine ſuo numeroque lucida poſt ſe punctula, & diſtincta ſplendore veſtigia in cute reliquerunt, quin & pectine horizontaliter nonnihil inclinato & per ſuperficiem manûs ducto diſtinctæ lineolæ lucis & ductus ductui dentium pectinis reſpondentes ſplendidè, abſque ſtrepitu tamen, comparuerunt, eò elegantiores, cum non adeò ſubitò uti excuſſæ ex linteo flammæ expirarent. Diſparuit verò tandem iſtud phænomenon capillis diutius profundiusque cum ipſa cute depexis. Cætera temperamenti eſt ſanguineo-melancholici, meditationibus profundis deditus, pulſum ordinariò celeriorem juſto ſentit, urina multum tingitur; cibo utitur parco & tenui, raró carnibus veſcens; ſitim præterito anno haud facile delebilem crebrò ſenſit, nunc verò adeo non ſitit, ut per duos jam menſes à potu quocunque ſine moleſtiæ ſenſu abſtinuerit. Vinum per ſemeſtre ſpatium nunquam hauſit, cum p.n. calorem ex ejus modico licet uſu ſibi tum obortum recordetur. Alvus tardior eſt nec tn. conſtipata. Quis verò φαινομένων breviter recenſitorum cum Phoſphoris convenientiam non videt? ſi maximè præter ſudoris urinæque ſimilitudinem ea fulgura perpendat, quæ imprægnatum Phoſphoro Vini alcohol

cohol aquæ noctu inſtillatum in aërem ſpargit; aut ſi liquidi Phosphori fatuum ignem quibusvis corporibus affricandum attentius contemplari dignetur.

OBSERVATIO XL.

DN. D. ELIÆ CAMERARII.

De Epilepſia, ſenſu atque ratione ſalvis.

QUÆ univerſam omnium morborum hiſtoriam egregiè auctam atque illuſtratam exhibent, atque ſaluberrimam novis ſubinde magno numero obſervationibus locupletant laudatiſs. Ephemerides, frequentia non minus quàm ſingularia affectuum convulſivorum exempla accuratè paſſim recenſent, ſive exactam morbi hiſtoriam, ſive remediorum apparatum deſideres. Quæ res eò majorem affert utilitatem, quò intricata magis atque abſcondita eſt affectuum iſtorum indoles, non niſi obſervationum frequentia, caſuumque mirè variantium attento ſcrutinio in clariori luce ponenda. Referendus huc caſus in juvene ſtudiis operam navante altero abhinc anno abs me fuit obſervatus. Ira is, neſcio quâ injuria motus, vehementer excanduerat, atque altero mox die rigore febrili æſtuque inſequenti correptus, opem meam imploraverat, graſſabantur tum inter nos truculentius & confertim malignæ febres, videbaturque inſultus iſte quoddam ejus principium & pulſu & urina id confirmantibus, quamvis frequentes in ſomno terrores, crebræque corporis ſuccuſſiones convulſiones altera nocte inſeqvuturas jam prædicerent. Non omnes hîc ſollicitè ſpasmodici affectûs circum-

ſtantias recenſebo., illi ſolùm intentus; quæ minus aliâs obvia, in iſto juvene oculis ſe animoque attento obtulit. Quatiebantur ſcil. agitati artus, torquebantur brachia ipſumq; caput atque oculi, totaque corporis machina univerſali ſpasmodico motu miſerè convellebatur, t ntosque patiebatur ſubſultus atque jactationes, ut corpore alternatim in altum ſublato miſerè diſtractum caput proximo parieti allideretur. Iſta autem ordinaria ferè ſymptomata cum ſint, id paulò memorabilius cenſeo atque inſolitum magis, quod in iſta paroxyſmi vehementia, in confuſo iſthoc Spirituum orgasmo & ſenſus ſibi conſtarent & ratio, annuebat enim dictis & ſolatio adſtantis Eccleſiæ miniſtri, diſtincteque omnia, quod certius poſtea ex ipſo cognovimus, percipiebat. Impugnavimus truculentum ſymptoma caſtoreatis, antiſpasmodicis ſpecificis, atque alexipharmacis remediis, V. ſect. Clyſteribus, Veſicatoriis, & ſi quæ ſunt alia, quæ multis in iſtiusmodi caſibus encomiis efferuntur, experientiaque confirmantur. Votisque eventus feliciter reſpondit, affectu violento paucos intra dies per Dei gratiam ſublato. Qui autem in univerſali iſta convulſione, non inferiore ſolùm corporis parte, ſed arce ipſa atq; animæ ſede ſpasmos patiente ſalva ratio ſenſusq; ſupereſſe poterat? & qua ratione factum eſt ut confuſi atq; impetuosè moti Spiritus in Epilepſia ordinaria animæ imperium illicò excutientes hîc ſenſuum fibrillarumq; nervearum motibus teneriimis, mentisq; impreſſionib9 mandatisq; aliquib9 auſcultaverint. Dignum omninò accuratiore diſquiſitione problema! Quamvis haud dubitem rei diffi-

culta-

tatis plenæ aliquam lucem acceſſuram, ſi aëream atque elaſticam Spirituum indolem admittere lubeat, quæ efficit ut feroces quoque Spiritus ſummoque & aucto elateris robore confuſoque motu undulantes aliquem tamen in ſenſoriis conceptum tremorem (nervis, quod circumſtantiæ docent, non diſtortis) ad animæ ſedem propagare, ſenſumque efficere valeant, ea tamen cum moleſtia, ut anima triſti ſpectaculo involuntarios corporis motus, quos ſedare nequit, contemplari miſeriæque teſtis eſſe coacta fuerit.

OBSERVATIO XLI.

DN. D. ELIÆ CAMERARII.

De Sectione Tumoris pinguedine referti.

QUanta haud rarò incertitudine circa varias tumorum ſpecies verſentur Chirurgi de contentis dubii, ejus tota die praxis exempla exhibet, externa enim facie, conſiſtentiaque tactu explorata facilè ipſis imponi contingit, ut, ſiquidem ſint cautiores non poſſint non hæſitare in cura iſtiusmodi tumoris ſuſcipienda, ne temerè quidquam tentare videantur; Sequenti id caſu comprobatum exiſtimo: Vir ann. 30. duodecim abhinc & quod excurrit annis tuberculum fabam magnitudine æquans in exteriore dextri genu parte ſenſit, lento primùm gradu increſcens, ita, ut poſt plurium annorum decurſum juglandem magnitudine non excederet, nec dolorem ullum niſi motu frigidáque aqua accedente (coriarius autem erat) excitaret. Menſ. Januar. 1695. (celerius jam aucto tumore) pugnum quantitate ſuperabat; quos-

cunque verò & Medicos & Chirurgos adiit, ii quidem Emplaſtra ſimiliaque commendabant præſidia, ſectionem verò tumoris diſſuadebant uno ore omnes. Occupabat jam magnam femoris ſupra genu partem, eratque ea protuberantiæ durities, qualis glanduloſorum tumorum eſſe ſolet, cum, nactus tandem qui apertionem ſuſciperet Chirurgum, Menſ. Jun. 1695. in eminentiore tumoris parte inciſio inſtitueretur, extillabat ſanguis haud parcus, hians verò vulneris orificium pinguedine copioſè protruſa puris expectati loco explebatur, cujus, cochlearis ope non exigua portio ſenſim absque dolore exemta fuit. Increvit mox majori celeritate tumor, latiusque terminos ſuos extendit, exundante liberius indies pinguedine, acceſſit ingenti tumori & quâ parte patebat horrido, totius tabes, cordis vehemens palpitatio, laſſitudo ſumma & debilitas &c. quæ tamen medicamentis aliquamdiu repreſſa ſunt. Cæterum irriti erant in curando tumore tum Chirurgorum, tum (quod fieri ſolet) Agyrtarum conatus, aliis emplaſtra, aliis ex naſturt. aq. cataplasmata, aliis alia ſuadentibus. Cum verò in tumore coercendo fruſtra laborarent, itum eſt quorundam conſilio ad corroſiva, admotumque arſenicum, nitro, ut ajunt, correctum, quod tamen largiſſima & contumaci hæmorrhagia inſequente in tempore removendum erat. Brevi alius tonſor ipſum invaſit, atque unà cum aliis externis internisque remediis aliquam, quod adſtantes referunt, admovit aquam, quæ nunquam absque ingenti dolore applicabatur, recurrente unà ſubinde à motu hæmorrhagia. Iſthæc verò brevi dolorificæ quædam colli conſtrictiones,

nes, linguæ impeditus motus, vocesque inarticulatæ ſequebantur, dehinc tenſivi dorſum dolores occupabant, ſenſim vox intercipiebatur, concutiebatur corpus, urgebant dorſi dolores, maxillam porrò ſpasmodici motus agitabant, ſicque convulſus tandem rigidusque obiit. Aliquot verò ante obitum diebus horrenda ulceris facies, immanis fœtor, atque rubedinis loco cœruleus livor ſucceſſerat. Incuſabat Chirurgum qui tumorem audacius aperuit defuncti Uxor, ipſique actionem intentabat, quâ lite effectum eſt, ut loci Magiſtratu judicium ea de re meum expetente, ſectione inſtituta contumax tumor penitius inſpiceretur. Ea verò ſe facie ſecanti tumor, haud adeò durus tactui viſus, obtulit: occupaverat non genu ſolùm ſed mediam quoque & quod excedit femoris partem, pede infra ſupra tumorem eadem cum univerſo corpore macie & tenuitate conſpicuo, non verò æquabili intumeſcentia affectam partem vidimus tumidam, ſed & in interiore genu parte, & in exteriore cum primis, primâ mali & tuberculi ſede, multum eminebat ingens protuberantia reliquâ ſuperficie longè elatior, cui & in inciſione vulnus inflictum erat, fœda mollique & ſanioſa pinguedine nunc hians atque turgidum. Separatis ſolicitè cute atque muſculis, ſtupendam iſtam partis affectæ molem non niſi pingui materia conſtare oculis patuit, (ſi excipias purulentæ ſaniei, ſtagnantisque inter corruptos circa medium femur muſculos, ſanguinis quandam portionem) ordinariam verò pinguedinis conſiſtentiam, utpote mollior, non referebat. Plurimis quaſi alveolis incluſa erat, è quibus nullo negotio exprimebatur; iſtius v. pinguedinis

nis pars in medio femoris (circa genu nulla corruptione conſpicua) unà cum inſignibus quorundam muſculorum portionibus computruerat, eandemq; ſortem vaſorum ſanguivehorum minores rami (truncis adhuc integris) experta erant; tantaque pinguedinis & incredibilis moles non muſculorum modò interſtitiis intruſa eos violentè diſtenderat, ſedibusque ordinariis deturbaverat, ſed & in ipſam oſſis femoris cum fibula tibiaque articulationem, ſub patellam, in oſſis femoris inferiorem ſinum, interque omnes loci iſtius tendines membranasque ſeſe copioſiſſimè inſinuaverat. Hæſerat verò primum tuberculum (ſectione id nunc oſtendente) circa externam atque inferiorem oſſis femoris protuberantiam, ubi cartilago deſinit, & quamvis durior ea in regione tumoris ſubſtantia fuerit, nulla tamen ibi aderant corruptionis veſtigia, ſed quantum licuit aſſequi in tendinoſa membrana hæſerat tuberculum. Oſſis femoris duæ tertiæ partes flavebant non ſolùm p. n. ſed & eroſæ ſcabræque comparuerunt, excavatis corroſisque in infima maximè oſſis parte juxta cartilaginis marginem profundis ſulcis creberrimisque foraminibus, totaque ſuperficie admodùm aſpera redditâ; nulla tamen carioſa nigredine oſſis ſubſtantiam fœdante. Quodque obiter addere lubet, pulmones dextro lateri firmiter adnati atque ex cœruleo lividi, tenaces valde atque ſicci conſpiciebantur, veſiculis aere turgidis. Cordis ſummè flaccidi ventriculi ſanguine (ut totum ferè tabidum corpus) deſtituebantur. Hepar durum lividumque conſpeximus &c. Ita ſcilicet rupto ſemel vaſculo, & pinguedinis quadam portione ſuis elabente

utri-

utriculis prima fatali tumori anſa data videtur, qui tardius primùm robuſtis adhuc fibris fortiter reſiſtentibus increvit, usque dum cedentibus iis tandem, & ſectione ſpatium concedente, liberius in interſtitia effunderetur (pari ratione ac in Hydrope via ſemel patente Lympha uberior in cavitates depluit) ſubducebatur hâc via ſanguini corporisque univerſæ machinæ balſamica, oleoſa, blanda, & melior portio, unde preſſo pede lenta febris, tabes, & (deficiente Salium moderamine) acrimonia, cordis palpitatio, laſſitudo ſumma non potuit non inſequi, tandemque, accedente hæmorrhagia, acribus remediis, ipſaque ſaniei in ulcere acritudine, nervis miſerè laceſſitis convulſiones colophonem miſeriæ impoſuerunt.

(*Tubingâ Auguſtam Vind. d. 14. Mart. Anno 1697. miſſæ.*)

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

De Glandula Porcellorum Moſchata.

Curioſiſſimum quid & incredibile ferè haud ita pridem in glandula quadam ex oculis porcelli adhuc lactantis aſſati (vulgò Spanferckel) protractum obſervare licuit, quod probè ſc. maſticata non tantùm ſaporem ſed & odorem Moſchi exactiſſimè referret, ita ut adſtantes halitum ejus naribus percipientes ipſum Moſchum dentibus comminutum eſſe crederent, quod non una vice ſed multoties reperire

licuit, ita ut quivis hujus rei periculum facilimè facere poſſit. Latet autem glandula hæc in altero oculorum cantho pinguedine oculi & muſculis obſepta, & ni fallor eſt glandula Harderiana lachrymalis à Nobiliſs. D.D. Nebelio nuper in *Miſcellan. Germ. Cur. Anno 3. Dec. 3. Obſ. pag. 291.* deſcripta & depicta, quæ meritò reliquis corporibus moſchatis ab Illuſtri Dn. Præſide in curioſiſſimâ *Hiſtoria Moſchi* collectis, annumerari mereatur.

OBSERVATIO XLIII.

DN. D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

De Virgine in Sceleto Funduli conſpicua.

OCcaſione prioris Obſervationis aliam ſubnecto ab Apitio pariter ſubminiſtratam, non minus tamen curioſam, in Sceleto ſcil. Funduli, Mulieris aut Virginis imaginem, mammillis ſuis aliisque partibus inſignitam conſpici. Quod verò noſtris temporibus Onamenta illa capitis muliebria, quæ à concubina Gallica vulgò *les Fontanges* audiunt, illic pariter appareant, ut nonnulli aſſerunt, fabuloſum eſt.

(*Giſſâ Auguſtam Vindel. d. 20. Mart. Anno 1697. miſſæ.*

OBSER-

OBSERVATIO XLIV.
DN. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.
De Relaxatione Patellæ ad talum uſque.

PErluſtrando Ephem. noſt. Decur. II. Ann. VI. incidi in Obſ. 35. Caroli Patini ubi de ſtruma dorſali in filiolo Andreæ Volpati agit, de quo ſtrumoſo, mihi hoc addendum occurrit. Dum ab Expertiſſimo Noſtro Galeno, I. per prognoſin pater intellexit, ſtrumarum curationem valde difficilem & diuturnam eſſe, ſe prognoſtico acquieturum dixit, interim hiſtrionem quendam aceeſſit, qui etiam curam audacter nimium, neſcio quibus emplaſtris & fomentationibus aggreſſus eſt, iisque effecit, ut paulo poſt gangræna partis, ardentiſſima ſtipata febri, ſupervenerit, hoc viſo ille medicaſter auffugit, & bonum patientem ſine remediis reliquit, quo effecit, ut patiens ad hoſpitale San Franceſco Grande dictum delatus fuerit, ubi à me aſſiſtente, induſtria Equitis Caſali, ibidem medici ordinarii, quoad plagas & vulnera feliciter quidem curatus fuit, ſtruma quidem ſubſidebat, ſed paulò poſt denuò incrementum ſumpſit, ab illo tempore autem à quo ſtruma ſubſidebat, ligamentum patellæ pedis dexteri ita fuit relaxatum, ut facili negotio à quocunque ad talum usque absque ullo dolore detrudi potuerit, ſed remota manu, ſua ſponte iterum quaſi ad ſuum locum ordinarium reſiliit, niſi quod duobus circiter transverſis digitis infra propriam capacitatem acquieverit, & dum ad locum ordinarium reponi eam æger volebat, ſemper dixit, ibidem absque hoc, omnia plena eſſe,

quod penes me quamplurimi diverſarum Nationum ſtudioſi & manibus & oculis comprehenderunt, an talis plenitudo fuerit facta à materia ſtrumæ dorſalis diſcuſſa, quam hujus relaxationis cauſam cenſeo, vel à nimium relaxato & tali humore impraegnato ligamento, quon ſe tam arctè contrahere amplius non potuit, nolo dijudicare; interim adhibitis diverſis Patella quidem ad priſtinum locum reducta & ibidem firmata fuit, ſed ſemper elatior remanſit, quibus omnibus perpenſis mihi hoc maximè inſolitum videtur, tantam fuiſſe factam relaxationem absque ruptione vel multo dolore tam brevis aliàs ligamenti, permanente tamen robore tali ut ſe contrahere potuerit.

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.

De Delirio periodico Alexipharmacis curato.

Virgo quædam in ſervitiis conſtituta, tunc temporis in ſtatu athletico, ab ejus Domino ob perditos aliquot imperiales primum benignè, poſtmodum cum comminatione verberum, ut verum fateretur, interrogata, ſeque nihil ſcire aſſerens, è cubiculo Domini dimittitur, ſed ecce dum vix per ſcalas ſcendit, procidit in terram, ut exanimis videreur, ſubitò ad eam vocor, & invenio non ſine ſuſpicione ſumpti veneni, facie livere & rubere, ut proprie collum galli indici, ut vocant, irati repræſentarit, oculi quaſi flammei erant; reſpiratione anheloſa, pulſus, exceptis arteriis colli, inſenſibilis erat, ventre mul-

multum tumebat, omnes torviſſimè aſpiciebat, nullum reſponſum dedit, hinc ſubitò propinatum fuit leve Emeticum, quod ternam operationem habuit, ad quod Garrula fieri cœpit, ſed ita diverſimodè ut modò facetè, modò triſtiſſime, modò ſuaviſſime, modò furioſiſſimè, & ſic pluribus modis variarit, interim neminem novit, hinc propinavi illi potionem alexipharmacam ordinariam, ex Theriaca, Elect. Diaſcord. Sal. CC. volat. Bezoar cum Aq. Scord. factam, unde benè ſudavit & ter dejecit, hinc ad ſe rediit inſcia præteritorum, venter ſubſedit, pulſus naturalem typum reasſumpſit, facies & oculi excepto aliquo pallore, priſtinum colorem obtinuerunt, & ſic ſpatio ſeptem horarum ab hoc paroxyſmo liberata fuit, ſed delirium ſingulis ternis diebus ad inſtar febris tertianæ, hora ſecunda promeridiana ordinariè rediit, ut neminem noverit, delirium verò plerumque quovis paroyſmo variavit, ut in uno in riſus effunderetur continuos, in alio in meram furiam abieret, jam fleret, jam caneret, nunc pſalleret, alia vice blaſphemar & &c. Quæ delirandi mutationes ſemper quoad unam ſpeciem per integrum paroxysmum continuarunt; idque per menſem duravit, interim nec quidquam aliud aſſumſit, niſi præfatam potionem circa initium cujuslibet paroxysmi, ſemperque benè ſudavit, & delirium nunquam quatuor horas exceſſit, absque præcedenti vel ſubſequente ullo alio ſymptomate, donec tandem poſt menſem totaliter emaneret, & ſic hoc delirium periodicum alexipharmacis curatum, cujus cauſam licet in ſumptum venenum conjicerem, latet tamen cauſa hujus recurſus periodici, & mutationis perio-

dicæ, de quibus omnibus peractis, dum ad ſe rediit, nihil recordabatur, niſi quod ſemper, dum ſe male habere incepit, hanc potionem ſumpſerit.

OBSERVATIO XLVI.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.

De Dolore capitis ex calculis.

DOmicella quædam de intenſiſſimis capitis doloribus, præcipuè in fronte intra oculos ad os cribriforme per annum & medium conquerebatur, diverſisſima aſt ſine euphoria adhibebantur, ego caſu illuc veniens, ſuadeo inter cætera errhinum ordinarium, quo adhibito ſtatim poſt meum diſceſſum revocor, ſiquidem metuebant illam ſuffocari, cum nec minimum Spiritus per nares attrahere valeret, & quod dolor etiam nunc totum naſum occuparet, & ſic aperto ore ſtare cogeretur, ſuadeo repetitionem errhini, quo vix per ſyringam injecto, procidit calculus magnitudine piſi oblongus, quem intra bihorium duo ſimiles & unus medio minor ſequebantur, qua cauſa ablata omnis dolor ceſſavit, & jam per annum ab eo expers vivit, via per quam, & quomodo iſti calculi per os cribriforme tranſierint, vix non ignota hæret, ſi enim os cribriforme fuiſſet ita perforatum, vix ita perfectè colata & cribrata excrementa, uti fit, tranſire poſſent, cum ad hoc officium natura hoc os efformarit.

OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN

De variis in ſanguine per venam extracto, obſervatis.

VIR quidam felicioris ſortis, triginta circiter annorum, habitus corpulentioris, coloris in facie floridi, hilaris, obſervantiſſimus diætæ & quoad apparentiam ſaniſſimus, de nullo conquerebatur, niſi quod aliquando absque cauſa nota tædioſus fieret, præſervationis gratia elapſo autumno poſt ſumptum minorativum, ſanguinem quoque phlebotomia minuere ſtatuebat, ſed loco ſanguinis, me præſente, hora matutina, ſat larga inciſione facta, effluxit in primum vitrum materia quædam alba & viſcida ſat ingrati odoris circiter ad ℥ij. in ſecundum & tertium vitrum effluere quidem videbatur ſanguis ſat laudabilis, absque tamen quod multum ſalierit, aſt poſt quatuor horas facta viſitatione ſanguinis, in primo vitro ſe nihil mutaſſe comperi, in ſecundo verò loco ſanguinis nil niſi veſiculas rubras, flavas, albas & cœruleas, viſcida & purulenta quadam materia ſibi invicem cohærentes, nec guttam verò de ſanguine vidi, tertium vitrum ſimilem quoque ſaburram immixto tamen modico ſanguinis continuit, quo viſo, ſubitò venam rurſus aperiri curavi, & ad ℥ij. Sanguinis laudabilis extraxi, & hactenus ſe benè habet, mirum quomodo talis materia corrupta absque notabili læſione in corpore perſiſtere potuerit.

OBSER-

OBSERVATIO XLVIII.

DN. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.

De Abſceſſu ſine inſigni dolore & ullo calore.

DIvus quidem Cous noſter aſſerit, dum pus fit, dolores & febres oriri, & Ariſtoteles id confirmat, dicendo, putredinem eſſe clima caloris, cujus tamen contrarium demonſtravit patiens quidam mihi ante paucum tempus ad finem Bacchanaliorum oblatus, is de nullo alio conquerebatur, niſi de ſurditate in aure ſiniſtra, nullum dolorem perſenſit, nec caloris præternaturalis indicium tam ex pulſu quàm urina ac ſiti præternaturali deſumi potuit, hinc quia tempus tunc frigidiſſimum, & præcedenti die cum ſuo Domino rhedatione ſe divertente, curſitando, utpote ſervus & curſor multum incaluit, in ſuſpicionem deventum aliquam defluxionem in nervum auditorium procidiſſe, hinc præmiſſis catapotiis cephalicis, nil niſi externa reſolventia & diſcutientia ordinavi, & ecce nona die noctu dum benè more ſolito dormiebat, retulit ſibi viſum fuiſſe ſe audiiſſe exploſionem bombardæ à quo expergefactus advertit aurem madere & purulentam materiam ſanguine mixtam effluere, qui fluxus per aliquot dies ad tres circiter libras continuavit, ſuper quod ſurditas ceſſavit et jam ſe benè habet.

OBSER-

OBSERVATIO XLIX.
Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.
De Phthiſi à natura curata.

JUvenis quidam 19. annorum lanionis opificium exercens à nimia geſtatione & attractione boum incidit ante duos & medium annum in ſanguinis & poſtmodum puris ſputum, hinc juxta Hipp. Sect.7.aph.15. & 16. in phthiſin, cui acceſſit febris hectica; totaliter emaciabatur, abſumpta non ſolum adipoſa verùm etiam carnoſa ſubſtantia, viribus ita labefactatis, ut amplius procedere nequiverit, diverſiſſima per medium annum adhibebantur, aſt dum omnia irrita judicavit, & ſe indies debiliorem ſenſit, ſe fatis cedere velle decrevit, rejectis omnibus planè medicamentis, quibus ſepoſitis excreatio remiſit aucta ſpirandi difficultate, donec tandem de intenſiſſimis pectoris doloribus ad inſtar carbonum ignitorum adurentib9 conqueſtus fuerit, quo ſtante ſupra regionem diaphragmatis linea quædam livida duorum transverſorum digitorum lata utrinque coſtis ſpuriis affixa, ubi dolor plurimum urgebat, apparuit, ex quibus internam partis mortificationem factam, conjiciebatur, verum natura provida ex parte dextera intra primam & ſecundam coſtam ſpuriam ad ſuppurationem ſine ullis adhibitis medicamentis perventum & ſua ſponte prorupit ulcus, per quod ingens ſaburra materiæ putridæ & ſordentis prodiit, quod per aliquot dies continuavit, quo facto, mundificato & conſolidato ulcere tuſſis totaliter evanuit, benè nutriri incepit, & à duobus an-

nis de nullo conqueritur, colorem floridum præ ſe fert, & in omnibus benè valens à natura curatus ex Phthiſi optata potitur ſanitate.

OBSERVATIO L.
DN. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.
De notatu quibusdam dignis de Podagra.

Rectè curioſiſſimus noſter Æſculapius II. Ephem. Decur. III. Ann. II. Obſ. cxv. Podagram pro tyrannide inſignivit, cum aliquando à tali feroci materia cauſetur, ut etiam vitra corrodat, cujus luculentum teſtimonium ſuppeditavit Clariſſimus Dominus N. N. J. V. D. qui dolores podagricos (licet abuſive ita dictos ob diverſitatem loci) intenſiſſimos in auricula dextera ſenſit ut aquam fortem intus hærere arbitraretur; poſt aliquot elapſos dies materia in tophum ad partem exteriorem abiit, qui & à natura ſua ſpontè aperiebatur & effluxit materia quædam alba calciformis. Patiens noſter ad æternam rei memoriam, ob enormes dolores perpeſſos intingit calamum & ad feneſtram ſcribit, adjuvante Deo 15. Septembris anno 1696. ex dira podagra liberatus, & ecce altera die dum eum more ſolito viſito, invenimus vitrum non ſolum corroſum uti aliàs exſcalpi ſolent, verum totaliter, quin & in ea forma uti literæ erant, exeſum, quod nunc ob ſummam raritatem argento munitum in ſuo muſæo cuſtodit.

Talem ferociam cauſæ Podagricæ pariter tali circulanti maſſæ communicari comprobavit ſanguis

Excel-

Excellentiſſimi cujusdam p. m. Generalis Campi Mareſchalli, totaliter Podagrici, dum enim iſte aliam ob cauſam ſibi venam aperiri curavit, poſt aliquot elapſas horas ſanguinem perluſtrandi gratia eum accedimus & ruminatis omnibus, vix aliquid extraordinarii, excepto aliquali copioſiore ſubflavo ſero, perſpiciebatur, verùm curioſior ejus Chirurgus, ut-utpote & ſimul Camerarius, digitum intingit & guſtat, aſt ecce vix linguam ſanguis attingit, excitavit illi cum ſummo dolore & ardore veſicam ad inſtar veſicatorii appoſiti, ad quam ſanandam ſpatio duarum hebdomadarum opus habuit.

Interim tamen non omnem Podagram tam feroci materia produci demonſtrat penes plures Clariſſimus Dominus N. N. Niderl qui jam per aliquot annos cum hoc hoſte confligit, ut pedes manusque tophaceos habeat, articulis utplurimum dislocatis, interim tamen ſe nullum alium dolorem niſi tenſivum è doloribus ſentire aſſerit.

Quamvis multi inveniendo medicamento verè antipodagrico inſudarint, nulli tamen hactenus contigit, quo perſpecto, nunc in retardatione & lenitione dolorum ejusdem potiſſima cura verſatur, quam aliqualiter attingit bibliopegus noſtras nomine Urbanus Ferber, qui Podagricus dum decumbit urticam vivam ad partem dolentem applicat, eaque veſicas inſtar veſicatoriorum attrahit, quas poſtmodum etiam ſimili modo tractat & per ſeptimanam apertas retinet, quibus conſolidatis dolores evaneſcunt, & ultrà annum ſe à Podagra immunem comprobat experientiâ, cujus vivum teſtimonium præbere poſſum qui eum ultrà quatriennium

novi, & non niſi nunc tertia vice hoc malo detinetur. Mitius longè remedii genus eſt, quo plures Domini Podagrici mihi optimè noti utuntur, qui ſingulis menſibus emulſionem laxativam Myns. ſumunt & ſe ita non ſolum à frequentioribus paroxyſmis, verum etiam à ſeverioribus doloribus juxta propria aſſerta immunes reddunt.

(*Græcio Auguſtam Vind. d. 7. April. Anno 1697. miſſæ.*)

OBSERVATIO LI.
Dn. D. SAMUELIS LEDELII.
De infelici ſudatione.

ILluſtris Perſona 30. annorum, neſcio cujus ſuaſu, adornat in vanno, cum lateribus ignitis Spiritu Vini irrigatis, ſudoris elicium, ad diſſipationem ſeri ſcorbutico-arthritici in pede. Director curæ, balneator tecto vanno linteis mundis, excitabat vaporoſum æſtuarium, cumque Dominus hic moræ impatiens, juberet copioſius affundere Spiritum Vini cum Spiritu lumbricorum & alio, è talpis elicito, en aſtantes candelis ardentibus (erat enim hora noctis decima,) præſtò erant ad inſerviendum balneatori dumque propiùs accedebant, proh! in momento halitus ſpirituoſi in vanno condenſati, flam̃am concipiebant, & hujus perſonæ nudum corpus ambiebant & lambebant: quo cum pavore, qua cum conſternatione, & quo dolore, conjectu facillimum. Derepentè proſiliebat è vanno undique exuſtus Dominus, excepta facie, ano & membro virili. Dolores erant acerbiſſimi in manibus, pedibus, pectore.

Celer-

Celerrimè acerſitus, aderam, deprehendebamque læ-ſum intolerabilibus ferme circumdatum cruciatibus. Communicato cum Chirurgis conſilio, externa enucleata applicamus, internis ſimul additis. Vigiliæ cum intercurrentibus convulſionibus peſſima minabantur. Propinabam nervina, theriacam cœleſtem, & triduo exacto, opiata, cum inſigni ægri placito. Tres horæ vix nobis ſufficiebant ad ulcera & ambuſta illinenda & deliganda. Sub initium læſionis bis deligabamus in die: poſtero autem tempore ſemel tantùm ad evitandam dolorum atrocitatem. Poſt deligationem ſopor ſemper ſubrepebat, qui tamen valido ſpaſmo in pedibus interrumpebatur: datis autem heroicis medicamentis, Deo ſecundante, malum hoc ſuperabatur. Obſtructioni alvi obviam ibam clyſteribus: calori interno, urenti ſiti, deliquiis animi lenimen afferebat Spiritus dulcis Nitri, Salis, Decocta cum Cornu Cervi, Oculis Cancri, Bezoardica item & analeptica. Ad facilitandam curam exhibebam oleum lumbricorum, ex mente Dn. D. Stegmañi Dec. 3. Añi 1. Obſerv. 9. Ephemeridum curioſar. & fateor poſt trium ſeptimanarum ſpatium cutem ferè extitiſſe glabram & nitidam, quum tamen hinc inde profunda ulcera hæſerint. An autem huic ſoli oleo ſit adſcribenda tam celeris reſtitutio, in poſterum, occurrente occaſione, ulterius probabo. Longè felicior fuit hic noſter, quam Philippus Haſſiæ Landgrafius Butzbacenſis, qui ſuperiori tempeſtate paucorum dierum ſpatio animam exhalavit, totus flammæ involutus in ſudatorio, referente Rolfincio Method. Medicin. Special. Commentator. libr. 6. Sect. 1. cap. 12. pag. 578.

OBSERVATIO LII.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

De ſingulari Affectu oculari.

Puella nobilis Marchica, 4. annorum, per geminum Autumnum, circa Feſtum Michaëlis corripiebatur defluxione ad oculos, quæ cum aurora incipiebat & ſole occidente, deſinebat. Jacebat per totam diem in facie, cum effluxu aquoſæ materiæ ſat copioſæ, nec erat adigenda ut cœlum conſpiceret, in loco etiam tenebroſo, hoc absque cibo & potu ſic transacto fugiente ſole, ſurgebat, videbat, effluxus lymphæ deſinebat, candelam lucentem imò & flammam in camino ſine noxa aut ulla læſione aſpiciebat & perferebat, ſeque cibo & potu reficiebat. Prima vice conſoluerat Chirurgum, qui varia adhibuerat remedia cum aliqui levamine, & tandem poſt tres menſes remiſſione mali. Vixit ſic per tres anni quadrantes mediocriter ſana quoad oculos, luſcioſa hæcce. Anno præterlapſo 1696. circa idem tempus Autumni eadem ingruebant ſymptomata multò tamen vehementiora, ea propter me conſulebant, dabam vomitoria cum euphoria, ſudorifera medicamenta, ὀξυδερκικα, & Cephalica, jubebam veſicatoria topica item, & malum ſpatio quatuor ſeptimanarum Deo adſtite ſuperamus. Ægrè aſſumebat medicamenta ægrota, & aſtu pleraque interna propinabantur. An malum ſit rediturum, ſubſequens Autumnus declarabit. Hippocrates affectum hunc vocat Nyctalopiam, Sennertus autem cum Græcis recentioribus contrarium ſtatuit.

(*Miſſæ Grunbergæ Sileſiorum Noribergam 16. April. A. 1697.*

OBSER-

OBSERVATIO LIII.
DN. D. JOHANNIS GEORGII GRUBELII.
De Vitri Antimonii vi emetica oppreſſa.

VIm Antimonii emeticam eſſe inexhauſtam Chimici uno ore confirmant omnes, neque de hujus medicamenti facultate fuiſſe unquam dubitatum memini. Inde calix ex vitro antimonii vomitorius Rulandi, omnibus ſatis notus, neque annulus ex particulis reguli antimonii præparatus incognitus, ut centena alia vitri antimonii vim emeticam declarantia jam ſilentii peplo involvam. Expectationi tamen meæ non reſpondiſſe ex voto vitrum antimonii in vomitibus excitandis in me ipſo ſum expertus. Die enim 27. Maji 1689. cum grana iv. vitri Antimonii cum vini generoſi ℥iß. præſcriberem virgini cuidam Dreſdenſi per infuſionem per noctem, die ſequente poſt filtrationem debitam ſuam quidem in virgine excuit operationem vomitusque promovit quinque cum εὐφορία. Hanc verò potiunculam ſimili modo præparatam ego die 29. Maji aſſumens, fructumque illius per totius diei ſpatium expectans, ne conatum quidem vomendi, multo minus tormina ulla aut aliquid ſiniſtri perſenſi, tantum abeſt, ut vomitus quosdam aut ſedem unicam fuerim expertus, ut potius eodem die me optimè habentem & ad expedienda negotia promptum ſenſerim paratumque. Neque die ſequenti aliquid ſiniſtri peperit hoc remedium, uti fui auguratus, ſed iterum me ſanum reliquit & neque vomitum neque ſedem excitavit. An ergo vis hæc emetica ab acido ventriculi fuerit ſuppreſſa & aliquo modo fixa reddita, quæ tamen aliquo-

tine-

ſine dubio commoviſſet ſedes, meritò ſanioribus dijudicandum relinquo? Sufficiat, quod in certiſſimis medicamentis incertus ſit medicus, quomodo operationem ſuam exercere velint medicamenta, neque in hoc posſit jurare in verba Magiſtri.

OBSERVATIO LIV.
Dn. D. JOHANNIS GEORGII GRUBELII.
De Opii funeſto in febre maligna uſu.

Cùm anno 1675. matrona nobilis ab Helmsgrün febre afligeretur maligna, cui ſe varia jungebant ſymptomata, ut dolor capitis & delirium maximum, huic pharmacopœus quidam pro more ſuo illicito, ad delirium ſopiendum dedit aliquot grana opii, ex quibus ſtatim in ſoporem adeo profundum incidit patiens, ut die 8. Auguſti ejusdem anni, ejus maritus me ut Medicum ibidem Ducalem Saxonicum convenire, deque ſtatu hoc maximè periculoſo uxoris ſuæ conſulere fuerit coactus. Hoc nefandum & à magiſtratu ſeriò puniendum facinus pharmacopœus ſubolfaciens pœnam hujus delicti mox declinare nitebatur, coramque me & patientis marito fatebatur, ſe unicum ſaltem granum opii dediſſe patienti, cui reſponſum dedi: Credat hoc Judæus Apella: Vix enim poſſibile eſſe, ut ex uno grano in tam profundum incidiſſet patiens ſomnum, plura ergò illi deliranti pharmacopœum adhibuiſſe grana magis veritati eſſe conſonum dixi. Huic ergò varia ad diſcutiendum ſomnum à me fuerunt præſcripta remedia, quæ omnia nihil tamen effecerunt, & patiens ſequente die poſt, incidit in ſomnum perpetuum. Quis ergò de hujus pharmacopœi medicina ſatis efficaci dubitabit, utpote qui in momento omnes

omnes ſopire poteſt dolores, omnesque paucis remediis præcavere morbos, O inexcuſabile factum. Eodem annô alius medicaſter ad nobilem quendam virum febre maligna laborantem requiritur, cui ob dolorem capitis acutum, pulverem ſtatim adhibuit ſoporiferum. Hoc igitur aſſumto, ſtatim melius ſe habuit patiens, ſomnusque excitatur optatus, quem immediatè excepit delirium, cujus pediſſequa erat mors horrenda & quies perpetua. Ita breves inſtituuntur curæ & ex ſpe lucri magnæque exiſtimationis captandæ acquiritur infamia.

(Dresdâ Auguſtam Vind. d. 24. April. A. 1697. miſſæ)

OBSERVATIO LV.

DN. D. JOHANNIS GEORGII JOSEPHI SCHWALLERI.

De Cachexia incipientis hydropis prodromo.

MErcator Pedemontanus æquinoctio autumnali inter pluvias, crebrasque aquarum inundationes, Solodorum quàm primùm appulit, de inappetentia & ciborum faſtidio, ſiti, vigiliis nocturnis conqueri cæpit, adeſt febrilis æſtus, urina turbida, craſſa, aliquando lympida, clara, facies pallida, multùm inflata, ſcabies cum faſtidioſo pruritu; noctu præprimis dum incaleſcit, totum corpus occupat, pedes & ſcrotum intumeſcunt &c. Id quod à commiſſo in victu errore, tempore præprimis autumnali evenire, mecum animadvertit, Venerand. ſenex noſter Hippocr. in aphoriſm. ſuis de añi temporib. autumno

 etiam

etiam multi æſtivi morbi fiunt, & febres quartanæ & erraticæ, & aquæ inter cutem &c. Quamprimùm accerſitus, ad eliminandam ventriculi ſaburram Emeticum exhibui.

℞. ♁. Emet. gr. ij. ⊖lis ✱ac. depur. ℈ß. Ol. deſt. anis. gt. j. f. pulv.

à quo multum materiæ viſcidæ ejecit non ſine levamine; Mane ad præcordiorum anxietates & intumeſcentiam faciei tollendam ſudoriferum propinavi; pro potu ordinario ptiſanam ex lign. Saſſafr. & paſſul. minor. bibit, carnes & juscula pro appetitûs urgentia ſumpſit; his per 4. aut 5. dies continuatis, ceſſârunt vigiliæ, & prædicta unâ cum febri diſparuêre. Verûm tumor dum jam ad genua aſcendit, ſcrotum pellucidum copioſis aquis diſtenditur, ſitis continuat, facies pallet, urinæ copioſum ſedimentum deponunt in quibus ſequentia conduxêre.

Sitibundo Tantalo Vinum chalyb. ex infuſ. chalyb. per noctem in Vin. alb. ten. cum bacc. Juniper. & cinam. contuſ. additis parùm rad. Zedoar. aut Helen. præſcripſi quod multa Experientia comprobatum habemus plurimis valdoperè profuiſſe, juxta ſingulis manè pulverem ſequentem in juſculo aſſumpſit, continuendum per 24. Dies.

℞. Diaphor. ♂ Ludov. rad. Ari præp. croc. ♂ aper. cum Sulph. & Nitro āā. ʒj. Elæoſacch. Cinnam. ʒiij. divid. in 12. part. æqual. dr. &c. Noctu gutt. xxv. ſequent. Tinct. porrexi. ℞. Tinct. ♂ aper. Zwelff. Tart. compoſ. āā. ʒij. Spir. Sal. ✱ac. ʒj. dr. ad vitr.

Scroto

Scroto tumenti fotus ex decoct. fl. ſambuc. addito Lycharg. camphor. cret. & ſacchar. Saturni, aliquando etiam cum ãã. aq. calc. ter in die applicatus profuit; Juncturas artuum unguento officinal. contr. ſcabiem ex Sulph. & Sale toſt. butyr. recent. in corporato compoſ. inunximus; ſingulis ſeptimanis pil. contra Hydrop. Bont. ℈ß. aut gr. xv. exhibendo: quibus ritè continuatis, & obſervatis DEO Benedicente, brevi convaluit.

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII JOSEPHI SCHWALLERI.

De Tumore Scroti.

Adoleſcens viginti circiter annorum ab itinere per *Galliam* redux, trihoris abhinc equum conducit à ruſticis, ut eò commodius Solodorum adveniret, ferre enim ultrà recuſârunt pedes ebrium conſcendit equum, & volans quaſi intra bihorium lætus appulit vinoſus hoſpes: Verùm vix ac ne vix quidem patrios lares aſpicere datum eſt, cum lecto decumbere & de dolore atrociſſimo circa genitalia conqueri cœpit; Vocatus ego, ſcrotum magnitudine caput infantis ſuperans, lucidum, ſub nigrum, durum, ſummoperè tenſum, verbo horrendum in modum à ſubſiſtentibus tantiſper humoribus inflatum deprehendi, abeſt tamen febris, adeſt ſitis parva, appetitus bonus, diſparuit penis, vaſa ſuperficiem perreptantia tument, nigro cruore turgidæ, urget dolor, creſcit tumor & inflammatio. Ad humorum ſtagnationem ſolvendam, ac circulationem magis promovendam

& inflammationem arcendam ſequens præſcripſi ſudoriferum.

℞. Aq. fumar. ſcord. fl. ſambuc. aa. ℥j. Spir. theriac. camphor. ʒij. Ant. Diaphor. ocul. cancr. præp. aa. ʒß. ſyr. è ſcord. ℥j. dr. Sr. uſus per cochl. ſperm. cet. rec. ʒß. aſſumpſit ſæpius in aq. chæref. & ſcord. Externè crebras fomentationes cum herbis ſcord. abſynth. card. bened. fl. ſambuc. melilot. aq. calc. incoctis addito parum Sp. Vini rectif. ſacchar. Saturni croc. & camphor. adhibuimus.

Quibus cum exacto vitæ regimine & vini abſtinentia ritè obſervatis, intra menſem reſtitutus eſt.

OBSERVATIO LVIII.

DN. D. JOHANNIS GEORGII JOSEPHI SCHWALLERI.

De Hydrope uteri occulto, caſu curato.

VIrgo tenuioris fortunæ, ætatis conſiſtentis, ante quindecim jam circiter annos ſine marito gravida credebatur; Evanuit autem falſo diſperſus rumor, dum magis magisve quotidiè regio hypogaſtrica (absque tamen unico hydropis præſentis prodromo) intumeſcere viſa eſt; Certius adhuc, quando ſupremo Medico Medicinam porrigente fœtum ſine patre nuperrimè feliciter enixa eſt. Domo egrediens paupercula ſummo mane templum Dei aditura, fortuitò inter lapides prona in tumidum ventrem humi cadit, ſurgit, & iter continuat, domum verò rediens, à domeſticis rogata, quæ deperditi adeo faciei coloris cauſa eſſet? mox reſpondit: Sie wäre frühe/ da ſie in die

Kir-

Kirche wollte / im Ausgehn ohngefähr auf einen groſſen Stein gefallen / mitten ihres geſchwollenen Bauchs und habe in ihr etwas ſehr gethönt / jetzund aber vermeine ſie / es blaſen alle Winde in ihr zuſammen / und ſaugern ſo faſt / im übrigen ſeye ihr nit gar übel) ſequenti Die ſub veſperam, copioſa aqua per genitalia effluere, ægra debilitari, eſurire, lecto decumbere cogitur, in quintum usque à caſu diem, quo tempore curioſitatis cauſâ illam inviſi, fluxus omninò ceſſare, evaneſcere tumor, redire colorata facies, continuare ciborum appetitus, verbo funditus ſanari cepit, cum omnium admiratione. Redii aliquot abhinc diebus & ſimilia proferentem mihi, libenter audivi. Es wäre wahr / ſie hätte / vor das Waſſer gelaſſen / wie obgemeldt / es ſeyen ungläubliche Maß Waſſer / doch kälter als der Harn / den ſie nach Wunſch erhalten köñe / nit aber das andere / dieſe 4. oder 5. Tag von ihr geloffen / jetzt ſeye ſie völlig geſund / der Bauch natürlich klein / habe gute Luſt zu Speiß und Tranck / ſchaffe / arbeite / nach Belieben / allein den Magen / ſo von der groſſen Geſchwulſt dieſe 15. Jahr hinter ſich getrieben / kenne ſie noch nicht wohl biegen ꝛc. Curavimus igitur ad reliquias exſtirpandas purgari reſin. Jalapp. & dorſum unguento dialth. cum Ol. Lumbr. Terreſtr. inungi.

OBSERVATIO LVIII.

DN. D. JOHANNIS GEORGII JOSEPHI SCHWALLERI.

De Colica Epidemica.

Vinum quem reliquis liquidis, quibus frui conſuevimus, ut qualitate congrua polleat neceſſum eſt:

reficere enim languentes, refocillare Spiritus, ſanguinis motum vivaciorem reddere fateor, ſi juſtum ſit; verùm ſi acidius, cujusmodi elapſo anno, ob nebuloſam, frigidam & pluvioſam per totius anni decurſum tempeſtatem, vineæ dederunt, aſſumatur, magnam Oeconomiæ humanæ noxam inducere, dubitandum non eſt: ſævire incepit Colica noſtra Epidemia, eò tempore, quo vinum præcedentis anni communi plebi defuit, aut defuiſſe voluit inopia; paucis imò fere nullis exceptis. Alvus plerumque pertinaciter obſtructa erat, urgebat vomitus, primis diebus; Appetitus proſtratus, ciborum nauſea, ructus continui, vehemens artuum laſſitudo & debilitas, febricula ſymptomatica, ſitis, ſedatis nonnihil doloribus, intenſæ vigiliæ, quandoque & deliria, jectigationes, convulſiones, mingendi difficultates cum dolore atrociſſimo vexabant. (**Es wäre / obwolte man den Nabel ausreiſſen / die Nieren verzehrn / und die Blaſe höchſt ausgeſcharrt wäre / der groſſe Schmertze ſeye nicht zu faſſen.**) Variàrunt tamen ratione ſubjecti ſymptomata, mitiora erant in his, graviora in aliis, multi, mulierculæ præprimis hyſtericæ, recidivam paſſæ ſunt, nec ullus ea interiit, & paucos contractos reliquit: noſtra medendi methodus ſequens erat, Clyſteres ex ol. lin. & ol. nuc. aa. ℥iv & v. præ reliquis cum fructu in uſum vocavimus. Internè ſimili pro re nata modo, Ol. Amygd. præſcripſimus. ℞. Ol. Amyd. d. ℥iß. vin. malvat. ℥ij. Tinct. caſtor. ʒß. Syr. de menth. ℥ß. M. 6. pro tribus Doſ. ſingul. 3. hor. cochl. ij. potion. ſequentis ſumſerunt.

℞. Aq. Chamom. menth. aa. ℥iß. anticolic. antihyſter. (in mulieribus) carmin. aa. ℥ß. Tinct.

caſtor.

caſtor. ʒß. cinnab. Antim. ℈ß. Syr. pap. alb. cort. aurant. aa. ℥ß. Tinct. anod. gut. vj. dr. ad vitr. Noctu Extract. Theriac. gr. iij. iv. ad vj. in vin. malvat. aut juſcul. porrexi, in obſtinatis demùm doloribus, tanquam ad ſacram anchoram confugi adſequens. ℞. Succ. fim. equin recent. aven. toſt. ℥iv. & v. ſyr. papav. alb. ℥j. D. add. vin. malvat. Tinct. caſtor. myrrh. aut Sp. carminat. &c. quod raro nos fefellit, denique mitigato dolore reliquias blandiori purgante eliminavimus, v. g. exhib. ℞. Mann. calabr. ℥ij. crem. Tart. ʒß. ſolv. in aq. chamom. vel alia approp. & Ol. Amygd. d. Syrup. roſ. ſol. ſ. ℥j. & ℥iß. dr.

Vino abſtinebant, ut & potu ptiſanæ cujuscunque, ob noxam quam mox à tali paſſi ſunt. In nimia autem ſiti; Parcè ſimilem conceſſimus, ſcilicet ex Sem. Aniſ. paſſul. min. cort. aurant. addito pro lubitu fl. chamom. ocul cancr. contuſ. his omnibus benè incoctis paratam; profuit aliquando & theriaca vel in vin. malvat. aut aq. appropr. it. pulv. è cort. aurant. ſæpius de die hauſtus, ut & cortex Peruvianus.

Externa parvi valoris ſunt, præter Euporiſton. illud ex cruſta panis caryophyll. nuc moſchat. cinnam. Vin. malvat. aut rubr. ſuper prunas calefact. & ſtomacho calidè applicatum, ut & ſacculi ex flor. chamom. menth. bacc. juniper. &c. Calida omnes non ferunt.

Apud mulierculas à dulcibus abſtinuimus, ſemper enim pejus inde habuerunt & graviora incurrerunt paſſionis hyſtericæ ſymptomata.

Paſſulæ laxativæ cum ſenn. aut quæcunque ſennata, & fortiora purgantia, noxia deprehendimus & convulſiones aut recedivam procreare, id quod me-

dico

dico noſtrati ab exhibito purgante cum ſenn. dein paſſul. laxat. e. ſenn. non ſine fame ſuæ læſione contigiſſe, compertum habemus.

Purgantia ſi clyſteribus addideris, ſaltem fortiora, dolores augebis, & parùm efficies, pinguia & oleata totam abſolvunt paginam, laxando alvum, & fibrarum inteſtinorum ſpaſmum leniter demulcendo.

Niſi appetitus ciborum redeat, raró convaleſcunt, ſed plerumq; recidivam incurrunt, adeoque blandis purgantibus inſiſtendum eſt, donec redeat, & ſtomachi oppreſſio, & ructus abigantur, ad quod conducit purioris aëris inſpiratio, & laudabilis diætæ ſtudium.

OBSERVATIO LIX.

DN. D. JOHANNIS GEORGII JOSEPHI SCHWALLERI.

De Febre tertiana malignam æmulante.

INeunte æſtate anni præteriti usque ad finem autumni, febris tertiana intermitt. vehementiſſimis ſymptomatibus ſtipata, Epidemicè graſſari cœpit; ab æſtatis inæqualitate & temporis inordinatione oriunda, præcurrebant dictum affectum vomitus atroces, frequentes lypothimiæ, frigus ingens, mox ſubſequente calore intenſiſſimo, intendebatur ſitis, vigiliæ, jectigationes in lecto, urinæ craſſæ erant & rubicundæ, appetitus proſtratus, ciborum faſtidium, cephalalgiæ horrendæ, anxietates præcordiorum, deliria, aliquando & convulſiones ſimul ac ſemel hoc affectu detentos miſerè excruciebant, ab exhibito ſudorifero ex febris malignæ ſuſpicione,

ela-

elapſis 24. Hor. melius habebant, ita ut ſufflaminatam omnino dixiſſes præternaturalem fermentationem & febrem fugatam, redeunt 3. die priora ſymptomata, turbatur denuò urina, & facilius recidivam ex febre Ephemera, aut etiam incipiente maligna paſſas fuiſſe, quam tertiana intermit. laborare, niſi experientia multiplici doctus affirmaſſet; nec diu etiam anceps hæſi poſtea, verùm ab initio ſtatim ſequentia adhibui. Quamprimùm vocatus ad ægrum, vomitorium ex Syr. Emet. aut Tart. Emet. exhibui ante paroxyſmum, clyſteres emoll. & refriger. in iis, quibus alvus tardior, applicare juſſi, ptiſanam ex rad. gram. acetoſ. fol. plantag. taraxac. abſinth. C. C. Phil. præp. cum Spir. Nitr. dulc. aut ſyr. Berber. è ſucc. citri &c. acidulatam pro lubitu propinavi, durante autem paroxysmo à potu abſtinebant, rotul. berber. aut nitr. tabulat. in ore detinendo, potionis ſequentis effectus mirabilis fuit. ℞. Aq. plantag. ℥ij. centaur. min. ℥j. Tinct. anod. gutt. iv. ſyr. chin. de chin. c. centaur. ℥j. m. pro 2. doſ. his omnibus incaſſum adhibitis quandoque aut ſuccum plantag. in magna doſi, aut ſequens nunquam ſine effectu porrexi. ℞. chin. de chin. ʒiij. Sal. centaur. min. ʒß. Ol. ſtill. Cinnam. gutt. j. M. p. 3. doſib. his aut ſimilibus continuatis, aut pro re nata variatis, in ſubjectis aut ſymptomatibus diverſis intra 14. dies convaluere quam plurimi, quo tempore abſente recidivæ metu, vin. medicatum cum rad. Gentian. Calam. Aromat. Herb. abſinth. plantag. centaur. fol. Senn. Rhab. Alex. Agaric. rec. troch. &c. præſcripſi admirandi effectus, aut juſcula alterant. ex herb. plantag. cichor. ſylv. centaur. abſinth. &c. Externè

applicata aut appenſa amuleta prorſus nihil profuêre.

(*Baſileâ Auguſtam Vind. per Nob. DD. Harderum d. 24 April. A. 1697. miſſæ.*

OBSERVATIO LX.

Dn D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De Fonticulorum utilitate.

SAtis mirari non poſſum, qui fiat, quod & generoſisſima præſidia artis Medicæ, quæ graviſſimos morbos humani corporis curent, etiam fato calumniæ ſubjaceant, ut multi ea prorſus è Republica medica eliminare & proſcribere velint, ac ſi prorſus inutilia humanoque generi damno forent, id genus ſunt *venæſectio*, *purgantia*, *clyſmata*, *fonticuli*, *ſetacea* &c. Cùm tamen ſi Medicorumm obſervationes conſulimus, docemur eorum ope & tempeſtiva iſtorum adminiſtratione graviſſimos morbos fuiſſe curatos, ſi ſecus quid evenit, illud vitiũ non ipſis præſidiis, ſed præſidiorum iſtorum abuſui tribuendum eſt. Medicorum ergo eſt, pro iſtorum medicamentorum autoritate & dignitate pugnàre. Ego jam aliquot exemplis & hiſtoriis hactenus dignitatem fonticulorum eorundemque utilitatem aſſerui, alii alia defendenda ſumant. Fonticuli utilitati aſſerendæ, ejusdemque commodo, quod in morbis curandis afſert, commemorando, porrò meum dicabo laborem. *Quidam* Generoſiſſimus Dominus oculorum laborabat caligine, capitis imbecillitate, ad hoc malum curandum

randum fonticulum in brachio inuri ſuo paſſus eſt, dicto facto evanuit malum. Curat ergo rurſum fonticulum occludi. Quid fit? Recrudeſcit malum cum aliqua vertigine & pectoris anguſtia; patitur hoc malum per aliquod temporis ſpatium, tandem incidit in tuſſim cum graviſſimo aſthmate. Curat ergo rurſum emunctorium artificiale fieri in brachio, experitur rurſum magnum emolumentum, malo curatus, poſtea rurſum claudi fecit. Quid fit? poſt ejusmodi clauſuram fontanellæ, rurſum reſpiratio fit anguſtior, & rurſum procul dubio incidiſſet in periculoſiſſimum aſthma, metuens autem illud, rurſum fontanella in brachio apperta eſt, quæ ipſi jam valdè prodeſt. Sic hic Generoſiſſ. Dominus ſatis ſuo exemplo expertus eſt, quem uſum & effectum habeat fontanella in curandis humani corporis morbis, & quòd fontanella occluſa, materia peccans ſeſe in pectus infundat. Minimè itaque *Excellentiſſ. Maxvelli* opinio, (quem autorem cæterum ob *curam Magneticam*, cujus & ego defenſor ſum, magni æſtimo) complectenda, quàm fovet in ſua *magnetica Medicina* l. II. c. IV. p. 128. 129. 130. &c. Quem locum quoque citat *Excellentiſſ. Spleiſſius* in ſuis aureis *annotationibus* ad *Zapatæ Mirabilia* cap. LII. pag. 440 Sed quid dicendum eſt, quod legatur in *Fortunati Fidelis relationibus*: *obſervatumque* eſt *à peritiſſimis viris* (*Vicomercat.* 3. de *affect.* mulierum 5.) *eos*, qui *fonticulos* in brachiis *diu aperta tenuerunt*, ut *multum inde humoris emanarit*, *aut qui cervicem trajecto ſetaceo ſauciatam gerunt*, *magna ex parte ſteriles eſſe*. l. III. c. IV. p. 364. Verùm reſpondemus (1) *fallaciam* cauſæ, (2) à *particulari* ad univerſale non valet conſequentia, (3) è

contra multi habent fonticulos in brachio apertos, qui tamen copioſa prole gaudent. Hiſtoriam hanc transſcripſimus è *noſtris philomatheticis Chiliade. 2. Cent. 6. Lemmat. 92.* quæ publico deſtinavimus. Similis farinæ hiſtoriam commemorat Nobiliſſ. *Vitus Riedlinus* in *ſuis Lineis Medicis Menſe Martio* Lemmate xxx. p. 91. Hæc hac vice in apologiam & defenſionem fonticulorum ſufficiant. Et ex hac mea & Nobiliſs. *Riedlini* hiſtoria quilibet æger & Medicus hoc capiant monitum, ne temere iſta emunctoria, quæ aliquantum temporis ſpatium aperta fuêre ſervata & humorem excreverunt, occludant. Et quamvis interdum hæce emunctoria huic vel illi damno fuerint, non tamen propterea illorum uſus tempeſtivus improbandus vel damnandus. Quippe nullum corpus ſub ſole, quòd non huic vel iſti damno eſſe queat, licet alias plurimis maximè utile & proficuum ſit. An fonticuli ſterilitatem inducant? hoc quæſitum prolixè definivimus in noſtris *philomatheticis* Cent. 4. *Chil.* 2. *Lemmate* 41.

OBSERVATIO LX.

DN. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De Venarum delectu in ſectione.

NOſtra philomathetica *Chiliade 2. Cent. 5. Lemmat.* 57. alium diſcurſum & hiſtoriam de venæſectione comemorant. Venæſectio quæ quoque phlebotomia ſolet dici, eſt tale remedii genus, quod plerumque ægris in multis morbis auxilio ſummoque ſolatio eſſe

ſo-

ſolet. Quidnam præprimis in pleuritide, peripnevmonia & empyemate valeat, innumeræ hiſtoriæ ejus commodum perhibent. Veteres circa delectum venarum usque ad ſuperſtitionem fuerunt curioſi. Moderno tempore, poſtquam Medici dogmati de circulat. ſanguinis ſubſcripſerunt, nulla venarum delectus habetur ratio, poſito, ſed non conceſſo, detur *circulatio ſanguinis*, nihilominus tamen venarum electio aliqua inſtituenda eſt. Quædam enim venæ magis loco affecto proximæ ſunt, quædam ab iis magis remotæ. Hæc vicinitas & longinquitas negligi non debet, ſi alias venæſectio deſiderii ægri & voto Medici reſpondere debeat. *Anno* xc. 20. Junii ♀. noſtræ urbis Chirurgus artis ſuæ optimè gnarus *Johannes Hartmann* narravit mihi hanc hiſtoriam de quodam homine: hic erat ſolitus ſiniſtrum brachium phlebetomo ſubjicere, ut ex eo ſanguinis aliqua particula evacuaretur, & quidem in anno quinquies. Accidit aliquando, ut loco ſiniſtri brachii in dextro brachio vena aliqua ſecaretur, hac ſecta peſſimè habuit, neque cum ſanitate in gratiam redire potuit, antequam, aliquot elapſis ſeptimanis, in brachio ſiniſtro verna tunderetur. Quòd ſi minus daretur aliqua circularis ſanguinis motio, perinde fuiſſet, in quonam brachio vena aperiretur. Vitium in ſectionis modo eſſe non potuit, quoniam ſemper unus idemque Chirurgus venæſectionem adminiſtravit. Vitium ergo fuit in locoratione brachii & venæ. Sinenſes, ut docent nos ſcripta artis Medicæ apud Sinenſes uſitatæ, in ſeligendis venis morbo appropriatis & affectui convenientibus magis ſolliciti & curioſi ſunt, nec ſine emolumento ut itaque veteres non culpandi ſint, qui in ſecan-

dis venis delectum aliquem, & merito, obſervarunt. Quippe ſit cum circulatione comparatum, ut velit. Nihilominus venæ, ut ante omnino monui, vel ſunt (1) *magis* loco affecto proximæ; (2) *Locus affectus* via quadam recta, vel via quadam obliqua ſanguine ſuperfluo & peccante evacuatur, vel etiam (3) *cum ſanguine* ita *comparatum* eſt, ut vel propter craſſitiem ſuam ægrè in locum longinquum vel ab affecto loco remotum deducatur, (4) *venarum* delectum docent & jubent nos variæ venarum propagines & ramificationes. Quod ſi itaque locus affectus ſit venæ proximus, qua illa vena recta via ferit locum affectum, iſthic malè conſulitur ægro, ſi tum loco trunci venæ ramum vellemus eligere (5) Et *citius* ſanus & bonus ſanguis locum affectum inundare poteſt, ſi venam directè locum affectum ferientem aperiamus, quàm ſi vena ſecetur, quæ demum mediante anfractuum & circuituum ductu & oblique peccantem ſedem vel focum morbi evacuat. Stante itaque hypotheſi de ſanguine peridromo, nihilominus aliqua ratio venarum delectus habenda eſt, non curamus, quid quidam Ariſtarchi ogganniant.

OBSERVATIO LXII.

DN. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De Dolore mammæ errabundo.

EIdem materiæ de *Metaſtaſi* & *Epigeneſi* adhuc inhæreo, ut ſi fieri poſſet, plures ad hunc laborem auſpicandum allicere poſſem. Quædam *Generoſa* *Domi-*

Domina ſeſe in hiſce nundinis, quæ dicuntur Fiebler Um-ſchlag curæ meæ commiſit, hæc conquerebatur de dolore in mamma ſiniſtra, quæ eam ſubito invaſit. Quoties locum dolorificum inunxit *Tinctura Bezoardica*, dolor locum migravit ſuum, & coſtam aliquam ſub mamma invaſit. Quem locum coſtæ ſi eodem liquore inungat, locum in mamma repetit, petiit idcirco meum conſilium. Hæc medicamenta à me data ſunt: 20. Jan.

℞. *Antimonii Diaphoretici* ℈iij.
pulv. pannonici rubri ℈iiij.
Therîacæ cœleſt. gr. vij.

M. detur in 7. partes diviſus.

℞. *Aq. Theriacalis* ℥iiij.
Borragin.
Sambuci āā. ℥iij.
Spir. Sambuci
Rub. idæi āā. ℥j.
Antim. Diaphoretici ʒj.
Man. Chriſti perlat. q. ſ. ad gratam dulcedinem. M. detur.

Juſſi ut ℈j. hujus pulveris aſſumpto cum iſta aqua ad ſudorem ſeſe componeret, quolibet biduo antequam ſeſe ad ſudandum daret, primo inungeret *Eſſentia Bezoardica* locum dolore obſeſſum, dicto facto, dolor hoc pacto ſæpè evanuit, ſed rediit, ſed cùm diutius iſta methodo inſiſteret, factum, ut dolor in totum evanuerit. Accidit aliquando mihi ad illam inviſenti narraret, omnem dolorem eſſe jam ſedatum, verum artus jam dolere cum virium imbecillitate, aſt dolore ſe rurſum in mamma prodente, artuum doloris expers eſt facta, poſt aliquot ſe-

ptima-

ptimanas elapſas mihi ſcripſit, ſe iſta methodo à me præſcripta uſam eſſe ſemper & iſtius beneficio ſe id obtinuiſſe; quòd jam, *Dei gratia!* nullum dolorem ampliùs patiatur. *DEUS ulterius* Generoſam matronam ſanam & incolumen conſervet. Quod autem *Epigeneſis* & *Metaſtaſis* in morbis ſuam perſonam agant, notum. Felix Medicus, qui hoc naturæ negotium *Epigneſis* & *Metaſtaſis* ſic dirigere & moderari novit, ut in ægri commodum & ſalutem vergant. Aſt ille malè naturæ miniſter eſt, qui è circumferentia in centrum viſcerum repellit. Quemadmodum ille, qui Eryſipelati multa applicuerat humida, quibus Eryſipelas intus repulſim, ægro mortem attulit, in quo affectu & aërem frigidum vitandum eſſe quàm ſaluberrimè præcipit *Excellentiſſ. DD. Vitus Riedlinus Ulmæ & Academiæ noſtræ curioſorum* Decus inſigne, in ſuis lineis Medicis, labore aureo & maximè utili, *Linea. I. Menſe Februario* pag. 31. remedia, quæ hic prælaudatus vir commendat, etiam amplector.

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De Tuſſi ſabuloſa.

PLacuit Excellentiſs. DD. *Vito Riedlino* in ſuis *lineis Medicis*, quæ quot ſunt, tot aurea monita ſunt; in Menſe *Junio linea* vel *Epiſagmate* v. p. 162. Quosdam morbos quibusdam opificibus familiares notare, ſicque hic locorum Molitoribus aſthma eſt tam familiare malum, ut vix molitorem reperias, cui non

aſthma

aſthma maximè infeſtum. Habui in fine elapſi anni molitorem in cura, qui & phthiſi occubuit, huic inter illa quæ tuſſi rejiciebat, inveniebantur fruſtilla lapidoſa & ſabuloſa. Quippe dum illi malleo lapidem molarem acuunt ſubtilior pars lapidis una cum aëre beneficio inſpirationis attrahitur. Accedit quod quoniam ipſis ſemper converſandum eſt in pulvere farinaceo, quando frumenta mola teruntur, & hæc farina ita inſpiratione attracta infarcit pulmonum meatus & ductus, pulmo ob infarctos ductus in motu ſegnior eſt. Lapicidæ eodem periculo ſubjacent, milites è contra morbis caſtrenſibus ſubjacent; verùm hi intempeſtiva ingluvie peccant. Et alimenta corrupta, quæ ipſis quorundam Commiſſariorum avaritia ſuppeditat, milites in majori copia quàm gladius depaſcunt. Molitoribus, ut ad eos redeam, prodeſſet bis vel ter anno purgantia aſſumere pharmaca, verum in forma liquida, crebroque ipſis danda expectorantia, quæ pulmones mundant, & ductus eos ab iſto infarctu liberant, quorum ingens apud practicos copia, ego laudarem in tali *Oxymel Elleborinum* Excellentiſſimi *Geſneri*. Quod vix ampliùs in uſu eſt, nobis enim veterum induſtria & ſtudio inventa valde ſordent, ut ut vix meliora habeamus. Cumprimis quaſi vatiniano odio acetum, vel acida deteſtamur, quaſi hæc peſtem & interitum indubitatum homini afferant; cùm tamen illa Medicamenta acida non raro morbos curent. Nil dicam *de acetis* Bezoardicis. Quantum tribuat *Mindererus* & alii Spiritui Vitrioli, notum, inter quos lege *Zapatæ Mirabilia Medico-Chirurgica* Cxvii. & xviii. cum *Excellentiſſimi* DD. *Spleiſſii* doctiſſimis *annotationibus* p. 273. 276. 277. 280. 281

Tollatur abuſus acidorum, & ſervetur juſtus, legitimus, & tempeſtivus uſus. *Claudemus* verbis *Clariſſimi Spleisſii* a. l. p. 273. Quod *quidem* illis concederem facile, ſi ſola & in quantitate exceſſiva ſumerentur, illi autem qui uti, & rectè ea applicare norunt, tales diſcurſus non ſine ratione rident. Qui dicta ſint promiſcuè & ſine ratione acida improbantibus.

OBSERVATIO LXIV.

DN. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De Olei Juniperini Virtute.

Molitoris cujusdam vidua de contumaciſſimo quodam dolore dorſi conqueſta, illa tergum manè ac veſperi Oleo Juniperi curat inungi, ac de eo etiam bis de die aliquot aſſumſit guttas. Hoc facto accidit, ut per ſedes evacuarit magnam purulentæ ac ſanguinolentæ materiæ fœtidæ copiam, qua evacuata dolor evanuit. Sicque intus abſceſſum habuit, qui ruptus, talem evomuit materiam. Sicque uſum *Olei juniperini* valdè proficuum eſſe experimur. Hæc Obſervatio notatur contra eos, qui inunctiones damnant, quaſi illæ extrinſecus admotæ nullum fructum interioribus partibus læſis afferant. quàm altè & profunde autem penetrent, docet hæc Obſervatio. De hoc Oleo juniperino meretur legi *Excellentiſſ. Benjamin Scharffius* in ſuo perdocto opuſculo de junipero cap. vii. pag. 62. 63. 64. 65. 66. E. 5. *Omnes enim carnoſitates, ait, venas, nervos & oſſa penetrat, quæcunque vulnera & ulcera ad ſanationem diſponit, vino calido aut juſculo*

ſculo manè & veſperi ſumptum, à natura ipſa ad omnibus partibus opitulandum ordinatur, hominemque in omnibus adverſitatibus conſervat. Id quod & hæc noſtra Obſervatio probat, quàm penetrantiſſimæ virtutis ſit. Meo arbitratu hoc Oleum cum aqua, non cum Spiritu Vini eſſet parandum, hoc modo (1) *plus* Olei & (2) *penetrantius* accipimus. Spiritus enim partem ſubtiliorem ſibi unit. Modus parandi per deſcenſum Uffenbachii, quoque meretur ſuam laudem, aſt tunc rectificandum. Omnium penetrantiſſimum fit, ſi ſine humido per retortam deſtilletur, aſt curandum ne Empyrevma corrumpat, hoc modo deſtillatum ter vel quater rectificetur ſupra cornu cervi uſto, tunc fiet limpidiſſimum, deſtilletur autem in rectificando in aquam juniperi, à qua ſeparandum & ad uſum reſervandum, ſeparationem docet ſupra laudatus Excellentiſs. *Scharfius* a. l, p.64. 65. E. 5. Quod ſi meo arbitrio Oleum juniperinum eſſet componendum, ego ligni juniperini raſuram commiſcerem cum baccis & hæc commixta per retortam pellerem, ac denique bis vel ter rectificarem, hoc modo efficaciſſimum Oleum juniperinum obtineremus. Olea ex vegetabilibus, quæ in officinis proſtant, maximam partem mihi ſuſpecta ſunt, pleraque ſi non omnia admixtam habent Terebinthinam. Quod ſi illa pura & ſincera eſſent, majorem efficaciam in curandis morbis ederent, quàm nunc experimur. Verum hoc mangonium, vel illa impoſtura tam facilè dignoſci non poteſt, ac *Oculorum Cancri*, quorum corruptionem & mangonium duo Excellentiſſimi Medici DD. *Sommer* & *Crüger* collegæ Honoratiſſimi docuerunt, quibus propter alia merita inſignia, & pro-

pter hoc monitum magnas gratias debet noſtra Respublica Medica. Noſtrum eſt, horum inclutæ famæ virorum veſtigiis inſiſtere ac in materiæ medicæ bonitatem ſollicitè & anxiè inquirere, ne ad ſeplaſiorum fraudes connivendo in ægrorum noſtrorum ſalutem injurii ſimus.

OBSERVATIO LXV.

DN. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De obeſitate nimia curata.

QUòd multis hominibus obeſitas & abdominis intumeſcentia magno oneri & incommodo ſit, ſatis compertum eſt. Et ut ſe hoc honore liberent, non rarò ad Æſculapii aram confugiunt, à qua & frequenter auxilium impetrant. Congeſſit contra hoc malum unum atque alterum Medicamen *Waltherus in ſua Sylva.* Verùm vidua quædam hujus loci alio auxilio hoc ſui abdominis onere feliciter liberata eſt. Quæ cum ſupra modum craſſi & tumidi eſſet abdominis, ut ad gradiendum eſſet omninò inepta. Illa in mirum incidit affectum, videlicet per integrum octiduum magnam copiam aquæ limpidæ aſt valdè fœtentis urticæ marinæ tenacitate æmulam per os ejecit, quæ aqua inſtar muriæ ſalſiſſimæ ſalſa erat. Qua evacuata multò gracilior facta, ſicque ipſa *natura eſt bona & provida non raro morborum curatrix*, & Medicus eſt naturæ miniſter, non magiſter, adjutor & non gubernator. Hæc monſtrat viam, quâ Medico & Chemico incedendum.

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De Gingivis oſſeis.

Quàm parata & ſollicita ſit natura in conſervando corpore in ſtatu ſuo iſtius generis innumera exempla adduci poſſent, inter quæ non poſtremum providæ naturæ ſpecimen eſt, quod in provectæ ætatis hominibus vel jam ſenio confectis, quibus omnes omnino dentes exciderunt, gingivæ oſſeam duritiem, quæ tamen aliàs gaudent carne molli & fluxa, induant ut duros cibos mandere poſſint; ſicque novi matronam admodum provectæ ætatis, hæc duriſſimas panis cruſtas, utut omnibus dentibus jamdudum privata ſit, mandit & conterit, æque apte, ac ſi omnium dentium auxilio gauderet. Quod revera rarum contigens, & vix inter centum hoc beneficio unus gaudet. *Excellentiß. Thomas Bartholinus meus Brabeutes* honoratiſſimus in ſua anatomia fol. 720. ſcribit in *ſenio non raro amiſſis dentibus alvei obliterantur & circuitus acutiores facti, durique ut in ſenibus ad manducandum dentium vices ſubeant.* Conf. Excell. *Ruyſchii* Obſ. Lxxxii. p. 104. 105. 106. Ita gingivæ in hominibus vicem dentium præſtant. Ego vidi illam matronam comedentem, citius cruſtas, ac homines dentibus inſtructis mandere ac atterere valent. Econtra alii dentium auxilio deſtituti juſculis mollique carne & cibo corpus ſuum alere & nutrire coguntur. Ego ſatis demirari non poſſum, quomodo natura hos & ſimiles defectus tam ſollicitè reſarciat,

& reſtauret. Oportet itaque quod natura aliud quid ſit, quam quidam ex Neotericis ſibi perſuadent, qui eam pro nudo vocabulo habent. *Mihi autem eſt vis quædam Dei creata per omnia diffuſa, rerum omnium generationis & corruptionis aliarumque viciſſitudinum in omnium ſubſtantiarum corporearum regnis contingentium ſufficiens cauſa.* Noſter Honoratiſſimus collega & Leopoldinæ Societatis Adjunctus meritiſſimus DD. *Schelhammer* jam ſtrenuiſſimum naturæ vindicem agit, hicque Excellentiſſimus VIR & noſtræ Chriſtiano-Albertinæ & Leopoldinæ Academiæ maximum Decus doctiſſimum Comentarium de *natura* quo eam priſtino ſuo vigori dignitati, authoritati & throno ſuo Regali reſtituit, quo eam nonnulli deturbaverant, maximo Philoſophiæ naturalis damno & detrimento elaboravit. Plus itaque naturæ tribuendum eſſe, non *immeritò concludo.* Inter os, qui naturam deprimunt, nomen ſuum profitetur Excell. *Robertus Boyl* Philoſophiæ experimentalis hujus noſtri ævi Atlas, cujus magni Viri labores in philoſophia naturali ſpiſſius exoſculor, magnique facio, aſt in naturæ dignitatem juſtè iniquus eſt. Carteſiani plus naturæ deferunt & tribuunt. Quicquid ſit, *Natura* eſt cauſa univerſalis omnium rerum ſecundaria.

(*Miſſa* Kiliâ *Norimbergam d. 12. Maji Anno 1697.*

OBSER-

OBSERVATIO LXVII.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Aſcitico brevi tempore Uxoris imprudentiâ curato.

SExagenarius vilioris ſortis, cùm venter & pedes ſibi intumuiſſent, & aquæ ſonum in converſione corporis ad alterutrum latus percepiſſet, cùm anteà ſæpè fuiſſet obſtructus, id quod erat, ex hydrope ſeſe laborare perſuaſus ad me Uxorem die 2. Maji A. C. miſit, quâ me de his & aliis, intolerabili cumprimis ſiti & decoloratione corporis edoceret, ac de urinâ intensè rubicundâ teſtaretur. Poſtquam, quæ ſervanda eſſet diæta, edixiſſem, & Euporiſta diuretica ac fixiora, quia ad ſudorem vergebat, ſudorifera cum modô utendi expoſuiſſem, pulverem, quem herba gratiola ex hydragogis vulgò ita vocatis facilè princeps ingrediebatur, præſcripſi, iterùm iterumque inculcans, bis tantum ſingulis ſeptimanis, cùm ceſſaturus eſſet ab uſu reliquorum, eô eſſe utendum ac ad officinam, quæ munificentiâ Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Leopoldi liberi Baronis à Tharoult Prælati Uratilavienſis &c. omnibus patet egenis, eam remiſi. Segnem experta opem in diureticis & ſudoriferis, præſentiorem in Cathartico ſibi dato animadvertens, omiſſo illorum uſu per triduum ſingulis diebus bis pulverem hunc adhibet, qui ἄνω ϰ̀ κάτω potentiſſimè cum ἐυφορίᾳ eduxit, ut videas Johannem Wierum in cura hydropis non vanum hujus herbæ fuiſſe Encomiaſten. Mulier, quæ facta, poſt dies aliquot, narrat, addens inde tumorem

ven-

ventris valdè minutum & ſic ſatis rectè habere maritum & requirere adhuc ex iis, quæ ſine corroborandi viſcera in antec. memoratis jam addideram, quibusque is ſingulis diebus uſus fuerat; cùm hæc percepiſſem, attonitus ſtupui, qui iſtud ſine animi deliquio ſuſtinere potuiſſet, acriter temeritatem hanc caſtigavi, verbis tamen meis parum movebatur lætabunda, quòd maritus rediiſſet ex parte ad priſtinam ſanitatem, id ſibi ſatis eſſe cenſebatur. Certè æger qui deinde ad plenam rediit ſanitatem hic ſimilis fuit quadantenus ruſtico hydrope Anaſarca ac tandem Aſcite laboranti ac importunè Chirurgum ad iteratas aquæ miſſiones ſolicitanti, quam hiſtoriam recitat magni vir judicii Pechlinus Lib. I. Obſerv. Medic. phyſic. Obſerv. 62. Certè quam ille ab operatione Chirurgica, hic à pharmaco temerario auſu adhibito ſanitatem eſt conſecutus. Non vani ergò ſunt illi Practici, qui obſervant tumorem abdominis etiam ſolis purgantibus poſſe minui, nam etſi de via qua evacuatur nondum ſatis conſtet, de effectu tamen dubitari non debet. Hippocrates in Coacis quoque non fruſtra obſervavit, diarrhœam in hydrope incipiente eſſe ſalutarem. Conferri poteſt Timæus lib. 3. c. 25.

OBSERVATIO LXVIII.
DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.
De Ulcere in labio, acidum & erodentem liquorem ſtillante.

Puerulus quinque annorum ſemper hactenùs cum variis luctatus morbis, ulcere in labio corripitur, ex quo

ex quô tàm acris & acidus effluebat liquor, ut, in quaſcunque corporis partes incideret, easdem illicò eroderet & vulneraret. Perluerat jam varias partes & in pectore ac manibus plures ſolutiones continui excitarat, cùm 7. Martii meum requireretur conſilium à Patre milite, quod, DEO juvante, felicem habuit exitum, ita ut jam ſatis bellè agat puer ille. Notare verò volui hanc hiſtoriam Medicam ad univerſalitatem paſſim receptæ propoſitionis, quod omnia ulcera à ſalſis humoribus producantur, infringendam etiam hôc ſingulari, non dubitans, quin & ſalſa & acida imò etiam humores nullâ acrimoniâ linguæ moleſti exulcerare partes corporis valeant.

OBSERVATIO LXIX.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Hæmorrhagia poſt Variolarum eruptionem non lethali.

IN Variolis, quæ paſſim hoc anno graſſatæ ſunt, memorabile eſt, & in pluribus à me obſervatum, ſatis copioſum ſanguinis ſtillicidium & antequam erumperent, in ipsâ quoque eruptione, quod ſi Clariſſimus Junckenius in Praxi Medic. p. 973. audiendus eſt, variolarum quantitatem minuit, imò & poſt eruptionem, ſine damnô Mater paupercula duorum liberorum cùm morbillis conflictantium crebris per triduum recurrentibus narium hæmorrhagiis poſt eruptionem, perterrita, remedium petebat. Audiens omnes circumſtantias exiſtimabam criſin valdè perturbatam, initiò triſtia ominabar, recordatus regulæ, quam legeram apud Williſium in Phar-

maceut. rational. parte 2. ſect. 3. c. 2. p. m. 262. *Immoderatus ſanguinis fluxus in variolis, morbillis, febribus malignis ac in peſte ſemper malum portendit.* Victus miſeræ precibus ex ingenioſiſſimi hujus auctoris conſilio hæmorrhagiam in diaphoreſin blando ſudore excitato mutare, felici ſucceſſu aggreſſus ſum, non prorſus deſperans, benè gnarus, quod Medici quidam (ut Riverius & Guido Patinus in theſibus) etiam poſt eruptionem, ſi febris non minuatur, V.S. inſtituant, non etiam eram neſcius, vulgò mali ominis ſignum haberi, ſi vel inſtantibus vel jam apparentibus exanthematibus ſymptomatici fluxus alvi superveniant, & nihilominus celeberrimum D. Henricum Meibomium in elegantiſſima de variolis & morbillis diſputatione § 42 noveram te ſtari, ſolutum in juniori quodam feliciter morbum fuiſſe, nec ex eo tempore denuò variolis correptum. Benedixit DEus medicamentis ex alto & ægri reconvaluêre.

OBSERVATIO LXX.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Oculis, Vitulinis ſimillimis, errore Matris in Virgine quadam.

QUantum impreſſio utero gerentium ad ſtructuram & figuram partium immutandam valeat, infinita comprobant exempla. Et ut innumera omittam, in famigeratiſſimi Conringii diſput. de nat. & dolore dentium §. 5. nuperrimè hiſtoriam legi his verbis expreſſam: *Cum mater ejus* (filii Concionatoris) *ſingulari utero gerentium deſiderio, nimis avidè minusq; cautè dilectæ ovis os & inſitorum dentium ſtructuram rimaretur,*

fecit

fecit ut inſontis embryonis dentes ſimilem in modum formarentur & infanti excluſo ovini dentes poſtea prodirent, quod profectò probo puero & loquelæ ac maſticationis difficultatem, tum quoque inſignem faciei deformitatem non potuit non afferre, nullo negotio mihi refricabat memoriam filiæ Patre concionatore in Sileſiâ natæ, quæ nuper febricitans me accedebat & cùm mirarer oculos ejus vitulinis ſimillimos, iis ſeſe de culpa matris intempeſtivè vitulinos, cùm prægnans eſſet, conſiderantis teſtari, lachrymans, referebat. Verè ergò ſubtiliſſimus Steno in actis Haffnienſibus volumine 1. p. 249. ſcripſit, quòd *quælibet imago cerebro matris firmiter impreſſa, ſufficiat mutandæ determinationi iſtius motus, quo delineantur partes fœtus.* Quod mirum non eſt, nam tantùm poteſt impreſſio, ut canis etiam *imago intra urinam hominis à rabido cane demorſi conſpecta fuerit*, de qua ſe cum Nicolao Claudio Fabricio de Peireſc. Senatore Aquiſextienſi Philoſophatum eſſe narrat Celeberrimus Vir Petrus Gaſſendus in Vitâ Peireſc. lib. 2. non procul ab init. p. 77. Nec prætermittendum quod deſiderium ceraſi potuit, quod in matre occurrit, fructum in eô depingere, prout notavit Marc. Id. c. 5. & Helmont. p. 432. & 858.

(*Miſſæ Vratislaviâ Norimbergâm d. 15. Maji Anno 1697.*)

OBSERVATIO LXI.

Dn. JOHANNIS KUNCKELII.

De Hominibus ſub aqua viventibus.

HOminem per integrum octiduum ſub aqua vivere poſſe, in Suecia nuper verum, & omnibus loci

ubi contigit, incolis cognitum eſſe, expertus ſum. Nam quatuor circiter leucis ab Urbe Falung, ubi magnus ille mons cupri ferax eſt, ante non ita longum tempus Pictor vulgaris, qui nil niſi ruſticorum hypocauſta figuris ineptis depingere didicerat, in aquam ex cymba delapſus fuerat, fundumque mox in pedes erectus petierat; ubi fruſtra per octiduum cum quæſitus fuiſſet, tandem in ſublime denuo propulſus, vivusq; in auras rediit; à Judice autem loci & Paſtore de ſequentibus circumſtantiis interrogatus fuit: An nempè ſemper reſpiraverit? reſpondit: ſe illud ignorare. An de DEO cogitaverit, animamque ſuam ipſi commendaverit? Reſp. ſæpius. An videre & audire potuerit? Reſp. affirmando, ſiquidem ſæpè uncos, quibus ipſum inveſtigaverant, manu adprehenſurus fuiſſet, ſi protendere eam à corpore valuiſſet, piſces etiam ſemper oculis ſuis, magna ſua cum adflictione inſidiaſſe. Quomodo ab iisdem ſe tueri potuerit? Reſp. palpebras aperiendo & claudendo; quoad auditum nihil ſibi dolorificum magis eveniſſe, quàm ubi extra aquam conſtituti, eandem diverberaſſent; inprimis verò, ubi quis amphorâ cupreâ aquam hauriens, hanc commoviſſet, ſemper in auribus magnum dolorem fuiſſe excitatum, qui totum dein corpus adfecerit. An famem perſenſerit, vel excrementum emiſerit? Reſp. negando. An dormiverit? Reſp. ſe neſcire, quandoque tamen quaſi extra ſe conſtitutum ſe fuiſſe, & hinc aliquando ſomnum cepiſſe arbitrabatur, ſibi verò redditum, de DEO, ſuaque liberatione cogitaſſe, aliarum verò cogitationum ſe immemorem eſſe. De vita ipſius Vir honeſtus, & dives Metallicus (cujus filio ſequens caſus contigit, totiusque hi-

ſtoriæ,

ſtoriæ præſens teſtis fuit) mihi edixit. Pictorem hunc equidem tam pium haud fuiſſe, ut DEUM propterea ad gratiam hanc exhibendam promoviſſe, credibile eſſe queat, neque tamen culpabilem admodum vitam duxiſſe, atque ante triennium obiiſſe.

Supradictus Metallicus, cùm apud ipſum, una cum Dn. Præfecto, Dn. Barone Nicolao Greiffenhelm, viro in rebus metallicis curioſiſſimo, convivio, quin & hoſpitio nocturno exciperer, filium ſuum, viginti quatuor circiter annos natum, corpulentum & benè moratum juvenem, mihi ſiſtebat, qui pariter ante aliquod tempus ex cymba in aquam delapſus, ibique ad fundum depoſitus, verſus litus per mille quingentos præterpropter paſſus fuerat progreſſus. Ille à me interrogatus, an de DEO cogitaverit? reſpondit, non niſi cum ſe moviſſet, de aliis verò cogitationibus ſe neſcium eſſe. Quomodò viam verſus litus, adque paternas ædes tam benè invenerit? Reſp. clamores Sororis in litore ſtantis cauſam fuiſſe, cum verba omnia clarè & diſtinctè audire valuerit: Aquæ verò diverberationes & clamores, uti ſupradicto Pictori, ſibi admodum faſtidioſos exſtitiſſe. Hoc ergo incommodum perſentiendo, ſororisque vocem exaudiendo, cogitationibus ipſum non caruiſſe, ubi regeſſi: Reſp. præ magna de vita ſua ſalvanda ſollicitudine ſe nihil aliud cogitaſſe, niſi cum ſe moviſſet; quod aliquoties factum, cùm duas facilè horas in itinere hoc emetiendo conſumſerit, quo tempore magnas ſuorum lamentationes perceperit, & quia verba omnia audiverit, utique cogitationibus ſe non fuiſſe deſtitutum, ſed ſeipſum in hoc ſibi non conſtare. An reſpiraverit? Adfirmavit quidem, neſcius tamen, quomodo acciderit

derit, quod aqua corpus non intraverit, reſpirationem verò dubio procul exiguam fuiſſe. Utrùm calorem vel frigus perſenſerit? Calorem repoſuit.

Tertiò Piſcator aliquis in aquam ibidem delapſus eſt, atque inter emergendum caput glaciei impegit, ubi per tres dies ſic conſtitutus cum hæſiſſet, tandem à ſociis ſuis ope retis extractus fuit; quamvis autem de vita ejus omnino dubitaverint, ſanus tamen & vegetus comparuit. Interrogatus, quomodo ſe haberet, iterato: prorſus benè, prorſus benè, reſpondit, (gantz wohl/ gantz wohl / nomine ejus indè in proverbium abeunte, id quod Holmiæ tam notum eſt, ut nec pueros etiam lateat,) obortamque ſibi circa caput veſicam ingentem. Plura de eo reſcire haud potui. Cæterùm quomodo hic ob aërem ipſi in veſica iſta non deficientem, vivere valuerit, non adeò quidem obſcurum eſt; verùm de Pictore illo & filio Metallici ſine aëre conſueto vitam protrahentibus, res difficilior videtur; quam aliis explorandam relinquo.

SCHOLIUM.

Similem hiſtoriam cum celeberr. *D. Joël Langelottus* quondam *in Ephem. noſtr. Dec. I. Ann. 6. Obſ. 20.* communicaverit, variaque Virorum clariſſimorum de ea judicia, *Obſ. 75. 76. 89. 125. 130. 192.* ut & in *Act. medd. Hafniens. Vol. 4. Obſ. 42.* legantur. Lectorem eò ablegare placet. Conſiderari potiſſimùm merentur, quæ Nob. *D. Joh. Nicol. Pechlinus tract. de aëris & alimenti defectu &c. cap. 10.* diſſeruit. Sanguinis inprimis tardiorem ab aquæ, exteriorem corporis ambitum ubique inundantis, frigore motum, atque prohibitam à circumflua & poros æqualiter premente

aqua

aqua tranſſpirationem, aëris vitalis in corpore contenti diſſipationi obſtitiſſe, mihi credibile videtur; præſertim ſi, juxta prælaudati *Pechlini* mentem aliquas ſubinde aëris particulas per aquam diffuſas, poros penetraſſe, ac ſanguini ſe inſinuaſſe, dicere liceat.

(*Dn. D. L. Schröck.*)

OBSERVATIO LXXII.
DN. JOHANNIS KUNCKELII,
De Lapide Lunari.

DE Lapide, quem in Sueciæ metallifodinis oſtendunt, ipſique den Monden-Stein Lapidem lunarem adpellant, mera eſt illuſio. Simili ceu raro aliquo me donaverant, qui dimidii digiti longitudinem æquat, rotundus, atque ex altera parte lævigatus eſt, ubi quaſi ſemicircularis figura, & in qua dimidiatam Lunam ſibi quis imaginari poteſt, eaque fuſci nonnihil coloris, adparet; hancque lunarem maculam cum aſtro illo ſuperiori creſcere ac decreſcere recenſent. Quod cum mihi creditu difficile eſſet, adcuratè obſervandum mihi propoſueram; ſed nec circuli adcuratiſſimi ope tale quid deprehendere valui, maculâ illâ ſemper in uno eodemque ſtatu permanente. Quamvis verò eadem aliquando in colore ſuo intenderetur, ab aëre tamen illud provenire cognovi, ubi is humidus exſiſteret; id quod etiam, aëre optimè ſe habente, ſolius halitus mei adflatu efficere potui.

(*Ex prædio Prenden Auguſtam Vind. d. 19. Maji Anno 1697. miſſæ*).

SCHO-

SCHOLIUM.

ANtiquis jam temporibus Lapis aliquis lunaris innotuit. *Selenites, C. Plinius Sec. natur. hiſt. libr. 37. cap. 10.* ſcribit, *ex candido translucet melleo fulgore, imaginem Lunæ continens, redditque eam in dies ſingulos creſcentis minuentisq́ numero, naſciq́ putatur in Arabia.* Et, in *Perſide*, ut habet *Solinus cap. 38. memorabil. Selenites reperitur, translucet fulgore candido, continens Lunæ imaginem, quem juxta curſum aſtri ipſius perhibent diebus ſingulis vel minui, vel augeri.* Sicut verò Selenites hic, diverſo colore, candido nunc, nunc ex candido melleo &c. pellucidus, variis in locis reperiundus, atque ex Moſcovia inprimis ad nos adferri ſolitus, noſtro tempore eſt cognitiſſimus, ita Lunæ tamen imaginem ipſum non tàm continere, quàm potiùs inſtar ſpeculi, ſi Lunæ noctu exponatur, imaginem ejus repræſentare, alii rectiùs obſervant. Neque ipſum lapidem cum Luna creſcere atque decreſcere, *Solino* credi debet; niſi eundem non de lapide, ſed Lunæ imagine illud adſerere, ſicque in vocula: *quem*, mendum eſſe dixerimus; quamvis *Marbodeus* ſimile quid finxerit, canens, cenſuramque ideò *Conr. Geſneri lib. de figur. lapid.* promeritus:

Lunares motus & menſtrua tempora ſervat.
Creſcit enim Lunâ creſcente minorque minutâ
efficitur, tanquam cœleſtibus anxia damnis.

Rectius itaque *Dioſcorides lib. 5. de mat. med. cap. 116.* noctu Lunæ auctæ & decreſcentis imaginem reddere ſcribit; clariùs verò *Anſ.* Boëtius *de Boodt lib. 2. hiſt. gemm. & lap. cap. 215.* Lapidem ſpecularem eum vocari innuit, quôd facilè Lunæ imaginem in ſe recipiat,

variis-

variisque modis viſui offerat; omnium verò clariſſimè *D. Frid. Hoffmannus in Clav. Pharm. Schröd. lib. 3. cap. 8.* hæc expoſuit, ſcribens, non ſolùm ad Lunæ ſplendorem lucere, ſed & veluti in ſpeculo quodam Lunæ ſive plenæ, ſive dichotomæ, ſive ſextilis figuram perfectè exhibere; indeque fabulam enatam eſſe, ut ſimplices phantaſmate illo illuſi, reale in eo in- & decrementum effinxerint. Quæ licet in ſpeculari hoc lapide ita ſe habeant, alios tamen inſuper dari recenſito *Domini Authoris* lunari ſimiliores, perſuadere nobis quidam conantur. Sic *Anton. Mizaldus*, quem *Athanas. Kircherus ſect. 3. magnet. natur. regn. c. 3.* adducit, ſingularem aliquem lapidem in opuſculo *de conſenſu Solis & Lunæ cap. 5.* memorat nigrum, lævem, & maculâ aliquâ candicante præditum, quæ ſingulis diebus creſcente Lunâ creſcendo augmentabatur, & decreſcendo proportionaliter diminuebatur: alium etiam è colore cœruleo in candidum juxta augmentum & diminutiones Lunæ ſe transmutantem, Leonem X. Pontificem Romanum habuiſſe, ex aliorum fide *idem Kircherus* refert, hujusque phænomeni cauſam *cap. 4.* reddere laborat. Quamvis autem hiſce fidem ut adhiberem, perſuadere mihi hactenus nunquam potuerim, nunc tamen ut dubitare magis pergam, hæc *Domini Authoris noſtri* relatio momentum addit; quæ ſanè multa ſæpe nobis naturæ quaſi miracula referri confirmat, quæ ritè examinata protinus fabuloſa eſſe deprehenduntur.

(Dn. D. L. Schröck.)

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. D. JOH. ÆGIDII EUTHII.

De Atramento ſcriptorio per benè multos annos abſque ullo aſſervato rancore.

VIllia, quando utilia & neceſſaria, meritò habenda in pretio. Exemplum mihi præbuit illicò atramentum ſcriptorium, ſodes, quid hoc, communi noſtrâ in vitâ, vilius & vulgarius? ne parvis tamen, ut ita dicam, carere quimus momentis.

Verùm modus, atramentum componendi & abs rancore ullo per annos aſſervandi, non paucos hucusque curioſos atramenti latuit amatores. Eapropter illorum inductu, in chartam conjeci ἀφόβως, nuncque divulgo ἐγχείρησιν.

℞. *Acet. vin. opt.* ℔ij.
Aq. pluvial. ℔xiij.

Decenter ebull. haudque cunctanter ſuperfund.

Vitriol. Calcinat. ℔ß.

Per 24. horas, in olla ſtent purâ, ritè munitâ. Dein add. groſſo modo pulveris.

Gall. quer. immatur. ℔j. ℥iv.
Gumm. Arab. ℥v.

Baculò agita ligneo quotidiè, quarto vel quinto habebis die Atramentum nulli planè obnoxium corruptioni, atque formica, graculo, pice nigrius; appoſitè *Ovidius* 2. *Metamorph.*

Qui color albus erat, nunc eſt contrarius albo.

OBSER-

OSERVATIO LXIV.
Dn. D. JOH. ÆGIDII EUTHII.
De Piſce monſtroſo & prægrandi.

ANno Chriſti 1695. d. 14. Novembr. conſanguineorum meorum non nemo αὐτόπτης ex Galliis, Gallico ad me perſcripſit ſermone, quod à *Dieppanis piſcatoribus*, cœco in æquore piſcis inſolentiſſimus ac rariſſimus fuerit captus, ſexque *Rothomagum* advectus equis, *Colore*, cani marino haud abſimilis: *Pondere*, ſeptem millia librarum: *Longitudine*, octodecim ſuperans pedes: *Latitudine*, cauda piſcis trium fermè pedum fuit. *Corpus* verò decem. *Caput*, rotunditate novem; *Ventriculus, amplitudine*, ultrà ſex pedes, parvis & acutis præditus dentibus. *Oculi*, magnitudine ſquillæ recentis, ſeu pancratii majoris ad inſtar, rubentibus tunicis. *Corpus* denique ternis pinnarum ordinibus notatum, notanter Poëta:

Evocat è liquidis piſcem penetralibus eſca:
Ecce autem ſubitum, atque oculis mirabile monſtrum.

OBSERVATIO LXXV.
Dn. D. JOH. ÆGIDII EUTHII.
De Piſce figurá vittæ Gallicanæ vulgò Fontange.

ANno à ſalutifero partu 1697. d. 7. Junii *Schevelingâ*, pago nempè maritimo, *Hagæque Comitis* proximo ad me inter prandendum apportatur monſtrum:

Horrendum & dictu video mirabile monſtrum.

Quod fuit, Piſcis, omni ex parte perfectam repræſentans

tans ſexus ſequioris ſeu fœminini vittam modernam, à Gallis excogitatam primitus, atque *Fontange* nominatam: copioſè ac ſplendidè ornatam omnibus & ſingulis ſuis requiſitis.

Hunc piſcem prodigioſum omnes mecum aſſecæ menſæ admirati ſunt, non neglectis ſimùl piis meditationibus. Piſcis autem totius *Longitudo*, ulnam vix æquabat Hollandicam. *Latitudo*, ſpithamam. *Craſſitudo*, quatuor duntaxat digitorum eminentiam.

Piſces mirificè formatos, armiſque bellicis notatos, annotarunt olim fide digni Scriptores; ſcienter *Virgilius* 3. *Æneid.*

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis, & ira Deum ſtygiis ſeſe extulit undis.

OBSERVATIO LXXVI.
DN. D. JOH. ÆGIDII EUTHII.
De Odontalgia pertinaci Venere edomita.

ANno Epochæ Chriſtianæ 1697. d. 12. Jun. *Hagæ Comitis* Excellentiſſimus quidam ſummi Principis Legatus, cujus nomini parco, penesque quem literarum adhuc viget honos & exiſtimatio, ad Pacis Tractatus qui *Roeswici*, bis in ſeptimanâ, mirâ cum magnificentiâ & vigilantiâ celebrantur, miſſus. Varia à variis medicis incaſſum, contra dentium dolorem adhibuit medicamina, meum tandem, ut aſſuetus implorat auxilium. Minutiſſima percontatus aſſiduiſſimè ex arenâ ſubminiſtro conſilium, videlicet moderatum cum conjuge ſuâ lectiſſimâ, Veneris exercitium à quo caſtè & pudicè abſtinuit, ob aliquot menſium

iter=

iter. Subridiculè inter alia mihi reſpondit, Domine Doctor vale, absque morâ executurus ſum. Tertiò reverſus ego die, *Dordraco, Roterodamo, Delphis Hagam Comitis*, Excellentiſſimum Dominum Legatum in cubiculo ſuo, ab omni dentium dolore liberatum, libenter offendi, valdè laudavit tàm abſtruſum ſibi, quàm jucundum remedium, alioquin

Ardet in affectu Venus anxia, ſordet in actu,
Inficit & fœtet, quando patratur opus.
Poſt factum feciſſe pudet, citò præterit illud,
Quod juvat, æternum, quod cruciabit, erit.

(Haga Comitis miſſæ Norimbergam d. 15. Jun. Anno 1697.

OBSERVATIO LXXVII.

DN. D. ALPHONSI KHONII.

De Transmutatione Metallica curioſa & genuina.

QUamvis Chryſopœia ſive Ars metalla ignobilia & imperfecta in aurum & argentum puriſſimum perfectiſſimumque transmutandi antiquiſſima & veriſſima ſit, & usque ad noſtra hæcce tempore ſubindè fuerit propagata, clariſſimisque exemplis ac experimentis à quibusdam Adeptis (quorum tamen numerus valdè exiguus eſt) confirmata & comprobata, nihilominus tamen pauci reperiuntur, qui hiſce metallorum immutationibus fidem adhibent, quin potius omnia talia riſu excipiant, pro nihilo & re planè impoſſibili putent, fraudemque vel impoſturam ſubeſſe ſibi firmiter perſuaſum habeant. Notorium quidem eſt, quod innumeri fermè otioſorum & fraudulen-

torum Alchemiſtarum vel Pſeudo-Chemicorum libri plurimis fucis, falſis proceſſibus & ineptiis referti, typis impreſſi, prælo tamen publico minimè digni, ſed potius comburendi ubique inveniantur, quorum Authores ipſimet cœci, aliis tamen viam commonſtrare haud erubeſcunt, & quod plurimi fumivenduli & impoſteres vagabundi pro Chemicis vel Alchemiſtis verſatiſſimis (imò verſutiſſimis) ſeſe jactitantes, incautos ſæpius fallant, eosque auro vel argento emungant, & promiſſi theſauri loco fumum, fornaces, vitra fracta, cineres, capita mortua, temporis, pecuniæ, & quandoque ſanitatis diſpendium cum pudore & vita tædioſa relinquant, fraudes ſuas tam ſpecioſè tegentes, ut vel oculatiſſimos nonnunquam decipiant, quorum unicus labor eſt, ſpe lucri aliis oſtenſâ ſibi lucrum quærere, quo fit, ut nobiliſſima Alchemiæ ſtudia malè audiant, viriquе prudentes & eruditi vel ut res inanes ludibrio habeant, vel ut fraudulentas deteſtentur. Interea tamen infans cum excrementis minimè rejectandus, nec ars hæc transmutatoria Hermetica præcellentiſſima vel pro imaginaria, vel pro phrenetica, vel pro præſtigiatoria & Dæmoniaca reputanda ac cenſenda, & ſi non multis liceat adire Corinthum, paucis ſubindè licuiſſe, & hodie adhuc dum licitum eſſe in propatulo eſt, quibus nimirum ex meliori luto finxit præcordia Titan, quorum etiam ſcripta publici juris facta magni omninò ſunt æſtimanda. Veræ transmutationis metallicæ plurima collegit & recenſuit experimenta egregia Cl. D. Phil. Jac. Sachs à Lewenheim p. m. anno 1670. Miſcellaneorum Naturæ Curioſorum Anno primo inſerta. Paulò poſt Anno 1673. Exc.

Morho-

Morhoſius in Epiſtola quadam eximia de Metallorum transmutatione ad ampliſs. D. Langelot, prout etiam Anno 1678. experientiſs. Clauderus in diſſertatione de Tinctura Univerſali, varia & rara hujus metamorphoſeos in medium produxerunt exempla, transmutationisque metallicæ poſſibilitatem ponderoſiſſimis rationibus & authoritatibus abundè ſuffulſerunt ac illuſtrarunt, veræque ſimul Alchemiæ lucem intulerunt clariſſimam. Quibus cum plurimis aliis viris excellentiſſimis & prudentiſſimis calculum ſuum quoque addit nobiliſs. Fidus Eccardus in Agyrta larva privato, ut & in Chymico fugâ ſibi conſulente &c. nuper germanicè editis. Et cum ante biennium iſtiusmodi quoque transmutatio in civitate hacce Ulmenſi fuerit peracta, operæ pretium duxi, curioſum experimentum hoc rarius occurrens, à Patronis & Amicis quibusdam ſtimulatus, aliis quoque communicare, ut abſtruſioris Artis hujus veritas magis magisq; eluceſcat, ad expugnandam eorum pervicaciam, qui nullis argumentis & vix ſuis convinci ſenſibus posſunt, quorum ſanè hominum plurimi reperiuntur, cum enim maxima eorum pars rerum naturalium viciſſitudines & vires abſconditas ignoret, aut ingenii ſui norma metiatur, fieri plerumque ſolet, ut quod novum illis aut inſolitum videtur, primum in dubium vocent, & dum Judicii lance aſſequi illud non valent, ut rem inanem & fictam contemnant, nihili pendant, Artisque hujus nobiliſſimæ cultores irrideant.

Transmutatio autem ☿ vivi cum plumbo commixti in aurum optimum veriſſima Anno 1695. d. 12. Junii hic Ulmæ ſequenti modo in horto Dn. Wolffgangi

gangi Wilhelmi Mejeri, Pharmacopolæ ſagaciſſimi, Chymicique in Vulcani palæſtra exercitatiſſimi, fuit inſtituta, & quidem in præſentia aliquot Perſonarum Illuſtrium, rerumque Chymicarum expertiſſimorum, quorum quidam in abſtruſioribus Naturæ operationibus valdè curioſus indagator ſingulari fortunæ favore obtinuit unicum pulveris granum, rubicundi coloris, in parva ſua quantitate ſatis ponderoſi, talibus viribus præditi, ut 30. grana Mercurii vivi cum plumbo commixti, in puriſſimum aurum transmutare potuerit. Sumſimus igitur ſecundùm Communicatoris præſcriptum plumbi communis uncias duas, cui in crucibulo liquefacto addidimus Mercurii vivi communis in alio crucibulo prius calefacti unciam ſemis, & ſtatim pulverem prædictum transmutantem chartulâ incluſum & cerâ involutum formâ pilulari ſupra plumbum & Mercurium crucibulo immiſimus, ac circumcirca carbonibus admotis ignem probè adaugendo, poſtqam ignis maximè inflatus fuit, vix ſpatio octavæ partis horæ, cum omnia ſimul fluxiſſent, crucibulum ex igne aſſumſimus, eoque refrigefacto & fracto plumbum reſiduum cum pulviſculo rubro liquefactum & unitum, variis coloribus, imprimis verò viridi colore bono omine eleganter tinctum, ſesqui uncias cum drachma una pendens accepimus, eoque apud aurifabrum expertum per probandi formam decentem & rigoroſam ritè examinato, auri perfectiſſimi portiuncula drachmæ dimidiæ pondere remanſit, affirmante aurifabro, ſe nunquam pulchrius & perfectius aurum vidiſſe; quod poſtea in quinque portiunculas fuit diviſum & cuilibet Perſonæ

præ-

præſenti una dono data, quam portiunculam quintam veritatis conteſtandæ gratiâ, inter alia curioſa in Muſeo meo aſſervo. Si autem quispiam ſibi imaginari velit, transmutationem hanc ſolummodo factam eſſe à Sulphure auri concentrato, & per aquam Regis, vel alterius Spiritus acidi diſſolventis ope, relicto corpore albicante, in extracti vel pulveris rubri formam redacto, auri quippe vim tali modo exactiſſimè unitam & compactam tam validam eſſe, ut in minima quantitate plures metalli ignobilioris partes in ſui naturam commodè transmutare queat, ille conſideret, quod aurum hac ratione violenter diſſolutum & quaſi concentratum, non majores & plures obtineat vires, ut metallum aliquod ignobilius in ſuam naturam & eſſentiam immutare queat, quod planè impoſſibile eſt, ad iſtiusmodi enim transmutationem neceſſariò requiritur auri præcedens naturalis, philoſophica & blanda, nequaquam autem violenta tam cruda & nuda per aquam regiam, vel alium Spiritum corrodentem apparens tantùm diſſolutio, vel potius corroſio, per quam aurum magis deſtruitur quam perficitur, magis debilitatur & diminuitur, quam plusquam perfectum & ad tingendum efficax & idoneum redditur, neque enim in quantitate neque in qualitate maſſa aurea extracta, vel Sulphur auri per talem violentam Spiritus corroſivi vel aquæ chryſulcæ diſſolutionem, corroſionem & coagulationem adaugeri vel exaltari poteſt, nec ullo modo reliqua metalla ignobiliora in auream naturam hac viâ transformare, vel minimum ſuperpondium aureum illis inſerere valet, cum priſtinam hac ratione formam, naturam, virtutem & pondus tan-

tantùm retineat, ſtatimque iterum metalli formam accipiat; ad perfectam verò & genuinam metallorum transmutationem requiritur vera, genuina & philoſophica auri ſolutio, ita ut aurum poſtea non amplius in metalli formam redigi queat, cujus beneficio poſtmodum reſultat Tinctura aurea ad plusquamperfectionem per aliquot menſes ſecundùm artem exaltata & regenerata, quam Adepti & veri Philoſophi ſolummodò conficere & elaborare ſciunt, eamque vel lapidis, vel pulveris, vel liquoris ponderoſi formâ ſtudiosè aſſervare ſolent. Quod autem granum unum pulveris rubri ſupradicti verè tingentis, in ſua projectione 30. ſolummodò grana plumbi cum hydrargyro commixti & non plura in aurum optimum transmutaverit, cum notum ſit, quod unico quandoque Tincturæ grano aliquot millia grana, vel aliquot unciæ mercurii vivi vel plumbi in aurum obryzum fuerint transmutatæ) ſciendum, tunc temporis pulverem hunc nondum fuiſſe augmentatum, nec ad ſummam perfectionem exaltatum, cum primam ſaltem rotationem paſſus fuerit, nullum autem eſt dubium, per repetitam poſtmodum augmentationem majores & ſublimiores tingendi vires illum acquiſiviſſe.

De pulvere hoc ulterius ſingulare quippiam notatu dignum obſervavi, dum ante projectionem illius tantum per os aſſumſi, quantum minimi digiti apiculo in minima & vix viſibili quantitate retinere potui, ad ſaporem ejus curiosè perſcrutandum, mirum in modum tota lingua tam penetranti & perterebranti ſapore acidiuſculo, quaſi vitriolico, derepentè fuit imbuta, ut totus mihi alteratus viſus fuerim,

ſed

ſed è veſtigio ſine omni noxa omnis alteratio evanuit, totiusque corporis vires adauctas lætus perſenſi. Abſonum autem videri cuidam poterit, quod ad transmutationem hanc unico metallo ignobili haud contenti, duo aſſumſerimus, plumbum nempe & mercurium vivum, cnm quodlibet ex hiſce ſufficiens eſſe potuerit, beneficio pulveris rubri prædicti 30. grana in aurum ex ipſo transmutandi. Huic reſpondemus, communicatorem hujus pulveris ita voluiſſe & mandaſſe, incongruum autem eſſe duximus, tali Artifici morem non gerere: legimus quoque in ſupra nominata Epiſtola Cl. Morhofi pag. 159. ſeq. Butlerum ad transmutationem metallorum ignobilium in aurum, ſimiliter plumbum & argentum vivum ſimul igni apposuiſſe, & pulveris tingentis rubicundi portionem jam jam liquefacto plumbo ac hydrargyro calido immiſiſſe.

OBSERVATIO LXXVIII.
Dn. D. ALPHONSI KHONI,
De Atrophia ſcorbutica lethali cum principalium viſcerum ſingulari corruptione & conſumtione.

VIr quidam ſpectatiſſimus, quinquageſimum quintum agens annum, corpore gracili & textura tenui, temperamento cholerico præditus, motu & exercitatione corporis varia per totum vitæ curriculum gaudens, ob valdè bilioſam conſtitutionem irâ & excandeſcentiâ levem quandoque ob cauſam ſæpius exardeſcens, per annos 20. integros, tuſſi fermè

continua, cum frequenti materiæ bilioſæ & viſcidæ ejectione correptus, annuo ante obitum ſpatio in Atrophiam incidit ſcorbuticam, cui vocatus aliquot appropriata exhibui remedia, quorum uſu melius quidem habere cœpit, verùm à variis in victus ratione commiſsis erroribus, recidivam valdè nocivam paulo poſt patitur, cum magnâ pectoris anguſtia & cordis anxietate, tuſsi continua permoleſta, ſitique urgente, cum doloribus nephriticis, quibus tandem convulſiones epilepticæ ſubſecutæ, hiſce affectibus mixtis tam hordeata & amygdalata cum ſeminibus frigidis ad ſitim ſedandam, caloremque præternaturalem & efferveſcentiam nimiam infringendam, quam præcipitantia ex ebore ſine igne calcinato, coralliis rubris præparatis, ocul. cancri, Cinnab. nativ. & Antimonii cum pulvere March. Epilept. &c. magno fuêre uſui, quibus ſubindè antiſcorbutica admiſcebantur, lactis quoque caprini ſerum cum herbis antiſcorbuticis deſtillatum, fuit propinatum, & talibus divinâ favente gratiâ paulatim vires colligere, & convaleſcere cœpit, ita ut per aliquot ſeptimanas in publicum prodire, ſuiſque negotiis ſic ſatis præeſſe potuerit. Quoniam autem univerſum corpus ob multivarios inſultus morboſos, tuſſimque continuam pertinaciſſimam nullis remediis cedentem, adeò enervatum, fractum, debilitatum & conſumtum fuit, ut caro vix oſſibus hæſerit, paulo poſt denuò magna virium proſtratione, inſigni pectoris anguſtiâ & cordis anxietate, cum oris & faucium ſiccitate, ac manifeſta omnium membrorum conſumtione, corripiebatur, ſimul quoque à vaporibus ex ventriculo ſeu olla ferveſcente rurſum per œſopha-

pha-

phagum aſcendentibus, lingua & fauces ſordido & albicante lentore validè obductæ fuerunt, ut per convenientia gargarismata diurnâ nocturnâque abſterſione opus, ne fauces à viſcosâ & biliosâ materiâ coaleſcerent, quam quaſi continuo ductu in magna quantitate, & difficili ob lentorem conatu expuebat, ob hanc cauſam per aliquot dies præter juſcula & liquores confortantes nihil deglutire poterat, & hos quidem haud absque difficultate, omnium denique rerum faſtidium ſubſequebatur, ut etiam ſuaviſſima averſatus, donec tandem poſt aliquot dierum ſubſequutam diarrhœam, humido radicali penitus abſorbto, Spiritùque vitali exhauſto luminis inſtar extinctus, & è vivis ſublatus fuerit. Cadavere aperto meſenterium totum ferè exiccatum, vaſaq; illius gypſeâ quaſi materiâ oppilata obſervavimus, hinc ſucco nutritio tranſitus præcluſus, & Atrophia ſubſecuta: Hepatis pars potior putrilaginoſa erat, & veſicula fellea enormis magnitudinis, lien ex toto putridus deprehendebatur, & valdè parvus, pancreas fermè totum erat conſumtum, Ventriculus magnitudinem renis non excedebat, cor parvum planè exiccatum ac exſuccum, & quod mirandum, loco carnis parenchymaticæ, filamentis & fibris mirè invicem contextis & circumvolutis ſeſe repræſentabat, pulmones in utraque parte ſemiputridi & dorſi vertebris tam validè affixi erant, ut vix avelli potuerint, magnâ inſuper puris & pituitæ viſcidæ copiâ circumdati, hinc non mirum, quod vir hic per tot annos pertinaciſſima tuſſi divexatus fuerit, quamvis nonnulli chronicæ tuſſis hujus cauſam à vaporibus & humoribus acribus, à liene ad caput per arterias de-

latis, & iterum ad pulmones delapſis derivatam voluerint, & quidem non ſine ratione, cum vir hic ſpleneticus fuerit, nullumque vel purulentæ vel ſanguine tinctæ materiæ veſtigium cum quotidiè expectoratâ in magna ſatis quantitate viſcidâ pituitâ ſeſe unquam repræſentaverit; hinc liquet, pulmonum ulcus locum habere poſſe, quantumvis æger nullum vel pus, vel ſanguinem per os excernat. Ulterius in ægroto hoc notatu dignum, quod per totum morbi decurſum pulſus & urina in tam bono & naturali ſtatu fuerint deprehenſi, prout in hominibus optima ſanitate fruentibus obſervantur.

OBSERVATIO LXXIX.

DN. D. ALPHONSI KHONI.

Fœminæ cuidam poſt editionem puellæ vitalis, alter fœtus mortuus cum ſecundinis in utero relictus, uncis feliciter extractus, ſuperſtite & ſalvâ manente matre.

TExtoris cujusdam uxor excluſâ per partum filiolâ pulchrâ & vitali, per horas duodecim ſuaſu & adhortatione mulierum adſtantium, ſecundinas expellere jugiter annititur, aſſumtis inſimul ab illis remediis nonnullis earum expulſionem accelerantibus, dum autem laboribus hiſce gnaviter (uti ſibi ipſis imaginabantur) incumbunt, veſica quædam pugni magnitudine extra uterum protruſa in conſpectum venit, quâ viſâ mulierculæ attonitæ meum conſilium ex-

petunt,

petunt, dum autem abdomen ſatis tumefactum adhuc ſeſe repræſentabat, ſtatim prædixi, alium inſuper in utero fœtum delitеſcere, & quidem veſicâ quadam involutum, hancque ipſam veſicam eſſe aperiendam. Cum autem nemo adſtantium ejus apertionem attentare vellet, juſſu meo Chirurgus urbis noſtræ peritiſſimus Joh. Bartholomeus Hecking vocatus fuit, qui mihi ſtatim conſenſit, muliere itaque alio adhuc fœtu prægnante in locum idoneum collocata, alterius latentis adhuc fœtus brachiolum ſiniſtrum in ipſius veſicæ parte extra uterum pellucidâ apparente, pulcherrimo aſpectu conſpiciendum ſe præbet, dum autem perforatâ fœtum ambiente veſicâ, magnâque ſeri copiâ effluxa, fætus mortuus ſitu ad partum valdè perverſo deprehendebatur, mulier inſuper plurimis parturiendi conatibus admodùm debilitata erat, eapropter ut vita parturienti protraheretur, ſumma efflagitavit neceſſitas, fœtum extinctum unà cum duabus ſecundinis, uncis extrahere, quod etiam illicò felici ſucceſſu à ſupra nominato Chirurgo peractum fuit, ſalvâ & incolumi adhuc ſuperſtite matre. Idem Chirurgus hujusmodi fœtuum mortuorum & ſecundinarum quoque extractiones ex utero (quas plurimi ex antiquis & recentioribus Authoribus clariſſimis approbant & commendant) ſæpius feliciter expedivit Illuſt. Dn. D. Illmer à Wartenberg ſimiliter quoque in fœtus mortui extractione ipſemet feliciſſimè manum admovit, annotante illo in Miſcellan. Medic. Academ. Curios. Ann. prim. obſ. 49. Cum aliquando nobilis & variis virtutibus condecorata fœmina ob ſecundinarum retentionem vitam cum morte commutaſſet, dixit fortè adveniens

extra-

extranea matrona, quare juvencula hæc tam citò extincta fuerit, causâ indicatâ, abſonum videtur, inquit, ob ſecundinas retentas mulierem mori, in patria mea hoc contigiſſe nemo meminit, ſubitò enim edito fœtu obſtetricis manus experta, utero adhuc dilatato, ſecundinas apprehendit & blando ductu foràs trahit, viam ipsâ Naturâ monſtrante, ſi ubiq; locorum hoc obſervaretur, non tam crebrò iſtiusmodi funeſti exitus audirentur, plurimarumque e-contra mulierum vita hac ratione conſervari poſſet.

OBSERVATIO LXXX.

DN. D. ALPHONSI KHONI.

De Muliere prægnante, fragranti roſarum odore hyſterica facta, quæ fœtum mortuum gelidum ante tempus excluſit, ipſamet paulo poſt vitam cum morte commutante.

OPificis cujusdam conjux ultimis duobus menſibus gravida, unà cum fœtu jugiter ſeſe movente, optimè valens, ex curioſitate vicinum defunctum variis ornamentis & floribus involutum conſpiciens, inter alia fragrantiſſimo roſarum odore nares valdè penetrante, hyſterica paſſione ſtatim fuit correpta, atque adeò attonita ſtetit, ut à domeſticis in domum propriam reportari neceſſe habuerit, tunc illicò ſudor frigidus per univerſum corpus largiter erupit, dolores parturientibus affines ſeſe repræſentarunt, ipſeque partus permaturus, ſed mortuus excluſus, qui, quod mirandum, ad tactum (prout etiam mater

per

per totum corpus) tam gelidus repertus fuit, ut nullus, ne dicam caloris, imò nec teporis ſenſus in univerſo ejus corpuſculo percipi potuerit, matre ſimiliter unicâ poſt partum elapſâ horâ è vivis diſcedente. Quanta hîc conſternatio & alteratio è roſarum odore orta fuerit, præprimis quod calor nativus tàm in genetrice, quam præſertim in fœtu ex toto extinctus, vel in illâ ſaltem ad intima concentratus & quaſi oppreſſus fuerit, admiratione dignum. De Cardinali Caraffa ſcribitur, roſarum odorem ipſi adeò intolerabilem fuiſſe, ut ſingulis annis, eo quo roſæ florebant tempore, palatio ſuo ſeipſum quaſi incluſerit, ad ejusque portam certos vigiles conſtituerit, qui intrantes vel amicos vel miniſtros, vel alios quoscunq; ipſum convenire geſtientes, ſeriò admonere deberent, ne roſas contrectarent, multo minus in manibus tenerent.

De Laurentio Epiſcopo quodam Vratislavienſi recenſet Mart. Cromer. lib. 8. Hiſtor. Polon. illum ob roſarum odorem vivere deſiiſſe. Amat. Luſitanus narrat, monachum quendam viſu & olfactu roſæ, ſyncopen incurriſſe. Alios propter eundem odorem lipothymiâ correptos, quosdam ad vehementes ſternutationes ſtimulatos legimus.

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. D. ALPHONSI KHONII.

De Præputii violenter retracti, virgæque ingenti intumeſcentia cum incipiente gangræna feliciter curata.

DEteſtanda maximoperè hodierna eſt empiricorum & agyrtarum temeritas, qui absque ullo naturæ,

virium, ætatis, vitæ generis, temperamenti, ſexus, aliarumque circumſtantiarum reſpectu, omnes promiſcuè morbos & affectus radicitùs curare ſibi & aliis perſuadent, quos Galenus in lib. de Prænot. rectè latronibus comparat, cui Wolffgang. Sattler de Privilegiis Medicinæ Doctorum theſ. 71. Paulus Zachias quæſt. Med Legal. lib. 6. tit. 1. quæſt. 9. & Conſil. 24. N. 3. ut & D. Ludovic. ab Hörnick in Politia Medica pag. 141. aliiq; plures cordati viri omninò adſtipulantur, talesque medicaſtros in alienam meſſem & officium ſeſe intrudentes, gravi & ſeverâ pœnâ maximè dignos judicant. Hujus farinæ homines nihil non audent, quo ab afflictis ægris per fas & nefas pecuniam emungant. Sic defœdata eſt noſtra Medicina, ut nulla ſit artium, quæ adeò confertim erroribus & impoſturis ſcateat, ac illa nobis cœlitus data. Et ſanè confuſioni huic medicinali minimè vilipendendæ, & empiricæ ſummoperè deteſtandæ, contra ordinem â DEO præſcriptum, anſam & occaſionem idoneam præbent, & ambabus manibus exhibent, ipſimet ægrotantes emotæ mentis quidam, verbum DEI parum ob oculos & in corde habentes, pietatemque haud colentes, qui perverſo genio ducti, corpus & ſanitatem ſuam carnifici potius, vel beſtiarum excoriatori (obſtupendam ſimplicitatem, & cœcam ſuperſtitionem!) quam Medico experto ac erudito, ab ipſomet DEO altiſſimo ad officium ſuum vocato, concredere non dubitant nec erubeſcunt, non animadvertentes, ſi iſtiusmodi homines rudes & indocti aliquando unum vel alterum ægrotantem, à Medico ordinario, ob impatientiam & quandoque in morbi declinatione ſe ſubducentem, curaverint, quod illorum curandi modus maximo-

ximoperè ſit ſuſpectus, neq; â Divinâ gratiâ & poteſtate dependens, id quod etiam ipſorum uroſcopia ſatis ſuperq; teſtatum facit, dum ex lotii inſpectione ſuperſtitioſis ſuis ægrotantibus multivaria & quandoque mirabilia non ſolummodò de morbi ſtatu, ſed & de aliis rebus planè alienis & diverſis, tam præteritis quam futuris, de ægro etiam quoad ſexum, de ejus vitæ conditione, de erroribus in diæta ſpecialibus, de graviditate vel virginitate, & de ſexcentis aliis nonnunquàm aliquid certi prædicere, determinare & indicare ſolent ac conantur, quæ ex artis & Naturæ viribus, vel urinæ inſpectione minimè ſciri poſſunt, ſed alium informatorem, familiarem quippe ſpiritum ſapiunt. O cœcas hominum mentes! O pectora cœca! Proh DEUM immortalem! quot ægrotantium porrò ab iſtiusmodi impoſtoribus non ſolummodo non curati derelinquuntur, ſed etiam in longè pejorem corporis (imò & animæ) ſtatum dejiciuntur, mortiq; ſæpiſſime traduntur, prout quotidiana experientia hîc & fermè ubique locorum proh dolor! abundè teſtatur, qui tamen errores craſſiſſimi, & fraudes execrabiles altiſſimo involvuntur ſilentio, dum patientes denique ipſimet magno ſuffunduntur pudore, quod talium medicaſtrorum & hominum meritò ſuſpectorum operâ, contra divinum mandatum, uſi fuerint. Et ſi quandoq; DEO permittente contingit, ut unus vel alter ægrotantium à Medicis ratione & experientiâ clariſſimis divinitùs ordinatis & vocatis curari non poſſit, quoniam

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Cum quoque DEUS T. O. M. ſingulares, divinas &

occultas, ſibique ſoli cognitas habeat cauſas, quare hic vel ille ægrotorum lecto quaſi affixus aliquandiu, imò nonnunquàm usque ad vitæ ſuæ terminum permanere debeat, non igitur propterea homini Chriſtiano ad remedia prohibita, & cum Rege Saulo ad pſeudo-Medicos Endoreos accedere, vel cum deſperante illo apud Poëtam exclamare licitum eſt,

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.

Sed potius ſapientiſſimæ Divinæ directioni patienter ſeſe ſubmittere debet, quæ ex adverſis quoque aliquid boni elicere poteſt, cum DEUM reverà diligentibus omnia cedant ad ſalutem, etiamſi humanæ rationi longè diverſum videatur, talia namque contingentia occultis DEI beneficiis annumeranda veniunt. Verùm Hercules minori labore Augiæ purgavit ſtabulum, quam aliquis Medicinam à tot mendis elueret & expurgaret, inquit Langius lib. I. Epiſt. I. Et Palingenius l. 5. Zodiac. Vit. ſtatum hunc calamitoſum hiſce deplorat verbis: O miſeræ leges, quæ talia crimina fertis! &c. D. Sempronius Gracchus prætereà in Medico hujus Seculi Sect. 4. de Spuriis Artis, ſeu Medicaſtris p. 278. inter alia talia quoque profert: Cur legibus prohibemus, ut nullus nec opifex, nec artifex ſuum exerceat opificium, niſi prius ſpecimine & examine ſuam probatam dederit ſcientiàm, & ab artis ſuæ peritis pro idoneo declaratus fuerit? cur pœnâ graviſſimâ eos afficimus, qui contra hæc jura agunt? Cur verò ſanctiſſimam Medicinam, divinum inſtitutum, ita prophanari patimur? Horologium non niſi peritiſſimo committimus artifici, & pretioſiſſimam corporis humani machinam rudi trunco &c. Ad obſervationem autem ipſam.

Empi-

Empiricus quidam Medicinæ & Chirurgiæ praxin haud parvâ ægrotantium ſuorum jacturâ exercens, opificis cujusdam filiolum octo annorum, calculo veſicæ laborantem tam ineptè & crudeliter tractavit, ut magnâ vi retracto ſeu violenter retrorſum adducto præputio, viam calculo faciliorem, prout præter rationem putabat, reddere conaretur, quo facto ingens derepentè dolor puerum invadebat, ſubſequente inſigni humorum affluxu, penis intorti ovi inſtar anſerini tumore, rubore & inflammatione; anxius & attonitus hoc viſo pſeudo-Medicus, imperitiâ ſuam ulterius manifeſtans, miſello ægrotanti balneum valdè calidum adminiſtrat, cujus iterato uſu malum in pejus ruebat, accedentibus in parte affecta puſtulis rubris, fuſcis & nigris, jamq; incipiente cum intenſiſſimo cruciatu gangrænâ, medicaſtro interea clam ſe ſubducente. Ad quod miſerandum & horrendum accerſitus ego cum Chirurgo quodam ſpectaculum, obſtupuimus ambo, & quoniam in mora periculum erat, magnâ ſtatim adhibitâ diligentiâ, colem ab iminenti amputationis periculo, mediante unguento ex aceto lithargyrii, oleo lini, ſucco ſcordii &c. confecto liberavimus, aliisque convenientibus ægrum medicamentis tractavimus, aliquali ſaltem reſiduo circa glandem duriuſculo ad tempus relicto tumore, qui varia reſolventia & diſcutientia primum reſpuebat quidem remedia, tandem tamen cataplaſmate compoſito Plateri lib. 3. Obſ. p. 642. DEI gratia omninò diſcuſſus, ſicque puer in integrum reſtitutus, qui paulo poſt Lithotomi cujusdam ope à veſicæ calculo ſimiliter felici ſucceſſu liberatus fuit.

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. ALPHONSI KHONI.

De Puero decenni Variolis ſingulari malignitate & metamorphoſi erumpentibus laborante, jam ferè agonizante, DEI Gratiâ ſanitati reſtituto.

IN morbis monſtra ſæpiuſculè reperiri quotidiana hinc inde docet experientia, quod non ita pridem obſervavi in puero decenni, qui dum ejus fraterculus è variolarum periculo fuerat ereptus, malè ſe habere cœpit; præmiſsâ leni purgatione, ſelectiora expellentia & Bezoardica ipſi à me fuêre præſcripta, & quidem optato ſucceſſu, duobus namque effluxis diebus variolæ per univerſum corpuſculum diſperſæ in conſpectum venere, & puſtulæ illæ conſuetæ indies magis magisque accreſcentes, albicante colore & formâ ordinariâ apparuêre, cumque puer præter ſitim urgentem, caloremque præternaturalem, de nullo alio moleſto vel periculoſo ſymptomate conquerebatur, continuato bezoardicorum & præcipitantium uſu, aliquot elapſi fuêre dies, firmâ ſpe poſitâ, morbum hunc, prout in altero fraterculo, brevi ſolutum iri, verùm res longè aliter ceſſit, dum enim curioſitatis gratiâ adſtans quidam puſtulam quandam ſucci vel puris albicantis (prout videbatur) plenam incidit, tunc præter omnem ſpem & expectationem loco albicantis puris, purus & clarus emanat ſanguis, quod cum alii credere vix poterant, aliarum ſimilium puſtularum inciſione de hac mirandâ metamorphoſi certi reddebantur, paulo

poſt

poſt ægrotans de ſanguinis è gingivis eruptione valdè conqueſtus eſt, cui tincturæ Laccæ Mynſichti applicatio brevi frenum injecit, ſedatâ hac fluxione ſanguis in ægrotantis corpuſculo valdè efferveſcens & ebulliens per narem ſiniſtram exitum quærens, enormem hæmorrhagiam excitavit, fluxu hoc per tres integras dies & noctes, tanto cum impetu durante, ut nullis quantumvis ſelectiſſimis remediis ſiſti potuerit; & quidem ab initio tenuis & valdè ſeroſus, poſtea verò bonus & laudabilis in magnâ ſatis copiâ erupit ſanguis, ac cum ipſo ſanguine calor & ſpiritus vitalis, quod inſignis virium proſtratio, frequentesque lipothymiæ indigitabant, quæ tenerum patientem morti vicinum reddebant, dum jam jam ab omnibus adſtantibus pro agonizante habebatur, tandem tamen Divinâ aſſiſtente gratiâ pulvis Dygbeanus ſympatheticus (cui guttulæ aliquot ſanguinis effluentis calidi inſtillatæ fuerunt) & pulvis bufonum calcinatus ſub axillâ in ſacculo ſuppoſitus, cum cordialibus, alterantibus, adſtringentibus & demulcentibus internis ſimul exhibitis, tantæ fuerunt efficaciæ, ut ſanguinis fluxus immodicus paulò poſt fuerit coërcitus, ægro vires paulatim recolligente, qui DEO favente, hac ratione cum omnium ſtupore ab orci faucibus liberatus fuit, priſtinâ ſanitate gaudens.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIII.

DN. D. ALPHONSI KHONII.

A nimia Spiritus Vini ingurgitatione mors repentina.

PEllionis cujusdam ſervus die quadam Dominicâ horis pomeridianis & veſpertinis cereviſiæ nimiùm indulgens, horâ nonâ ſub noctem ſtomachum confortandi, ejusque cruditates concoquendi gratiâ, horali ſpatio ſpiritus vini menſuram ſemis ingurgitat, inſtanti hinc nocte placidè ſe dormiturum, ac ſubſequenti die conſuetis laboribus exercendis magis idoneum ac promptum ſe futurum exiſtimans, verùm ſpes hæc inanis miſerum hunc ſocium maximoperè fefellit, eventusque opinioni minimè reſpondebat, ſomno enim fuit quidem oppreſſus, ſed tam alto, ut nec ſequenti die, nec in poſterum unquam expergefieri amplius inde potuerit. Simile fermè exemplum recenſet M. Adamus Olearius in itinere ſuo orientali de Moſcoviæ quodam Legato, qui dum anno CHRISTI 1608. ad Carolum IX. Suecorum Regem mittebatur, inter diverſa potûs meracioris genera, vini ſpiritum generoſiorem (de cujus efficaciâ & viribus antea fuit admonitus) in tanta quantitate aſſumſit, ut ſubſequenti die, quo coram Rege orationem habere debuiſſet, exanimis fuerit deprehenſus.

(Ulmâ Auguſtam Vind. d. 16. Junii Anno 1697. miſſæ.)

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIV.

DN. LIC. BENJAMIN SCHARFFII.

De Lochiorum & menſium nimio fluxu, externo medicamento curato.

QUemadmoodum in omnibus rebus πάντων μέτρον ἄριστον, ita & in fluxu lochiorum æquè ac menſium moderato mulierecularum ſanitas maxima ex parte conſiſtit, dum eorundem & retentio, & diminutio, & nimius fluxus feneſtram ad plurima ſubſecutura mala aperire ſolet, ſicut hoc & lippis notum eſt, & tonſoribus? Hinc Medici non de reducendo ſolùm hoc fluxu, ſi remoretur, ſed & de eodem maturè compeſcendo, ſi enormiter contingat, ſolliciti eſſe conſueverunt. Inprimis verò lochiorum nimius fluxus non plurimorum ſolùm malorum autor exiſtit, ſed & ipſi miſellarum vitæ nimiùm quantùm inſidiatur easdemque inopinatò ad plures abire cogit, vid. Obſerv. 100. Decur. annor. tert. Ephemerid. German. ann. 2. p. 126.

Sicut autem omnis lochiorum fluxus à dilaceratione membranarum & vaſorum in partu contingit, ita nimius eorundem profluxus vel â nimia ſanguinis copia, vel à vitioſa variaque ſanguinis qualitate tenuiori, ſeroſiori, & acriori, vel etiam ab irritatione per medicamenta emmenagoga; ſæpiſſimè excitatur, dum illa à mulierculis de ſalute puerperarum ſollicitis intempeſtivè, ſeu ut veriùs dixerim, temerariè exhibita, maximas turbas excitant, ut ex ſequentibus patebit. Perſona Illuſtris tenerioris conſtitutionis minusq; plethorica 4. liberorum mater in

ultimo puerperio ſvaſu mulierculaurm adſtantium ad facilitandum lochiorum fluxum (qui tamen naturaliter ſe habebat, neque remorabatur, neque diminutus fluebat), infuſum ex Croco, Galanga, Rhabarbaro &c. paratum, per aliquot dies bibit, quod tanta ſubſequitur hæmorrhagia, ut vires ſubitò reſolutis Spiritibus proſtratæ, frequentiſſimæque lipothymiæ, vitæ finem allaturæ, minarentur. In conſilium vocatus, Medicum quendam paratum invenio, qui V. S. tentare volebat; aſt cum renuerem ob deficientes indicationes, viresque reſolutæ & frequentes lipothymiæ ulteriorem ſanguinis profuſionem prohiberent, fluxumque hunc immodicum non à ſanguinis quantitate nimia, nec ab ejusdem vitioſa qualitate, ſed potius à prægreſſa irritatione asſumpti medicamenti excitatum affirmarem, à V. S. abſtinuimus, adque compeſcendam ſanguinis floridi enormem profuſionem, conſuetis uſi ſumus medicamentis, in quibus externum hoc officio ſuo optimè fungebatur, & ſanguinis fluxum miraculi inſtar brevi intervallo ſiſtebat.

℞. Fuliginis fornacum q. v.
aceti vini l. cujuslibet acerrimi q. ſ.

Miſc. F. inſtar Cataplasmatis, quod linteo exceptum applicetur infra genua, & exiccatum renovetur.

Tentavi idem remedii genus poſtea pluries in nimio menſium fluxu, & ſemper, remotis etiam omnibus aliis illicò in principio exoptatus ſucceſſus eſt ſubſecutus, præprimis verò in ſanguinis conſtitutione ſeroſiori, acriori & tenuiori, ut &, præmisſâ V. S. in plethora ac ſanguinis abundantia, id quod bonâ fide poſſum teſtari plurimisque obſervationibus,

bus, ſi opus foret, confirmare, dum atomi aceti acidæ à ſalinis fuliginis exaltatæ non oſcula ſolùm vaſorum contraxere, ſed & ipſum ſanguinem incraſſarunt & coagularunt.

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. Lic. BENJAMIN SCHARFFII.

De Uſu fœniculi in hæmorrhagia narium ſalutari.

Hæmorrhagiam hanc juvenili ætati ſæpiùs accidere jam dudùm Hippocrates 27, *aphor. ſect.* 3. prædixit, inquiens; τοῖσι δὲ ἔτι πρεσβυτέροισι, καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, τουτέων τε τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον καὶ ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσιες. *Ætate verò adhuc provectioribus & ad pubertatem accedentibus & multa ex illis* (quæ videlicet in antecedente aphoriſmo 26. continentur) *& febres diuturnæ magis, & ex naribus ſanguinis fluxiones contingunt.* Id quod Perſona illuſtris ſexus nobilioris 16. annorum experiebatur, quæ patre natô huic malo in juventute ſua ſæpius obnoxiô fluxum ſanguinis per nares ſingulis ferè diebus & noctibus ſatis enormiter patiebatur; & quamvis varia tentarentur remedia, quæ ſanguinem ad tempus cohiberent, ſemper tamen malum hoc recrudeſcebat, neque unquam victas dare palmas volebat. Tandem ſuaſu Amici ſæpiùs comedit ſemen fœniculi, ut & ſtolones & ſummitates herbæ illius viridis, quod cum per 1. menſem continuaret, fluxus ille remorari, & tàm in quantitate, quàm crebriori inſultu, remittere viſus eſt; Juſſi proinde, ut in uſu horum pergeret, quò

facto, uſuque hoc per 3. l. 4. menſes continuato, liber jam ab omni narium hæmorrhagia per biennium nunc vivit Illuſtriſſimus hic Juvenis.

Ex hâc igitur Obſervatione elucefcit:

1. Veras eſſe concluſiones Illuſtris Domini D. Wurfbainii, quas ex *obſervatioue 227. decur. annor. tert. Ephemerid. Germanicar. ſecund. p. 358.* elicit; *Parentum videlicet morbos ſæpiſſimè deferri in natos; liquorem illum purpureum per nares præternaturaliter effluentem non eſſe merum ſanguinem, ſed ſerum ſanguine mixtum &c.* Imò

2. *Cauſam hæmorrhagiæ hujus ſæpius magisque delitescere in vitioſa ſeri, quàm ipſius ſanguinis conſtitutione*; hinc optima etiam ſtyptica, quæ in cohibitione ſanguinis aliàs utramque abſolverunt paginam, affectum hunc funditus tollere non valuere, inter quæ ſequens liquor Martis ſive Secretum Carniolæ aliàs non parum excellit;

℞. Lap. Carneol. ſ. Sardii ℥iv.

Redigantur in alcohol, eisque in cucurbita vitrea affundatur menſtruum ſequens; Digerantur per menſem, donec ſufficienter tinctura appareat. Quod tinctum eſt filtretur & ſervetur ad uſum.

Menſtruum tale eſt.

℞. ⊖li ♂is penitùs exſiccati ſ. leniter calcinat. ℔iij.

In retorta vitrea affund. 🜄 ℔ß. l. ij. ut 🜄 ſenſim imbibatur, digerantur invicem per menſem, deinde deſtillentur ex arena gradatim, donec omnis humiditas ſeparata fuerit; Liquor extillatus adhuc ſemel per ſe rectificetur. Uſus in omni ebullitione & nimio ſanguinis fluxu, inprimis v. narium hæmorrhagia

rhagia. Doſ. à gutt. x. usque ad xx. in vehiculo conveniente.

Hinc etiam hæmorrhagia hæc ante non ceſſavit, quàm ſeri qualitas juſto acrior ad ſtatum naturalem blandum & lymphaticum redacta fuit.

3. *Modum hujus operationis conſtitutum fuiſſe in balſamica hujus herbæ ſeminis virtute*, mediante quâ acrimonia ſeri fuit mitigata & ad ſtatum naturalem reducta; Hinc procul dubio *Franciſc. de le Boë Sylvius in Med. Practic.* fœniculum, & varia ex hac herba parata medicamenta, aliique Practici, in uſum traxerunt. Quid quod in quamplurimis oculorum vitiis, ut ophthalmiâ, rubedine, dolore, prurigine, ſuggillatione, ulceribus &c. à vitioſa ſeri conſtitutione dependentibus, fœniculum utramque abſolvat paginam, manifeſto indicio balſamicæ ſerique emendandi adque ſtatum naturalem reducendi qualitatis.

Sic & eundem hujus herbæ & ſeminis uſum in reliquis ſeri & ſanguinis acrioris vitiis ſummoperè eſſe proficuum, dum omnem acredinem vitioſam emendat, ſerum, & per conſequens etiam ſanguinem vitioſum & acrem corrigit, flatus craſſos & acres diſſipat & expellit, pituitam craſſam, tenacem & acriorem, utpote quæ nihil aliud eſt, quàm ſerum vitioſum & coagulatum, balſamicâ ſuâ vi reſolvit, viſcerumque ſic obſtructiones reſerat; Ex quibus ratio facilè pateſcit, cur à veneranda antiquitate radix fœniculi inter celeberrimas illas V. radices aperientes fuerit relata.

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. Lic. BENJAMIN SCHARFFII.

Ad Hæmorrhagiam narium & quamcunque aliam, externum ἐναιμόν.

SEquens B. Dno. Steinmetzen / Conſuli & Phyſico Longo-Saliſſæ, dum viveret, graviſſimo & feliciſſimo, Socero meo beatiſſimo, in uſu fuiſſe manu ſcripta ejus poſthuma teſtantur, quoties ſanguinis fluxus mediocritatis regulas excedere, & vel per nares, vel alias partes in nimia quantitate effluere conatus fuit.

Effodiantur die 22. Julii, qui Mariæ Magdalenæ ſacer eſt, in ipſo meridie intra horam 11. & 12. ore tacente, radices Cichorii albi, qui in umbra exſiccatæ ſerventur pro uſu. Quoties igitur hæmorrhagia enormis præcipuè narium contingit, toties fruſtulum harum radicum ori indatur manibusque teneatur & maſticetur, ſic ſtatim ſanguinis fluxus ex voto ceſſabit, eundemque compeſcet. Tentavi hoc aliquoties cum exoptato ſemper ſucceſſu. Num verò tempus collectionis ad hanc operationem aliquid contribuat, nolim decidere, ſed doctioribus jure meritoque relinquo, magnam tamen vim externis quibusdam remediis, amuleti loco adhibendis ineſſe quis negabit? cum & cætera hujusmodi, aliis fortaſſe etiam haud ignota, id maximo laborantium bono confirment.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVII.
DN. LIC. BENJAMIN SCHARFFII.
De Pilorum diverſitate in Capite & Pube.

Quamvis omnia ſibi conſona & concordantia tàm in Macro - quàm Microcoſmo appareant, veritate tamen comprobatur ſæpiſſimè illud πολυθρύλλητον ; *Ludit natura* ; *Vel : nulla regula tàm firma eſt, quæ non habet exceptionem* (*exceptâ hâc unicâ ; in U. longa ſunt.*) dum maximâ quandoque diverſitate natura gaudeat. Exempli loco ſint crines, ſeu pili, qui ut plurimùm in toto corpore eodem gaudent colore, dantur tamen exempla, quæ diverſitatem coloris crinium tàm in ipſo capite, quàm reliquis corporis partibus, abundè comprobant. Sic vivebat in Imperiali Northuſa, patria mea exoptatiſſimâ, Civis artis Cereviſiam coquendi peritus ein Brauer / cujus caput undique crine nigricante erat tectum ; In ſola fronte verò conſpiciebantur pili albiſſimi, canos albedine longè ſuperantes. Imò, quoties pili in barba, ratione coloris, differunt à crine capitis?

Sic & nuper fœminam minùs honeſtam, ab adulteris violentâ morte peremtam, & utero gerentem, juſſu Illuſtriſſimi noſtri ſecuimus, quæ in toto corpore crines oſtendebat nigricantes, ſolâ exceptâ pube, utpote quæ rubicundiſſimis ſepta erat pilis, qui multis malè audiebant, & hos infallibili inclinationis venereæ ſigno venditabant. Quod ſi a. humor prædominans, dicente *Bartholino lib. 3. Anatom. reform.*

reform. cap. 1. p. m. 307. colorem faciat pilorum; ut pituitoſis albi utpl. ſunt capilli, & ita conſequenter; & calor varius variè eosdem coloret, ſicque calor immodicus det nigros, temperatus flavos, temperatior ruffos, imbecillus albos crines &c. excuſanda potius videtur hæc fœmina, etſi peſſimum vitæ genus contrarium oſtenderit. Verum igitur manet proverbium ſupra citatum; *Ludit natura.*

OBSERVATIO LXXXVIII.

DN. LIC. BENJAMIN SCHARFFII.

De Lepore Hermaphrodito.

QUamvis noctuas Athenas portare, & Iliada poſt Homerum ſcribere viſus fuerim, qui de lepore obſervationem phyſicam annotare intendo, dum de animalculo hoc eruditiſſimè jam ſatis more ſuo ſcripſerit Nobiliſſimus Arion I. referam tamen, quod nuper obſervari in lepore contigit, qui in venatione, quam *par force* dicunt, captus, egregriè mammatus conſpiciebatur, mammæque ejusdem ad Uncias IV. lactis probè elaborati & albiſſimi præbebant. Diſſectus omnia membra virilia ad generationem neceſſaria exhibebat, ut ſic cum Nobiliſs. Arione optimè concludere poſſim, duplices & Hermaphroditos permultos eſſe lepores.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIX.

DN. LIC. BENJAMIN SCHARFFII.

Vir πένlορχος, in ſterili tamen Conjugio vivens.

A Pueris mihi notus Amicus hic V. perfectos & probè elaboratos gerebat teſticulos, è quibus tres juſtæ erant magnitudinis, duo autem vix ac ne vix quidem ovi columbini æmulabantur quantitatem. Hic, ut aliàs omnes τρίορχοι, in venerem ſummè erat proclivis, ut etiam puerum vix 14. annorum ancillas patris ſui ſtupraſſe rumor eſſet, & ab œſtro libidinis, imò priapiſmo, mirè & quotidiè ferè exercebatur, cum Conjuge tamen nullam unquam ſuſcepit prolem, cum tamen eandem ardentiſſimo amore proſequeretur, neque ullius impotentiæ ſibi eſſet conſcius. Num verò ille, aut potius Conjux ejus, in culpa fuerit, utpote quæ alteri nupta, nec in hodiernum diem peperit, me latet. De triorchis & manorchis *vid. Rhodiginus lib. 4. antiqu. lect. cap. 7. & lib. 24. cap. 4. Montuus in anaſcev. lib. 4. cap. 37. Hollerii Scholiaſtes ad cap. 62. lib. 1. Fernel. 1. path. cap 8.* πένlορχον autem ſeu ut alii ſcribunt πενlόρχιδα neminem me legiſſe confiteor.

OBSERVATIO XC.

DN. LIC. BENJAMIN SCHARFFII.

Coffee noſtras.

NObilis in vicinia ad rem, plusquàm ſatis, attentus, potum Coffee imitaturus, impenſas tamen re-

formidans, audivit, potum hunc conſtare ex ſemine Bon aſſato, quod fabis noſtris perquam ſimile ſit, quapropter & fabas noſtrates urit & adurit, earundemque pulverem eodem modo cum aqua fervente tractat, ut aliàs potus Coffee confici ſolet, ſanctéque teſtatur, ſe omnem eandemque operationem à fabis hiſce noſtratibus, quas in agro ſuo copioſè colit, ſentire, quæ ſemini huic exotico adſcribuntur; Hic, ut verum fatear, jam ab omnibus inſultibus catarrhalibus, adhibito hoc potu, liber vivit, cum tamen iisdem aliàs ſummè eſſet obnoxius. Tantum valet imaginatio & amor nummi! Quamvis & ſolus aquæ potus particulas ſanguinis & ſeri acriores & ſalſas, tanquam cauſas defluxionum catarrhalium optimè etiam corrigere potuerit.

OBSERVATIO XCI.

DN. LIC. BENJAMIN SCHARFFII.

Fluxus menſium in muliere LXIV. annorum.

MUlier 64. annorum ſatis ſana ſibi viſa, prætérquam quod ſæpiùs inſultibus tentetur podagricis, hodiè ſexui ſequiori magis, quàm tempore Hippocratis familiaribus, tributum lunare ordinariè ſingulis menſibus adhuc perſolvit, cumque ſucci plena, hinc etiam ſummè plethorica ſit, nihil mali metuit, quid quod & partum adhuc expectet & conceptionem! Aſt ſanguineam maſſam hujus fœminæ maximè ſeroſis ſalſis, muriaticis & ſcorbuticis ſalibus refertam eſſe, quis non videt? cum & crebiores inſultus arthritici ac podagrici id abundè comprobent.

bent. Unde, fortaſſe etiam haud temerè, concludo, fluxum hunc menſium magis eſſe ſymptomaticum & præternaturalem, aque nimia maſſæ ſanguineæ ſalſedine & acredine naturam ad egerendam & ſegregandam materiam vitioſam ſtimulante oriundum, quàm naturalem, etiamſi adhuc eidem maximè ſimilis appareat.

OBSERVATIO XCII.

DN. LIC. BENJAMIN SCHARFFII.

Obſtructio alvi ab acinis paſſularum majorum imprudenter deglutitis.

PUella nobilis IX. annorum, paſſulas majores in deliciis habens, iisdem ſæpiùs, nullo habito reſpectu acinorum, veſcitur, hinc alvi ſentit aliqualem pigritiem, quam Parentes per crebriorem adhuc paſſularum, non tamen exacinatarum, uſum, fugare intendunt. Aſt pigrities hæc tandem in totalem alvi degenerat obſtructionem, hinc Medici requiritur conſilium, cui uſus & eſus crebrior paſſularum, tanquam cauſa mirabilis hujus obſtructionis, exponitur, qui interrogans, num etiam filiola acinos comediſſet, affirmando experitur veram hujus obſtructionis cauſam. Hinc ad emollientia & leniter evacuantia ſe convertit, fæcesque tandem per interna & externa medicamenta emollit, quæ egreſſæ adeò firmiter coagulatæ apparebant, ut in unum fruſtum tartareum abiiſſe crederent omnes adſtantes. Quibus per aliquot temporis ſpatium repetitis, & fæcibus ex alvo probè eductis, feliciter hæc unica Parentum

filiola convaluit, & malo ſuo comprobavit regulas Medicorum.

I. Omnes acinos adſtringere.

II. Paſſulas laxare quidem, ſed exacinatas.

III. Omne nimium naturæ eſſe inimicum.

(*Sondershuſa Norimbergam miſſæ d. 20. Junii Anno 1698.*)

OBSERVATIO XCIII.

DN. D. MATTHÆI HARDERI.

De Anatome fœminæ ex ſuppreſſione lochiorum ſtupendo abdominis tumore defunctæ.

Joh. Schirmeri, textoris St. Gallenſis uxor, 32. circiter annorum, Maria Walſerin vocata, 6. liberorum mater, quorum binos abortu excluſerat, ac ultima vice, filiam Sabinam, ſub ipſis Calendis Februarii, anni, 1677. pepererat, vergente præterita æſtate morbo extinctam: hunc partum lochia in principio ſat copioſè & ritè fluentia exceperunt, quæ autem ex improviſo fœminæ ſuſpectæ Pharmacevtriæ attactu è veſtigio rurſus ſubſtitere, nec amplius comparuere, & quidem ad proximum autumnum usque, ubi aliqua ſed obſcuriſſima catameniorum veſtigia denuo ſenſerat, abdominis interea tumore à lochiorum ſubſiſtentia in dies incrementum ſumente imò is medicaminum vim non tantùm eluſiſſe, verum in majorem inde quoque aſſurrexiſſe molem fertur, fortè ab uterum irritantibus & moventibus medicinis nimium laceſſitus. Vixerat olim minimè valetudinaria, ſed ſana & vegeta, donec inſecuta

ſecuta à puerperio lochiorum infauſta ſuppreſſio, omnium malorum lerna, facta, necem poſt tot ærumnas miſeræ tandem attulerat. Et cum ipſa diem ſuum obeunte, opportunè St. Galli ſubſiſterem, fato neſcio quo, pluribus Chirurgis & pharmacopœis præſentibꝰ ac ſectionem deſiderantibus, cadaver aperui, viſurus, num ſuſpecta mola, vel alius affectus (meam enim de meſenterii abſceſſu conjecturam Rev. Dno. Paſtori Schlumfio ante ſectionem recenſueram) abſconditus lateat. Sciendum igitur abdomen hujus fœminæ in tantum intumuiſſe, ut ſpitamæ duæ cum dimidia ſpatium ab umbilico penitus diſtento, ad ſpinam dorſi usque non emetirentur: circa hypogaſtrii regionem ſumma tumoris renitentia ac durities notabantur: unde fortè ſub molæ alicujus ſpecie imponuiſſe potuit. Veſtigia digitorum impreſſa, nullibi manebant, ſicut in aſciticis, pedes parum vel nil tumebant, ſuperne & ultra diaphragma trabida & extenuata fuit. Nec ſeroſam, nec gelatinæ ſimilem continebant ſubſtantiam diſſecta integumenta communia, verum naturali inter ſe cohærebant nexu. Inciſione abdominis decuſſatim continuata; ac cultello paulatim intra peritonæum prope regionem lumbarem ad λαγόνα verſus adacto, ingens ſeri ſubflavi copia ad amforam ſemiſſem usque ex ipſo abdominis cavo proſiliit, hoc emiſſo deprehendi corpus durum, peritonæo, regioni umbilicali, nec non epigaſtricæ & hypogaſtricæ ſubſtrato, quam firmiſſimè annexum: quod ab hoc ſtudiosè dum liberarem, complures diverſæ magnitudinis & figuræ hydatides offendi, corpori huic ſuperficietenus adhærentes: iſto verò leviter per-

tuſo vera præconcepti abſceſſus præſentia copioſo puris effluxu ad ſex menſuras uſque ſeſe manifeſtavit: cujus folliculo craſſo & tenaci à peritonæo ſuperne ſeparato perrexi ulterius, primordia ejus ſciſcitaturus, ubi totum fere abdomen adimplere mox cernebatur: cuncta enim inteſtina quaqua verſum loco detruſa abſceſſui cedebant: Hepar, quod ſublividum erat, membrana p. n. ceu aranearum obvelatum, cum maxima felle flaviſſimo repleta cyſtide, abſceſſus pondere surſum protruſum diaphragma membranę inſtar extendendo, plusquam thoracis medietatem occupavit: Ipſi folliculo inteſtina alicubi firmiter connectebantur, alibi tamen facillime ſeparabilia: Omentum maximam partem putridum erat & conſumtum: Meſenterium itidem mera videbatur putredo, glandulis induratis tantum ſpectabile nec ullam cum hoc abſceſſus iſte habebat connexionem, vel eò protendebatur: verum bina efformabat crura (quorum quodlibet 3. digitos craſſum) utrinque uteri cornub. & tubis ſeſe inſerentia: quæ duo corpora in magnam glandulam induratam concreta videbantur: figura hinc naturalis eorum à craſſa crurum inſertione ferè deformabatur, ita ut totius abſceſſus ad minimum ultra 6. libras civiles pendentis primordia exinde augurari haud videatur difficile: Duobus igitur his pediculis ceu fulcris notabilis hic abſceſſus innitebatur, tenaciſſimo folliculo cinctus, ac permultis variæ magnitudinis corporibus glanduloſis infarctus, quibus diverſæ formæ hydatides, majores, minores, flaveſcente lymfa turgidæ undique adhærebant: pars abſceſſus reliqua tum carnoſa, tum glanduloſa, eapropter in pus vertenda, hinc inde certas

tas fovebat cellulas candidiſſimas & ferè cartilagineas, ſanieque refertas. Toto abſceſſu ubique liberato & exemto, alius minor pugni magnitudine comparuit, inteſtino cœco fortiter cohærens, aliquibus etiam hydatidibus corruſcans ac eadem cum majori compage conſtans, cujus portio ad proximas meſenterii duras glandulas pertingebat, hinc ex iisdem ortum habuiſſe dubium non eſt. Notandum omnes totius abdominis glandulas majores ac duriores fuiſſe pancreatis & teſticulorum exceptis, quæ parum majores ac molliores erant: ventriculus & colon flatibus diſtenta: cœcum pariter ſat inflatum: Inteſtinum rectum ſphacelatum & nigerrimum, glandulis oblongis ceu Papillæ annulorum inſtar circumdatum: Tenuia paſſim inflammata fuerant. Extracto & altero hoc abſceſſu uterus cum cornubus tubi & teſticulis in apricum magis veniebat, horum ſiniſter, nigrior & ſubputridus, uterque tamen mollis: Cavitas uteri vix piſum capiebat: craſſitie 3. digitos ſuperabat, extima ejus ſuperficies glanduloſis portionibus ceu papillis undique conſita erat, ſicuti inteſtinum rectum, hinc glandulas uteri non omnino negandas cenſeo: Orificium interius plane cartilagineum ac firmiſſime coalitum: Collum uteri perauguſtum ſanie concretũ: renes cum veſica rite ſe habebant. Lienis extimam partem ingens occupabat hydatis. Medii ventris ſectionem declinavit Dn. Paſtor Schlumf vanis tamen rationibus.

(*Sangallo Auguſtam Vind. miſſa d. 3. Julii A. 1697. ab Exc. DD. Sylv. Sam. Anhornio.*)

OBSER-

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. MARTINI MAXIMILIANI PRUGGMAYR.

De Panacæa Auri purgante, ejusque in plurimis curandis morbis mirandâ virtute.

Quamvis hujus medicamenti compoſitio apud Hartmannum, Crollium, Riverium, Agricolam, Danielem Mylium, & apud plures alios Authores, qui Aurum vitæ illud nuncupare ſolent, exactè deſcripta inveniatur, nihilominùs tamen eandem deſcriptionem dignam cenſui, ut denuo in lucem ederetur ob mirandas præfatæ medicinæ virtutes, quas ego in quàm plurimis eradicandis humani corporis malis per longam experientiam hactenùs fui expertus. Quare omiſſis ambagibus genuinam hujus meæ Panacææ præparationem in primis inſinuabo, dein ejus vires, doſim, & modum utendi, nec non etiam mea ope prædicti Medicaminis facta experimenta ſubjungam.

Componitur autem mea Panacæa ex triplici Hercule, nempe ex Auro, Antimonio, & Mercurio ſequenti modo: ℞. Auri per Antimonium purgati, inque tenues laminas reducti, aut limati ℥ß. Mercurii vivi optimè purificati ℥iij. ſingula ſeorſim, & in ſeparatis vitris, Mercurius quidem in Aquâ forti, Aurum verò, & Vitrum Antimonii in Aquâ Regiâ ex ſale communi factâ, ſolvantur, ita ut ſolutiones ſint claræ & transparentes. Has tres ſolutiones confunde, & Aquam Regiam per Alembicum abſtrahe uſque ad tota-

totalem ſiccitatem, & ignitionem vitri: Materiam in fundo relictam exime, & tene, iterùm in vitro affunde novam Aquam Regis, & uti priùs abſtrahe: quem laborem materiam terendo, novam Aquam Regiam affundendo & abſtrahendo toties reitera, donec præcipitatus in ignitâ ferreâ laminâ nullum penitùs fumum de ſe emittat, quod fiet, ſi Aquam Regis ſexies, vel ſepties, aut ſecundùm Hartmannum, & Riverium duodecies â materia in fundo relicta abſtrahes: ubi notandum, in ſingulis deſtillationibus aliquid ad latera vaſis ſublimari, quod ſemper abjiciendum eſt. His ita ritè peractis, maſſam vitro fracto eximè, & tere, tritam patenti vaſi fictili vitreato impone ſuprà carbones, ut Spiritus Aquæ Regis evaporent; dein cum Aquâ calidâ toties edulcora, quousque omnem ſaporem & acrimoniam depoſuerit, pulveri exſiccato, Spiritum Vini rectificatiſſimum affunde, hunc abſtrahe, & alium iterùm affunde: quem laborem ſimiliter ſexies, novum Spiritum affundendo, & abſtrahendo repete. Tandem prædictam maſſam in crucibulo lutato, igne rotæ per duas horas adhuc leniter calcina, & facta calcinatione ſuper pulverem in patina vitreata Spiritum Vini, quem antea abſtraxiſti, accende.

Et ita habebis veram Panacæam Auri, ſeu Aurum Vitæ ab aliis ſpagyricis nuncupatum, medicamentum præſtantiſſimum in Apoplexiâ, Epilepſiâ, Arthritide, Hydropiſi, Colicâ, Morbô Gallicô, & quàmplurimis aliis morbis, quod ita præparatum securè à granis 8. ad 12. 15. usque 20. & 30. additâ debitâ proportione Reſinæ Scammoneæ, & Cremoris Tartari, vel Tartari Vitriolati, manè quinque ho-

ris ante paſtum, in aliquo juſculo, Syrupo, Aquâ deſtillatâ, aut alio liquore ſumi poterit, & ſecundùm exigentiam morbi toties reiterari valebit, quoties neceſſitas poſtulabit.

Quantam opem hæc panacæa purgans præter dictos morbos etiam in febribus intermittentibus, quod tam de duplicibus, quam ſimplicibus intelligendum eſt, præſtet, enuntiare ſatis nequeo. Rarò enim præfata medicina bis vel ter ſive ſit quotidiana, tertiana, aut quartana, exhibetur ægrotanti, quin effectus deſideratus ad amuſſim ſubſequatur. Atque id ipſum hyberno etiam tempore, quo alias febres, præſertim quartanæ, difficillimè aut nonnunquàm vix ſunt curabiles, cum ſtupore fui expertus, ſimilesque quartanarios priſtinæ ſanitati feliciter reſtitui Neque vulgari quadam Virtute ſicuti cætera febrifuga, utpote per quæ morbus quandoque ad certum tempus tantùm protrahitur, & aliquando majoribus cum ſymptomatibus fit recidivus, hoc medicamentum gaudet & operatur, ſed fundamentaliter ipſam radicem morbi penitùs evellit; ſiquidem humorem melancholicum ſpecificâ virtute oppugnat, & illius fermentationem, quæ paroxyſmi cauſa eſt, inhibet, pravosque ejusdem qualitates extinguit; prætereaque ipſos humores bilioſos expurgat, viſcoſos incidit, & attenuat, attenuatos educit, & graviſſimas obſtructiones, quibus febricitantes, plerumque vero quartanarii ſunt obnoxii, ſimul quoque tollit; iis igitur ſublatis, & extincto fermento febrili, febres quoque cedere neceſſum eſt.

Atque

Atque ut veritatem fatear, hæc mea panacæa Auri purgans nil aliud eſt, quam genuinum illud à celeberrimo Riverio tantoperè deprædicatum febrifugum, ſeu verum, ac ſpecificum febris quartanæ ῥιζότομον, de quo ipſe in ſuis obſervationibus toties gloriatur, ſe quàm ſæpiſſimè unicâ doſi præfatæ Medicinæ tertianam & quartanam curâſſe, raro autem ad ſecundam & tertiam ejus exhibitionem confugiſſe: quâ de re præfatus Author, ſi quis ulteriorem informationem cupiverit, videri poterit.

Deinde in hoc medicamento ulteriùs quoque notatu dignum obſervavi, quod ii, qui paſſione Colicâ laborant, ſive ea ab humoribus biloſis, aut pituitoſis ſuam ſumat originem, non exigaum hâc acceptâ panacæa opem perſentiant; nam ejusmodi humores leniſſimè ſummâ cum ægrorum conſolatione educit. Et licet ſævientibus doloribus Colicis alia purgantia non ſemper tutò ſint adhibenda, hoc tamen medicamentum adhiberi poteſt quàm tutiſſimè.

Nec ſolùm in Colica vis ejus miranda in lucem prodiit, quin etiam in catarrhis, præſertim ſuffocativis ſuam demonſtret efficaciam, ſi enim hæc panacæa cum Magiſterio Mechoacannæ & Antihectico Poterii permixta, alicui ſimili patienti offeratur, inter breve temporis ſpatium non ſolùm alleviatio percipitur, verùm etiam totalis morbi curatio, repetito adhuc ſemel medicamento, plerumque concomitatur: quod in pluribus quidem ſimilibus patientibus, præcipuè verò in Adm. Rdo. P. Dominico Ordinis S. Dominici Prædicatore Generali ſedulò obſervavi; hic enim cùm aliàs ſæpiùs catarrho gra-

viter decubuiſſet, & præfato morbo ad ſex usque ſeptimanas quandoque laboràſſet cum neceſſariâ interruptione functionis prædicatoriæ, intra triduum hujus Panacææ ope convaleſcentiam eſt aſſecutus.

Plurima hìc, Amice lector! etiam de aliis morbis afferre quidem poſſem exempla & experimenta, cum autem ea ſpecificè recenſere nimìs longum foret, unde huic meæ obſervationi finem impono, penesque inſinuo, quod, cui pilulæ magis quàm pulvis arrident, in hunc vel alium modum eas ſibi concinnare valebit.

℞. Auri vitæ ritè præparati.
Extr. Aloës Soccotrin. aa. ℥vj.
Myrrh. Elect. ʒiij.
Croci Auſtriaci ʒiß.
Magiſt. Corall. ſolub. ℈ij.
Ol. Caryophyll. gut. viij.
Cinam. gut. v.

C. f. q. Syr. de Cichor. C. Rhabarb. fiat Maſſa Pilularum, quæ à granis xv. ad 20. usque 30. ſumi, & ſecundùm neceſſitatem cum aliquot granis diagrydii, vel trochiſc. Alhandal acui poſſunt.

Pro Coronide lectorem benevolum certiorem reddere volui, me prædictum Aurum vitæ etiam ſine Auro, nempe ex ſolo Mercurio & vitro Antimonii præparaſſe, & ejus ope nihilominùs egregios effectus præſtitiſſe. Quod ipſum confirmat Joannes Michaëlis de hoc auro vitæ ita diſſerens: *Qui inſcius venena hauſit, aut incantamenta perpeſſus eſt, vel peſte correptus fuerit, ſumat grana quatuor vel quinque, juniores grana tria, infantes verò granum unum, aut tertiam partem grani, ſanguinem in Venis, medullaque*

oſſium

oſſium, & quicquid intra cutim, & carnem, & circa nervos inhæſerit, mundificat. Et ut quidam mihi revelavit, plus 80. hominum peſte correptorum hoc ipſo præcipitato ex vitro Antimonii & Mercurii absque additamento auri, liberati ſunt.

SCHOLIUM.

NOn immeritò hoc medicamentum Panacæa, ſive purgans univerſale â me nuncupatur, ſiquidem omnes indifferenter humores peccantes, uti flavam, porraceam, & atram bilem, ſerum & pituitam educit. Et ob hanc rationem tam in tertianâ, quàm quartanâ, ictero flavo, in Aſcite & Anaſarcâ utiliter exhibetur, quod non figmentum, ſed veriſſimum eſt Experimentum. Cæterùm per ſe laxans eſt ſecuriſſimum, & blandiſſimum, cui ego experientiâ meâ vix ſimile quidquam deprehendi; adeoq; ubicunq corpus humanum pravis ſcatet humoribus, atq; evacuatione indiget, ſecuriſſime poteſt uſurpari. Operatur hæc Panacæa plerumque tantùm per inferiora, excepto, ubi ſtomachus excrementorum ſaburrâ repletus eſt, ubi tunc aliquando per accidens vomitus ſubſequitur. Quinimò â me obſervatum quoque eſt, Panacæam hanc nonnunquàm fuiſſe porrectam, ubi nec evacuatio per inferiora, nec per ſuperiora concomitabatur, ſubſecuto nihilominus optato effectu, & ægroti ſalute. Id quod æquè in pulvere Marci Cornachini, ſeu Comitis de Warwich obſervavi, dum eundem febricitanti porrexi nullâ planè ſubſecutâ evacuatione, interim tamen patiens priſtinæ fuit reſtitutus ſanitati. Et profectò! magnarum eſſe virium antedictum pulverem Cornachini, fateri ipſemet debeo,

neque etiam absque ratione fuit intitulatus, quod cum eo omnes humani corporis affectiones ab humoribus, copiâ vel qualitate peccantibus, genitæ tuto, citò, & jucundè, Chymicè & Galenicè curentur. Cui pulveri adeò celebri ſuam debitam laudem derogare minimè intendo, interim tamen penes reticere nequeo, quòd ſi mea Panacæa cum eodem Cornachini pulvere, æquâ trutinetur bilance, illa huic longè palmam ſit præreptura, uti hæc experientia rerum ipſa Magiſtra confirmat; præterquàm enim, quod mea Panacæa omnia illa ingredientia æquè, ac pulvis Cornacchini poſſideat, eademque planè Methodo adhibeatur, inſuper ex ſolidioribus conſtat fundamentis, Auro nempe & Mercurio artificioſè condecoratur.

(*Græcio Auguſtam Vind. d. 12. Julii, Ao. 1697. miſſa.*)

OBSERVATIO XCV.

DN. D. GEORGII TOBIÆ DÜRRII.

De Febre continuâ maligna verminoſa.

TOt exiſtunt quidem Obſervationes à Practicis, & in Ephemeridibus, circa urinæ varias præter naturam excretiones, ut ſupervacaneum ducerem, plura addere: Cum autem rara ſit apud nos urina verminoſa, placuit hujus Exemplum adducere.

Erat in Convictu aut Gynæceo, uti hìc vocant Anglicano, Nobiliſſima Domicella ab Heidorff, quæ antè annum graſſantibus Febribus malignis petechialibus, eadem Febri correpta periculoſiſſimè decumbebat

bebat: In ſtatu morbi per plures ſubſequentes dies excernebat per urinam Vermes vivos ſe moventes hirſutos, minoris quidem longitudinis, ſed per duos dies, ſeorſim aſſervatos viventes. Ejectis his demum erumpebant petechiæ, morbo ad quatuor ſeptimanas ſe extendente, & Ægrâ ſenſim reconvaleſcente. Ancilla inſerviens plethorica eundem morbum, decumbente adhuc Domicellâ, experta eſt, rejectis ſimilibus in figurâ, longitudine &c. per urinam vermibus vivis: Materia remediorum, & Methodus curandi hæc erat. Pro Domicellâ die 15 Octobris omiſſâ Phlebotomiâ ℞ Pulv. rubri Pannonic. ʒß. detur bis in die manè & veſperi cum aqua card. ben. exſpectando ſudorem. Die 16. ℞. Pulv. rub. Pannon. ʒj Confect. Alkerm. ℈ij. Aq. ceras nigr. ℥ijß. Tinct. Bezoard. g. xxx. M. f potio. Germ. Hitz- und Hertz-Tränckl auff 1. mal. Die 17. ℞. Sem. 4. frigid. minor. aa. ʒß. ſem. Melon. ʒiij. Aq. Ceras. nigr. fl. Sambuci. roſar. aa. ℥i. f. l. a. emulſio addendo ocul. 69. pp. ℈ij. Cinnabar. nativ. ℈ß. ♁tri pp. ℈i. Juleb roſar. ʒiij. M. S. Kühlende Mixtur auff 2. mal. Externè ℞. Aq. roſar. lavendul. ✢. roſac. aa. ℥j. pulv. lign. rhod. ʒj Croc. ℈ß. camphor. gr. vij. M. S. Uberſchlag zur Puls und Stirn. Die 18. ℞. Ocul. 69. pp. ℈ij. Cinnab. ♁nii ℈j. Spir. ✱ci. g. xxx. Confect. Alkerm. ʒß. Aq. Ceraſ. nigr. ℥iij. M. S. Hertz-Tränckl auff 2. mal. ℞. Aq. Ceraſ. nigr. ℥iij. roſar. ℥j. cinam. ſine vin. ℥ß. Confect. Alkermes. ʒj Spir. ✱ci. g. xxx. M. S. Hertzwäſſerl Löffel-weiß zu nehmen. Die 19. ℞. Ocul. 69. pp. ℈ij. Cinabar. nativ. ℈j. Myrrh. rubr. gr. v. M. f. Pulvis dividend. in duas partes manè & veſperi ſumendas in decocto CC. Die 20. ℞. Pul. Alexipharm. in appendice Diſpenſatorii noſtri ʒj. Camphor. gr. 1. M. f. pulvis d-

videnj-

videndus in duas doſes ut ſuprà. ℞. Aq. Ceraſ.nigr.℥ij. Roſar.℥j. Cinam. ſ. vin.ʒß. Confect. Alkerm. Ocul. 69. pp. aa.ʒj Cinabar. nativ.℈j. M. S. Krafftwäſſerle/ Löffel-weiß zu nehmen. Die 22. ℞. Ocul. 69. pp.ʒiß. Cinabar. nativ.ʒß. Bezoar or.℈ß. M. f. pulvis S. Pülverle öffters 3. Meſſerſpitz voll zu nehmen. Die 23. ℞. Therebinthinæ ad ſpiſſitudinem coct.ʒß.Myrrh. rubr. pulv. ſem. cinæ. aa.℈ß. M. f. pill. N. xxx. S. Wurm- und Nieren-Pillülen/ 7. auff einmahl zu nehmen. ℞. Pulp. Caſſiæ℥j. S. Caſſia-Lattwerg/ nach Belieben zu nehmen. Die 24. ℞. Therebinthin. Coct.ʒß. ſem. portulac. cinæ. aa.℈ß. M. f. Pill. N. xxx. S. Pillulen 15. auf einmahl zu nehmen. Die 25. ſuperveniente alv. fluxu ℞. Eſſent. terr. catechu.ʒiß. d. ad Vitr. S. Tinctur/ deß Tags 3. mal 20. Tropffen zu nehmen. Die 27. ℞. Balſ. Peruviani ℈i. Pulv. Croc. gr. vj. Sacch. albiſſi. q. s. M. f. Pill. N xxx. S. Pillulen/ 10. auff einmahl zu nehmen. Die 28.℞.Camph. gr. ij. terant. c. Sacchar. albiſſ.ʒß.Aq. ceraſ. nigr.℥ij. M. S. Gampffertwäſſerle. Löffel-weiß zu nehmen. Die 31. præſentibus motibus convulſivis. ℞. Aq. Ceraſ. nigror. fl. pœon. fl. lilior. convall. aa. ℥i. Aq. Epilept. Lang.ʒii. Eſſent. Caſtor. gut. xxx. ⊖is Succin. volatilis ʒß. Specific. Antihect. Poter. Confect. Alkermes aa.ʒi. M. S. Hertz- und Fraiß-Wäſſerle/ Löffel-weiß einzunehmen. ℞. Spir. ſalisarmoniac. ʒi. Eſſent. Caſtor. ℈iß. M. S. Fraiß-Geiſt / Tropffenweiß zu nehmen/cum aquâ præcedenti. Die 1. Novem. ℞. Camphor. gr. ij. terant. c. Sacch. alb.ʒß. Aq. ceraſ. nigr.℥ij. M. S. Wäſſerle auf 2. mal. Die 2. Novemb. ℞. Antihect. Poter. ℈ij. Myrrh. el. ℈ß. Caſtor. gr. iiij. M. f. pulvis dividendus in duas doſes. S. Pülverlein auf zwey mal. Die 3. Novembr. ℞. Aq. Ceraſ. nigror.℥ij.

Spir.

Spir. ☾tri dulc. g. xxxx. Confect. Alkerm. ℥i. M.S. Mixtur auf 2. mal. Aq. Cinam. Cydoniat. ℥j. Aq. fl. tiliæ ℥ij. Syr. de Cinam. ℥ij. Cinnab. ♁ ii ℈j. Ocul. 69. præp. ʒj. M. S. Hertz- und Krafft-Waßer Löffelweiß zu nehmen. Die 4. ℞. Tinct. Caſtor. ʒß. Spir. ✱ci ʒj. M. S. Spiritus 20. Tropffen zu nehmen. Die 6. ℞. Sem. Melon. ʒiß. Sem. Card. Ben. ʒj. papav. alb. ʒß. cum aquâ fumariæ ℥iij. f. l. a. emulſio, add. Ocul. 69. præp. ℈j. Unicornu foſſilis, Cinabaris ♁ ii optimè rectificati. āā. ℈ß. Syr. Papav. err. ℥ß. M. S. Milch nach Belieben darvon zu geben. Remittentibus ſymptomatibus utpote vigiliis, deliriis, motibus convulſivis, alvi fluxu, ulterior cura perficiebatur aquis cordialibus præcedentibus paulò ſubindè mutatis, analepticis, gelatinâ CC. cum ebore, & ultimò finiebatur pulvere hoc per plures dies continuato. ℞. Arcan. duplicat. Mynſ. Ocul. 69. præp. aa. gr. xii. Cinnab. ♁ ii gr. vj. M. f pulvis pro doſi unâ.

SCHOLIUM.

CEleberrimus noſtro ſæculo Athanaſius Kircherus in tractatu de peſte ſec. 2. cognovit, quod homo innumeris, licet inſenſibilibus vermiculis ſcateat, omnesque morbi vermibus obnoxii ſint, cujus exemplum præbet in febre intermittente, ubi ſanguinem poſt ſectam venam vermibus repletiſſimum cum admiratione per microſcopium vidit, hoc ipſum confirmat ſect. prima cap. 7. omnium nimirum febricitantium ſanguis vermiculis repletus eſt. Paullinus monſtravit vermes in omni elemento, in omni plantâ, fructu, cibo, & animalibus, in Cynograph. curioſ. ſect. ultim. cap. 3. ſeminia verminoſa omni

cibo aſperſa quotidie ingerimus: & in Obſervat. Medico-phyſicis pag. 127. dicit, milleformia inſectorum ſeminia in lacte aliisque alimentis latent, quæ non tantum in ventriculo non rectè alterantur, ſed & vitioſum ſubminiſtrant alimentum, undè ſerum redditur craſſius, quo deindè diutiùs ſtagnante & per inſenſibilem tranſpirationem haud foras emiſſo, neceſſariò corrumpitur, & ſic occulta ante, & oppreſſa penitùs principia ſeminalia in ſero latentia, ſui juris facta, in viva tranſeunt animalia. Unde patet, quod cauſa efficiens primaria vermium, ſit ipſa forma ſeu anima in ſeminio ſuo latens, calor autem aut putredo rectiùs in generatione illorum inſtrumenti vicem gerant, nam cum quævis forma propriam habeat materiam, in quâ & ſubſiſtit, & commodâ occaſione oblatâ corpus actionibus ſuis aptum, ex eadem ſibi ipſi exſtruit: idcircò è proprio ſeminio vermes produci veriſimile eſt, maximè ſi concurrat mala interna corporis diſpoſitio, aut ab ipſo ortu, aut ab humoribus pravis, aut ab aëre ambiente putredinoſo, dependente ab aſtrorum influentiâ, atomis verminoſis, unde etiam omnes illi, qui cibis craſſis & viſcidis veſcuntur, apti ſunt vermiculos mingere, ut Guil. Plantius notat, non mirum deinde, cum vermes in ipſo ſanguine hæreant, ſi vermiculi cum urina excernantur, ſero ex ſanguine ad renes derivato: curatio febrium malignarum hoc ipſum probat, & felicior perficitur, ſi ea, quæ vermibus inimica ſunt, cum alexipharmacis ſudoriferis, mixtis ſemper cardiacis exhibeantur, ſic enim vis illorum cum ſanguine & humoribus nutritiis facilè ad cutem penetrat, magnam merentur laudem pillulæ

Sere-

Sereniſſimi Ducis Mantuæ ad morbos malignos omnes, & vermes, quæ ſunt. ℞. Extract. Galegæ, Angelicæ, extr. baccar. Lauri, geniſtæ, theriacæ, aa. ℥ß. Salis CC. volatil. Corall. rubr. præp. aa. ʒß. Rhinocerot. ʒiij. radic. contraiervæ ʒv. terr. ſigillat. ℥ß. cum ſyrupo è ſucco limon. F. Pilulæ, ſi addatur Bezoardicum Joviale aut Martiale efficaciores evadunt, utpotè & ſudoriferæ, & alexipharmacæ, & vermibus reſiſtentes. Diaſcordium certè non ſolum alexipharmacum eſt, ſed etiam contra vermes certat, ut Sebizius notat, & ego ipſe in milite febri Caſtrenſi periculoſiſſimè decumbente expertus ſum, cum enim repetitis vicibus oblata fuiſſet potio ex Diaſcordio Fracaſtorii, non ſolùm ſudor largiter ſecutus, ſed & per alvum magna copia vermium rejecta eſt, evadente poſteà ægro. Omnibus autem palmam eripit myrrha, maximè cum aloë & croco mixta, quorum non tantùm in morbis peſtiferis, ſed etiam vermicularibus quibusvis inſignis uſus innotuit, magnam enim vim obtinent vermes necare, humores vitioſos reſolvere, ſiccare, & à putredine vindicare: quod cum vidiſſet Paracelſus, mox eas in gloriam ſuam accepit, & additamento liquoris Vitrioli aut Sulphuris Elixir Proprietatis nominavit: hinc magnæ famæ eſt pulvis rubeus alexipharmacus in Sueviâ noſtrâ paſſim maximè uſitatiſſimus, qui habet ℞. Aloes epaticæ Rad. Tormentillæ. Croci Auſtriaci. Myrrh. rubr. flor. roſar. rubr. aa. ℥ß. Bol. armen. ℥iß. radicum dictam. albi. Zedoariæ, biſtortæ, morſus diaboli, angelicæ, pimpinellæ, Herb. millefol. cum floribus aa. ʒj. Miſce f. pulvis, de quo ſumatur, quantum acumina tria cultri capere poſſunt cum rob cy-

 doni-

doniorum bis aut ter in die exſpectando ſudorem: ſi malignitas febris putridæ verminoſæ à ſtagnatione ſanguinis & lymphæ dependet aut fovetur, addunt Antimonium Diaphoreticum ex regulo, Sal volatile CC. Camphoram, ſi æſtus præcellit, nitrata admiſcentur (Spiritus enim nitri aut liquor illius fixus, omnium vermium generi adverſatur, præterquam quod calori reſiſtat,) ſi fermentatio urget, ocul. 69. CC. pp. terra ſigillata, junguntur. Qualem effectum præſtiterit in febribus malignis epidemicis eſſentia myrrhæ balſamica tam præſervando quam curando refert Schulzius in Ephemeridibus decur. 3. Ann. 2. Obſervat. LXXII. Ipſæ etiam cepæ ſive toſtæ, ſive aſſæ, ſive elixæ à Chriſtophoro Ayrero & aliis commendantur, unde plebs ruſticana horum locorum ſummum refugium habet in rob raparum aut per ſe, aut aquâ diluto.

(Exhibita Auguſtæ Vind. d. 16. Julii Anno 1697.

OBSERVATIO XCVI.

DN. D. JOH. MAURICII HOFFMANNI. De Liquore pro ⊖lo ♂tis parando collecto à frigore non coagulabili.

INtenſiſſimi frigoris hyemalis vim in diverſis liquidis illi expoſitis viſurus, inter alia liquorem, quem ex Spiritus Vitriol. ℥iij. Aq. fontanæ ℥ij. Limaturæ ♂tis ℥iß. affuſis, poſt ſolutionem ope filtrationis collegeram, eidem per aliquot ſeptimanas conſtantiſſimo, in vitro amplo ſuperius patulo latoque fundo inferius

rius prædito comiſi, obſervaturus, num in glaciem iſte liquor ſit abiturus, nec ne? ſed ecce remanſit is ipſe in ſuâ fluiditate, nec ullas unquam exhibuit glaciales moleculas, multo minus glaciali cruſtâ obductus eſt, etiamſi in fundo cryſtalli Vitrioli ♂ialis coire cœperint. Eapropter in hanc deveni ſuſpicionem, rigidiores Metallico-⊖inas particulas cum aqueis interfluis ab aëre frigido in tantum comprimi haud potuiſſe, ut in glaciem condenſatæ fuerint, dum proculdubio magnum hic quoque momentum habuit, quòd menſtruum ſolutis nominatis particulis admodum impræ gnatum ſive ſaturatum fuerit, hinc enim contra evenit, ut cum ſolutionem lamellarum cuprearum cum ſpiritu Nitri dilutiori, pro acquirendo ♀ris Vitriolo adornatam, eodem tempore aëri ſimul commiſiſſem, poſt paucorum dierum intervallum hinc inde glacialia ramenta viſui ſeſe obtulerunt, cryſtallis deſideratis partim incumbentia, partim interſperſa.

OBSERVATIO XCVII.

DN. D. JOH. MAURIC. HOFFMANNI, De Lixivio Salis Meliſſæ, à frigore cruſtam glacialem folia cum contextu fibroſo repræſentantem, adepto.

Sicuti ſalia, purè præſertim talia, in diverſas abeunt figuras, quando interluente fluido aqueo abſumto, propriùs coëunt, atque mutuis ſibi implicantur ſpiculis, ita eadem à frigore in tales quoque coguntur, quas tamen poſteriores fortuitas ego maximam partem eſſe reputo, & illarum etiam numero accenſen-

dam ſuſpicor figuram heîc æri inciſam, quam Salis Meliſſæ lixivium frigori ſubjectum mihi obtulit, quando cruſtam glacialem in ſuperficie atmoſphæræ incumbenti proximâ contraxit, ubi miratus ſum foliorum plurium ab invicem explicitorum ſeriem, ambitum extremum crenis diviſum, & præcipue fibrarum ordini naturali prorſus ſimili exporrectarum contextum in glaciali icone conſpiciendum.

Fig. XLV.

OBSERVATIO XCVIII.

Dn D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.

De Terra foliata tartari botryoide.

TAmetſi nullus negare auſim ſalibus ab interno principio determinatas competere figuras, ita ut Hexaedricum nitrum, cubicum ſal commune, rhombicum Vitriolum, octaedricum alumen, tetrahedricum Sal urinæ & Sal armoniacum eſſe notetur, ſicuti G Hornius in Arcâ Moſis p. 64. conſignavit, & quoad Salia quatuor foſſilia magis cognita, vitriolum, Alumen, Sal petræ, Sal marinum, quintumq; minùs cognitum ſcilicet Sal calcarium, eruditè declaravit, & figuris additis demonſtravit Martin. Liſterus de Thermis & fortibus medicatis Angliæ Cap. 1. ſpeciatim in vegetabilium Salibus lixivis Carolus Fracaſſati in Exercit. Epiſtolicâ de linguâ ad Joh. Alphonſum Borellum perſcriptâ p. m. 156. annotavit: In Concretis tamen Salinis, figuram ab ipſorum puritate vel impuritate, ambientis aëris variâ conſtitutione, & circumſtantiis quandoq; haud indagandis immutari exempla paſſim comprobant,

quæ

quæ inter referre lubet terram foliatam Tartari botryoidem; Iſthæc enim cùm in laboratorio noſtro Chemico ex Sale Tartari aceto Saturn. & poſtea beneficio Spiritus Vini ſoluto ac exaltatò, ſæpius parata, ultimâ facta hujus abſtractione leni, ſub lamellarum foliacearum ſpecie mihi obvenerit, ſemel nihil minùs cogitanti collecta eſt botrioides ſive botriformis, ita quidem, ut exactè repræſentaverit uvarum racemos in orbem circumactos. Palingeneſin quandam uvarum factam dixeris, & ad primum rediiſſe genium terram foliatam tartari, quam *Zwelfferus* Sal eſſentiale vini ex ſolo vino lege artis nullâ reprorſus peregrinâ adjectâ paratum, in Mantisſ. Spagyric. Part. I. c 3. pronunciavit. Oſtendit verò inſuper duo peculiaria phænomena deſcripta modo terra foliata botriformis, nempe enim puriori albedine conſpicua fuit, & per plures annos in loco humidiori asſervata, à deliquio immunis permanſit, & licet variis poſtea modis tentaverim ſimiliter denuo elaborare, ſpei tamen & conatui neutiquam eventus reſpondit, adeò in Chemiâ ſæpe caſu & ex prætervisâ circumſtantiâ obtingunt, quæ nullo ſtudio aut ingenio impetrare & recuperare licet.

OBSERVATIO XCIX.

DN. D. JOHANNIS MAURICII HOFFMANNI.

De Tumore fungiformi ſuprà genu dextrum feliciter ſublato.

TUmor hic genu dextrum Illuſtriſſimæ Comitisſæ NN. obſederat per biennium, & medicamentis

tis non ſolùm, ſed & præſtigioſis remediis atque incantamentis cedere renuerat, ita ut ſpem medelæ futuræ omnem abjecerit; idem verò magnitudine ovum gallinaceum fermè æquaverat, albus, inſenſilis, & contactui ſpongiæ inſtar obſequens: Illo igitur viſo cùm ſciſcitatus eſſem, num ex contuſione, aut lapſu, aut contorſione violentâ enatus fuerit, nil autem horum præceſſiſſe reſcivisſem, culpam attribui genubus propter preces religioſas diutiſſimè flexis, & ideò fibrillis genu afflictum tegentibus membranaceo nerveo-tendinoſis ruptis ac divulſis indeque ſubſecuta lymphæ effuſione & coagulo. Applicandum igitur ſuaſi Emplaſtrum mixtum ex Malactico Emplaſtro & Cerato de galbano crocato Mynſichti, ſic paulatim tumor ſubſidere cœpit, tandemque evanuit. Emplaſtri malactici compoſitio ſeq. in modum ſe habet: ℞. Olei communis ℥iij. In his coque ceruſſæ pulveriſatæ ℥iij. Dein admiſce Reſinæ pini ℥iiij. Ceræ ad lentum ignem liquefactæ ℥j. gummi galbani, ammoniaci in aceto ſoluti, myrrhæ pulveriſatæ aa. ℥ß. M. f. l. a. Emplaſtrum. Ceteroquin utriusque nominati Emplaſtri amico fœdere juncti ope Emphyſema in Olecrano ex alliſione vehementiori ad pavimentum lapideum factâ, exortum brevi curavi, imò ſolo etiam malactico imminentem ſtrumarum deformitatem in aliquot feminis anteverti.

OBSER-

OBSERVATIO C.

DN. D. JOHANNIS MAURICII HOFF-MANNI.

De Ceraſo acido prolifero.

PLuvia aſſidua, quæ per integram Quintilis menſem agros noſtros inundavit, raparum albarum excreſcentias polymorphas induxit, ita ut tuberibus ad latera enatis plurimis veluti truncis vel polypoſis pedibus quaſi exporrectis monſtroſæ conſpicerentur, humiditate nutriciâ uberiori tubulos diſtendente, rumpente, varieque inflectente, ac ulteriùs ſe diffundente. Idem fermè fatum manſit ceraſa acida, quæ humido abundante ſaturæ crepare cœperunt, & nova quaſi germina protruſerunt, ſicuti in appoſitâ figurâ unum ex illis conſpicitur, quod proliferum quaſi ſe exhibuit, ceraſumque protruſit aliud oblongum cupulæ glandis non abſimile.

Fig. XLVI. (*Die 6. Aug. miſſæ Altdorffio Norimb. Anno 1697.*

OBSERVATIO CI.

DN. D. JOHANNIS JACOBI FRANCISCI VICARII.

De Quatuor robuſtis Viris à ſpectro mirabiliter interemptis.

QUatuor robuſti & athletici Viri Genuenſis Territorii Eleemoſynas pro conſanguineis apud Barbaros Tripolitanos captivis collecturi, *Marispurgum* ad Lacum Acronianum 28. Februarii 1697. adveniunt,

qui fere ejusdem (40. præter propter annorum) ætatis erant. Hi pernoctaturi in oppidi Xenodochio divertunt, aſſignatur illis ordinarius tranſeuntium mendicantium locus, hypocauſtum ſcilicet fornicatum in ipſa domûs planitie; cœnabant temperatè, nam emendicatarum pecuniarum ut poſtea eluxit, amore captivorum redimendorum tenaces erant, circa decimam noctis circiter cum prætereuntibus fœminis (quæ in filis trahendis alibi modò primum ſuum penſum abſolverant) acclamando jocabantur, & adhuc potum efflagitabant, imò à prætereunte cuſtodia nocturna hora duodecima adhuc lumen ſine omni tumultu conſpiciebatur & licet ſingulis horis proximè hunc locum præteriret, nil tamen audivit tumultuari aut ſtrepere. Illuceſcente aurora aperitur quidem janua, & cum duo alte adhuc ſtertere audirentur, reliqui duo verò omninò quiete jacere, placidiſſimèque dormire viderentur, non acclamabatur: At verò cùm tardiùs opinione expergiſcerent & jam octava audita dudum fuiſſet, metu, ne quid mali illis acciderit, intrant domeſtici in hypocauſtum, quòd nunquam nimiùm æſtuabat, acclamant jam ipſis, & admonent ut ſurgerent, ſed dum nullatenus ſeſe hocce tumultu moverent, agitantur & verſantur corpora pro poſſe, obſervatur autem jam binos fatis ceſſiſſe, reliquos binos verò jacere ſine motu & ſenſu, ſolumque profundiſſimè ſtertere, advocabantur mox eximius & ſagaciſſimus Dn. D. Joannes Wernerus Zollerus Celſiſſimi S. R. J. Principis *Marquardi Rudolphi*, Epiſcopi Conſtantienſis, Domini mei Clementiſſimi, Medicus; & inter Chirurgos præprimis ſelectiſſimus Dominus Andreas Enrott, qui,

con-

conſiliô initô, mox alteri vegetiori adhuc viſo, utpotè quòd in hoc malo recuperandæ valetudinis ſpes affulgeret, mox venæſectionem in brachio celebrant, & quidem lancettam profundiſſimè adigendo, vix tamen ſanguinis tantillum plorabat vena ſcitiſſimè ſecta, imò ſuppoſito ſcutello intra binas horas vix uncia unica profundebatur; infundebantur dein antapoplectica, excitantia volatilia ſpirituoſa, & quidem in magna doſi, ſed vel nil deſcendit, vel ſaltem aliàs incaſſum laborabant; inſufflabantur per pennam in nares ſternutatoria etiam helleborata, at fruſtra; applicabantur veſicatoria, verùm absque omni (velut in moribundorum ſpiritibus ſideratis accidit) effectu; acclamabatur iis è profundo pectore & altiſſima voce, at ſurdi erant; imò injiciebantur acerrimi clyſteres, ſed mox refluebant; intrudebantur & acriora ſtimulantia ex ſpeciebus purgantibus conflata ſuppoſitoria, quorum ope in altero robuſtiori apparente, alvus parùm movebatur, deniq; in plantas pedum infigebantur acus ſat profundè, non tamen ſeſe movere ullatenus videbantur. Elevatis palpebris oculi immoti manebant, pulſus erat tenuis, lentus & omninò parvus, poſt prandium verò nequaquam ampliùs obſervabatur, verbo ἀναίσθητοι, καὶ ἀκίνητοι, ſenſus ſcilicet & motus omnis expertes erant; ſudore autem ſyncoptico quaſi diffluebant, color tamen faciei non fuit tam lividus, ac eſt in ſuffocatis, nec etiam tam lucidus, ſed ſatis adhuc vividus, usque dum & ipſi ad veſperas primo ſcilicet Martii exiguo interjecto intervallo animas efflârunt ambo; in omnibus excepto uno ex ultimis (fortè quòd non tam exactè obſervaretur ampliùs)

ſpuma ſat copioſa circa os hærebat, & cuncti quatuor in ea poſitura (ad quam ſe noctu probabiliter præparârunt nam decens & conſueta ad dormiendum erat) manè omnes inventi fuerant, & quidem unus in ſcamno longo à feneſtra verſus fornacem, ut locum ipſe ſcrutatus fui, reliqui in pontibus ligneis ad hoc paratis jacebant. Secundô Martii ex Mandato altè præfati *Celſisſimi Principis* duo corpora, nempè unum ex mortuis repertis, & alterum ex veſpere defunctis, cultro anatomico ſubjecta fuêre, ſectione adminiſtrante ſupra jam laudato Chirurgo D. *Enrott*, & dirigente Excellentiſſimo antea bene memorato Dn. D. *Zollero* Fautore meo eximio, plurimisque adſtantibus; in hoc actu obſervabant imprimis ambitum corporis externum, an fortè ſtigma aut veſtigium illatæ cujusdam violentiæ deprehenderent, at totus erat ſibi æqualis, nec punctum aderat, ex quo quid ſimile conjecturari potuiſſet, apertis dein cadaveribus viſcera omnia ſalva, ſana, ac ſine labe etiam minima corruptiva apparebant; in cerebro autem, apertâ calvariâ, vaſa meninges & corticem cerebri perreptantia cruore atro videbantnr ſolito turgidiora, pulmones verò toti quaſi nigricabant, ac ſi carbonibus pulveriſatis conſperſi fuiſſent, ex thorace extracti atque ſuper aſſerem diſſecti, infarctum quendam ſanguinis atramento ſimilem præſeferebant; parenchyma cordis quoque totum conſpiciebatur vivax, ventriculi verò ejusdem ambo ſanguine atro infarcti, ſanguisque totus grumoſus & congelatus erat, hocque tam in uno quàm in altero correſpondebat: Et hæc de his 4. lugubri fato velociſſimè nemine opinante è vita ſublatis; De hypocauſto

autem

autem ipſo ſequentia ad ſcopum facientia hæc habeto. Multis jam abhinc annis de hypocauſto dicto Noſocomii memorati fornicato nunc Mendicis deſtinato rumor erat ac obſervabatur, dæmonium quoddam tumultuare atque in tenebris obambulare, nemo tamen quantum ſcitur, lædebatur, donec recendiſſimè accidit, ut Mulier quædam præterito anno crimine abortus prægnanti cuidam alteri mulieri cauſati in cuſtodia per 2. vel 3. menſes vinculis detineretur, quo tempore inter reliqua mendicabula etiam malè feriatus & ſub habitu peregrinantis divi *Jacobi* conchato nequam ſupervenit, & invitus idem in hypocauſtum, ut pernoctaret, amandabatur, hic tum captivæ mulieri liberationem certè futuram ſpondet, ut autem hanc maturaret, addidit, accidere enim poſſe, ut in hoc ergaſtulo aliàs adhuc pereundum eſſet; hic trifurcifer in ſua præſentia futurum eventum probabiliter quadantenus delineare voluit, dum quadam nocte maximus exoriebatur tumultus, omnesque alii ſe ſuffocandos credebant, ſolus ille nil mali ſentiebat, imò adhuc illis theriacam & quidem vili pretio, ut eos ab incurſu Dæmoniaco præmuniret venditabat; tragicus hic tumultus tanta exhibuit obverſantia ſpectra, ut horum intuitu cuncti tanta cordis anguſtia & ſuffocationis metu preſſi fuerint, ut vix ejulare valuerint, aliqui verò vomitu ab interitu ſe liberarunt; contigit autem hoc non ſemel duntaxat, ſed crebrius poſthac omnibus eodem in hypocauſto pernoctantibus mendicis, qui ſubinde iisdem correpti ſymptomatibus ad incitas redacti vix januâ effractâ ſe ſalvârunt, quod & nuperrimè primùm item evenit, ut adeò dictus nebulo

conchatus, ſuis præſtigiis huic, ut apparet, Dæmonio non infimas copias addidiſſe videatur, maximè cùm diſcedens dixerit Xenodochium hoc longè latèque adhuc famoſum fore, man werde noch viel von ihme zu reden haben. Interea dum Mendici anguſtias dictas perpeſſi illuceſcente aurora ſemper diſceſſu ſe ſalvârint, facilè rumor exortus reprimebatur, credebatur etenim mulier duntaxat liberationem his promovere velle, at cùm & ipſa tandem ægritudine corriperetur, per omnem DEI miſericordiam liberationem urgebat, inquiens, futurum certò eſſe, ut præſtigioſis hiſce technis internecio ſibi certò certius, quemadmodum præſtigiator maleſanus edixerat ſit eventura, quo illa quidem è vinculis dimittebatur, ſed tamen damnato prognoſtico eventus in ſæpe adductis innocentibus 4. captivorum redemptoribus correſpondit. Hoc unicum adhuc addere libet, quòd Paterfamilias ejusque domeſtici Xenodochiales pro certo aſſerant, non ſolùm in inferiori famoſo hypocauſto, ſed & in ſuperioribus conclavibus ſtrepitantes quaſi catenis ſpeciatim canes torvis oculis circuire, ſed qui hucusque nullum intentarint malum inferre. Ecce hæc eſt hiſtoria recentiſſima, fideliſſimè delineata, à benè præfato Dn. D. Zollero communicata, collata, atque ab aliis confirmata; quis modò affectus, & quæ cauſa fuerit tam repentinæ mortis, hîc diſquirere licebit.

SCHO-

SCHOLIUM.

AFfectum hunc fuiſſe acutiſſimum, ſat ſuperque ex tam præpropera morte patet, fuiſſe dein morbum per ſe naturalem, & quidem Apoplexiam docent ſigna huic affectui eſſentialiter inhærentia, functiones nempè animales quoad motum & ſenſum ſubitò & totaliter abolitæ, dum nempè cæterum robuſti & athletici derepentè ἀναίσθητοι καὶ ἀκίνητοι efficiebantur, clamoribus non expergiſcebantur, aut puncturis non ſeſe movebant, acrioribus non excitabantur, altiſſimè ſtertebant, clyſteres refluebant, aphonia aderat, oculi claudebantur, vultus quoque adhuc vividior (intellige omnia de vivis, nam de aliis non eſt dubium) erat, quæ omnia luculentiſſima apoplexiæ præſentis teſtimonia præbent: differt hic morbus plurimùm à ſyncope, cardiaca ſeu catarrho ſuffocativo, quòd ordinario in hoc reſpiratio ſit difficilis pulſus quaſi deficiat, facies palleſcat, externa omninò frigeant, & nullus ſtertor adſit; ſubjectum hujus mali videtur latuiſſe in Spiritibus animalibus primariò affectis, ſeu ſi mavis, in nervis. Apoplexia iſta juxta *Helmont.* tract. de lithiaſi cap. 9. dici meretur poſitiva, eò quòd hujus cauſam formalem proximam ſtatus Spirituum certo veneno quodam narcotico & glaciali ligatorum valide funeſtus conſtituat, in quo ipſi toti ſtupidi & toti torpidi exiſtunt, hinc horum motus tam cerebro quàm cerebello & influxus in partes ſubjectas, ut hiſtoria docet, tam repentinò ceſſavit, imò abolitus eſt; Quare etiam non immeritò ſtatus cauſam occaſionalem proximam ſeu materialem eam fuiſſe, quæ Spiritus violentiſ-

ſimè

ſiſſimè obſtupefecit,& ligavit,ſcilicet venenum quoddam narcoticum *Helmontio* ab effectu glaciale nuncupatum, quòd Spiritus non ſolùm ſtupore affecit, ſed & inſtar Gas liquorum fermenteſcentium eosdem omninò ſaltem ſideravit, extinxit, qualis vis in opiatis, carbonum fumo, ut & fulmine notiſſima exiſtit: Ubi verò venenum hoc narcoticum ortum fuerit, unde pullulârit, maximæ eſt difficultatis, hîc Rhodus hîc ſaltus eſt, nam in hoc totius dilucidationis verſatur cardo: Hoc autem ut faciliùs præſtemus apoplexiæ pleræque ſi non omnes cauſæ nobis intimiùs perſtringendæ veniunt, & imprimis dum *cauſas naturales* conſidero, reperio meherclè neutiquam illud in corporibus hæc latuiſſe, quippe athletici erant, & vegeti, benè colorati optimèque habentes, atque ſera nocte adhuc jocabantur, dein viſcerum nulla labes (præter recentem ſanguinis infarctum) apparebat, & quidem taliter, ut integerrima hac conſtitutione ad ultimam usque ſenectam decrepitam pertingere valuiſſent; nullatenus ergò credendum, à tali cauſa naturali quempiam obiviſſe, nam quare omnes 4. eodem affectu ſunt tacti? ſanè alia ſubeſſe debet ratio, quàm fortè *res non naturales* ex Diætæ vitiata ſiſtent: Inter has apoplexiarum cauſas externas primò ſe offert *frigus* quod ſi repentinum aut nimium eſt, nimiùm quantùm Spiritus ſuffocat, ſanguinem coagulat & apoplexiam procreat, uti nobis luculentè id innuit Hippocrates 2. aphor. 23. Secundo *Potus* etiam *vini generoſi nimis*, & ebrietas inordinata plures etiam cæteroquin optimi habitus ad apoplexiam diſpoſuit, ut habet *Fonſeca* lib. 2. conſil. 59. item *Foreſtus* lib. 10. obſ. 39. & in ſpecie

Hen-

Henricus ab Heer Obſ.19. ubi ridiculam in 4tum diem durantem hiſtoriam cujusdam apoplectici jam jam trepanandi memorat, quod ipſe Cous jam advertit aphor. 5. ſec. 5. item de morbis lib. 2. Ubi hoc magis exprimit inquiens: *Ebrii apoplexia tacti ſi febris ſupervenerit, evadunt, ſin minus tertio* moriuntur; ſunt & tertiò *ſuppreſſæ ſanguinis evacuationes* fœcundæ apoplecticorum affectuum genitrices, quemadmodum & quartò *vapores mercuriales*, ut habet hujus exemplum *Langius* Epiſtolar. lib. 1 Epiſt. 43. uti & 50. nec non ipſa *Venus immodica*, ut rurſus narrat ſupra nominatus *Heinr. ab Heer* obſerv 18. & Platerus; Sextò plurimùm hîc poſſunt *animi pathemata* graviora, ſpeciatim *ira*, ut producit *Foreſtus* lib. 10. obſerv. 60. item *Valeriola* lib. 5. de ſympt. c. §. *Dubravius* lib. 2. hiſtoriæ Bohemicæ, *Cardanus* in Conſilio pro *Cardinali Macone* fol 723. *Horſtius* lib. 3. Epiſt. Sec. 12. Epiſt, 1. *Caſtrenſis* lib. 3. de Meteoris Microcoſmi c. 3. *Valerius Maximus* lib. 9. *Plinius* lib. 7. c. 32. & 57. &c. facit & idem *terror* de quo conſulatur *Hildanus* cent. 6. obſerv. 12. Huc & ſeptimò trahendus eſt *Nicotianæ Fumus*, & octavò *cerebri contuſiones*, & concuſſiones. Poſitis hiſce rurſus eluceſcit apoplexiam hanc ex nulla prædictarum cauſarum progerminaſſe, qui ppe primò, gelu, quo plures ſæviente hyeme blandè obdormiendo apoplecticè ex glaciatis ſpiritibus pereunt, non obriguiſſe, manifeſtant omnes actiones; Secundò, nec etiam præſumendum de ebrietate, utpote quòd eam & occaſio ac pecuniarum tenacitas averterit; de tertia cauſa nec quidpiam ſcitum; quartò ex fumis mercurialibus ne hilum concurrit; quintò in tam miſerando ſtatu tor-

pet Venus, neſcitque illa in duris quieſcere, nec ardet niſi in fomite; Sextò ira aberat, imò animus ad hilaritatem compoſitus erat; an verò ex terrore obverſantis ſpectri orta ſit hæc tam ſubitanea affectio, magis dubitari poſſet, contrarium autem ut credam ſequentes me perſuadent rationes; primò etenim nullus ejulatus vel clamor (territis familiaris) audiebatur, cùm tamen hypocauſtum ſit in plano, cuſtodia ſingulis horis præterierit, & ſecundò in eodem ſitu ad ſomnum naturali inventi fuerint cum tamen ex terrore potiùs invicem confuſi fuiſſent, quippe (cùm vis unita fortior) territi plerumque congrediendo ad pellendum hoſtem vires conjungunt, aut fugam quærunt, quæ revera dicunt, ex terrore malum natum non fuiſſe; Nec ſeptimò Nicotianæ fumus obeſſe potuit, utpote quòd parcè (nam nullus odor obſervabatur) fumarint, huic asſueti fuerint, altus etiam ſatis ſit fornix, nec denique octavò ullus caſus aut contuſio obvenit. Ex quibus omnibus ad ſtateram poſitis eruo, nec has cauſas externas tam ſubitanei occubitus authrices extitiſſe; nec etiam mihi imaginor cauſam primam DEUM adeò hos miſeros flagellâſſe, utpote quòd viri probi, & pii, ac gratioſi captivorum redemtores crederentur, reſtat igitur ut decernamus, apoplexiæ hujus fortiſſimæ originem unicè à cauſa aliqua toto genere contra naturam dæmoniacâ, ac præſtigioſâ, ipſis ſcilicet ſpectris emanaſſe.

Ut modò eò clarior evadat noſtra ſententia, nobis determinare incumbit, quid propriè ſub nomine ſpectri intelligatur; venit autem (ut habet P. Gaſpar Schottus S. J. in phyſica curioſa lib. 2. p. 1. c. 1.) ſub

ſub hoc ſchemate quædam ſub variis formis imago, ſeu noctu, ſeu interdiu, domi forisve, in campis, ſylvis, montibus ſeſe nonnunquam conſpiciendam offerat, ſive dæmones ſint, ſive Angeli, ſeu defunctorum animæ, Græci vocant φάσματα, φαντάσματα, πνεύματα; latini nunc Spiritus, nunc viſa ſeu oſtenta, nunc lemures aut Remures à Remo (cujus interfecti umbra Romulo objecta eum perterruit) item umbras, lares, penates Germani noſtri Geſicht/Geſpenſt/Geiſter; ſæpè ſæpiùs tamen non oculis ſed ſolùm auribus ſe ſiſtunt, dum ſtrepitus varios edunt, locorumque incolas tentare dicuntur, adeò, ut loca reddant tum infeſta & ad habitandum prorſus inepta. Dari autem ſpectra probatur primò *Plinio Juniore Novocomenſi*, qui varia adducit, & inter ea Africanum; *Curtii Ruſi*, dein Athenienſe *Athenodori* Philoſophi, item aliorum capillos tondentia; Secundò *Svetonius Tranquillus* narrat aliud *Julio Cæſari*, aliud verò *Plutarchus Dioni* objectum; Tertiò in Thermis Chæronenſibus eſt aliud, aliud in campis Marathoniis, & centena talia, quæ in P. *Martino Delrio* diſquiſit. mag. præſertim c. 2. ſ. 1. q. 1. *Nidero*, *Cromero*, *Melanchthone*, *Baptiſta Fulgoſo*, *Alexandro ab Alexandro*, *Sozomeno* & aliis videri poſſunt: adeò quidem verum eſt dari ſpectra, ut impudens ſit, qui fidem tot teſtibus denegat, maximè cum *S. Auguſtinus* lib. 18. q. q. dicat: Serpit hoc malum diaboli per omnes aditus ſenſuales, hîc tamen ſicco non prætereundum eſt pede, quod licet & Angeli nonnunquam & animæ demortuorum (eò quod hi ſubinde comparuerint non tam ſacra ſcriptura, quam authenticæ hiſtoriæ teſtentur) ſub ſpectrorum cenſum veniant,

 atta-

attamen dæmones propriè ſpectra appellanda ſunt, utpotè qui humano generi continuò inſidias ſtruunt, terrorem incutiunt, locaque plus minùs infeſta reddunt: Hi tamen non omnes ſunt ejusdem generis, hinc *Marcus* quidam apud *Michaelem Pſellum* lib. de natura dæmonum hos in 6. dividit genera, primumque ſtatuit eſſe igneorum, ſeu in ſublimiori aëre vagantium; ſecundum aëreorum, qui in aëre terræ proximo circumvolitent; Tertium terreorum, qui in terræ ipſius Regionibus varia ſub ſpecie tam in campis quam domibus apparent, tale campeſtre ſpectrum eſt in vicina *Hegoia* nominatus ille dæmon der Poppele / non niſi irritatus infeſtans, tale fuit ſpectrum Hudeckin Saxonice appellatum, in Diœceſi Hildesheimenſi, quod neminem, niſi priùs læderetur injuriâ aut malô affecit. Quartum eſt aqueorum, in aquis & maritimis ac paluſtribus locis immorans; Quintum conſtituunt dæmones in ſubterraneis fodinis verſantes die Ertz-Männlein; Sextum denique mirabile lucifugum appellatum, maximè mortalibus infenſum à principe tenebrarum ortum: Hæc ſextuplicia ſpectrorum genera fuſiùs proſequitur *Joan. Trithemius* Vir Religioſiſſimus lib 8. quæſt ad *Maximilianum Cæſarem* quæſt. 6 dicens: multa enim ſunt Dæmonum genera, & certis tantùm inter ſe gradibus ratione locorum (in quæ cadentes à cœlo per lapſum Luciferi à principio ſunt detruſi) diſtant; brevitatis ergò omitto, quæ de V. prioribus adducit, & ſolùm ad rem noſtram pono, quæ de VIto habet; Sextum, inquit, genus dæmonum appellatum lucifugum, propterea quod lucem maximè horreant ac deteſtentur, quia nec diebus unquam apparent,

nec

nec alio modo corpus quam in nocte poſſunt aſſumere; hoc eſt negotium, quod in tenebris ambulat, genus Dæmonum imperſcrutabile ac penitus tenebroſum, paſſionibus frigidis agitatum (affectibus ſcilicet ſimilibus illis paſſionibus) malitioſum, inquietum & perturbatum, quod occurrentes homines violenter opprimit nocturnis horis; ſæpiusque DEO permittente flatu quodam interficit aut contactu: Talia ſunt illa ſpectra quæ *Cornelius Agrippa* lib. 3. phil. occultæ c. 16. & ſeq. in medium profert; Tale fuit ſpectrum, de quo ſcribit *Gregorius Nyſſenus* dictus, in Vita *Gregorii Neocæſarienſis* apud *Surium* tom. 4. & quod in Balneis infeſtum erat, ac nemo illorum qui balnea noctu intravit, manè vivus præter Diaconum hujus *Gregorii Neocæſarienſis* exivit; Tale fuit ſpectrum in balneis Epheſinis, quod homines, ut *Prochorus* S. Joh. Apoſtoli diſcipulus in ejus vita c. 3. meminit, ſuffocavit: Talis fuit *Annæbergicus* dæmon qui operarios amplius 12 in ſpecu, corona roſacea, appellato, ſolo afflatu (ut narrat *Georgius Agricola* in fine libri de animalibus ſubterraneis) interemit; Tale denique funeſtiſſimum ſpectrum præ oculis noſtris verſatur, dum ſupra deſcripſimus, qualiter breviſſimum intra tempus non ex cauſa aliqua ſecundum ordinarium naturæ curſum, ſed ex cauſa totaliter contra naturam currente quatuor athletici viri internecioni pro dolor! dati ſint, confirmant hoc etiamnum domeſtici, confirmat hiſtoria, confirmant denique jam repetitæ hujus ſpectri viſiones, & cauſarum naturalium, non naturalium, ac ſupernaturalium factæ negationes, idcircò non reor quempiam fore, qui occiſionem hanc à ſpectro fa-

ctam ultrò negare queat, & fieri poſſe ſatis, ut opinor, luculentis argumentis demonſtravi. Alia nunc ſuperanda eſt difficultas, nimirum quomodo ſeu qua ratione quove medio (cùm nullum violentæ mortis ſtigma in peripheria corporis comparuerit) tam repentina mors à ſpectro hoc illata fuerit? dicam ergò quomodo, ſcilicet ſuffocatione interierunt; non tamen eſt, quod hic per ſuffocationem aliquam ſtrangulationem violento modo manu aut laqueô factam intelligam, ſed eam, quæ motum animalem totaliter ſublatum aut ſæpe convulſivè partes membranoſas contractas, ut fit in uteri ſtrangulatu, ſubſequitur: Quid autem tam repentinam ſuffocationem omnimodam ſenſus & motus totalem privationem & conſequenter apoplexiam cauſavit, ſupra jam audivimus, eſſe nempè venenum aliquod narcoticum & quaſi glaciale, ſive dein halitu quodam, ſive contactu, ſive ſuffitu communicatum fuerit, ſcire parùm intereſt, & determinatu difficillimum, tale tamen fuit, quòd ſpirituum animalium ſenſûs & motûs authorum irradiationem ex cerebro & cerebello per nervos & ſpinalem medullam prohibuit, & præſertim etiam ſic motum cordis animalem ſufflaminavit, quo factum eſt, ut neceſſariò ſanguis per arterias ad cerebrum affluere, circulatione ejus ſic impedita, non potuerit, ſed invitabiliter circa partes vitales ſtagnarit, hinc tantus & in pulmonibus & cordis ventriculis ſanguinis infarctus conſpiciebatur, & ob hunc ipſum motum ſanguinis impeditum unicè videmus, hoc venenum meritò glaciale dici, adeoque verificari effatum *Tritbemii*, hoc ſpectri genus frigidos producere affectus, & nocturnis

gras-

graſſari ac infeſtare horis, hinc & *Cardanus* de varietate rerum lib. 16. c. 93. lib. 2. c. 3. ſpectra frigida, eò quòd plerumque corpora mortuorum reprobo-borum aſſumant, eſſe ſtatuit, hinc Succuba quondam mulier contra incubum ſuum amaſium dæmonem de nimio frigore conqueſta eſt: Dari autem tale venenum ſubitò interimens, multæ teſtantur hiſtoriæ, ſic narrat *Paræus* Chirurgus Regius ac Vir ſua ſcientia illuſtris *Clementem* ſeptimum Pontificem Maximum præeuntis venenatæ facis toxico per fumum in corpus admiſſum obiiſſe; ſic *Rhaſis* memorat quosdam fungos olfactu præſentaneam afferre mortem; ſic *Matthiolus* in commentario ad præfationem lib. 6. *Dioſcoridis* meminit, florem caryophylli veneno delibutum, odorantes confeſtim occidiſſe; ſic fertur ex *Nicolao Florentino* ſerm. 4. tract. 3. ſumã 2. c. 9. & tract. 4. c. 6. *Franciſcum Ordelaphum* Capitaneum Forolivii, genus veneni habuiſſe, quod injectum ſupra carbones illicò circumſtantes omnes mactavit, ſic & *Diodorus Siculus* lib. 2 narrat, reperiri quoddam genus herbæ in *Arabia felici*, ſupra quam dormientes ſuaviſſimo corripiantur ſopore & ita breviſſimè interirent; ſic juxta *Cardanum* memoratum lib. 5. c. 5. de venenis dicuntur Turcæ veneficia adeò præſentanea habere, ut eodem die ſolo attactu vel potiùs ſolo ſuffitu homines occidere poſſint; Hæc ut melius innoteſcant, meditemini obſecro, quot jam ob abuſum opii narcotici ſenſu & motu deſtituti debitum naturæ perſolverint; conſiderate, quæſo, quot jam fulmine eminus etiam emiſſo ob Sulphur narcoticum effuſum derepentè apoplectici corruerint, animasque exhalarint; perpendite denique precòr, quot

hucus-

hucusque ſolo ignitorum carbonum narcoticum & ſtupefactivum gas eructantium fumo in conclavibus ex improviſo & omni ſenſatione & motione deſtituti ad Charontis cymbam tranſierint; & quid ultra? teſtis hujus rei eſt vel ſolus autumnus, in quo eructans in ditioribus cellis vinariis è muſto fermenteſcente vapor ſulphureus inebrians & ſpiritus noſtros animales ſuffocans eos, qui hisce locis nimis audacter ſe concredunt, jugulat; hujusce naturæ profecto etiam fuiſſe hoc toxicum à ſpectro immiſſum lugubris ſatis & adeò repentinus caſus comprobavit, nec ſimile fabricare aut ex naturæ promocondo deſumere ipſi dæmoni utpote milleartifici difficile cadit, utpote qui perbellè activa paſſivis applicare, ac ſic etiam mille technas ſtruere noſcit Concludo itaque miſerculos hos quatuor infallibiter à ſpectro huc à ſupra memorato conchato nebulone, vel alio malefico in has anguſtias conjurato per venenum narcoticum (quod Spiritus ſuffocavit, hinc motum ſanguinis præpedivit, huncq; tam in partibus vitalibus quam cerebro ſtagnare fecit, atque ſic vitam ademit) ſive ſuffitu, ſive contactu, vel odoratu trucidatos eſſe, quodnam autem, ut ſupra diximus, in ſpecie venenum fuerit, licet neſciatur, non intereſt, fuiſſe autem venenum tale ex dictis manifeſtiſſimum eſt, imò etſi ſciretur, prodere non conveniret. Poſſe aut malignorum Spirituum conjurationem à nequiſſimis cum Dæmone Pactiſtis in quendam locum accidere, nemo, ut arbitror, in dubium trahet, cum id tot teſtentur exempla, nam non ſolùm in herbis & lapidibus ſed etiam verbis magna ineſt virtus; Vixit antehac

Waldis-

Waldishuti Chirurgus quidam nomine Giller artis hujus, ut fortè credebat, liberalis, valdopere gnarus, hic librum quendam domi habuit, quem in abſentiâ ejus & proprii filii & alii ejusdem cum ipſis ætatis ac conditionis pueri Scholares (inter quos fuit unus qui etiamnum modò vivit, mihique non una duntaxat vice narravit) ſimul in ſuperiori hypocauſtulo congregati inceperunt legere, & ecce, vix ordiebantur lectionem, advolant numeroſi corvi utique infernales, circumvolitantque domum ac ſingulariter illud conclave, nec ceſſarunt, donec apertis feneſtris ipſum hypocauſtum intrare datum ſit, re ad Chirurgum delatâ, terretur ille, ac volante pede domum fertur, pueros quosdam per ſcalas dejicit, librum arripit, retroque rurſus textum legit, quo factum, ut tandem cedere coacti fuerint corvi, domusq; liberaretur: nota eſt mihi ſimilis ferè hiſtoria, ſed nomini parco, narrabo tamen rem; Fuit nonnemo mihi adhuc in cineribus colendus, hic in quopiam *Trithemii* (viri ſanctitatis etiam nomine apud multos inſignis) libro noctu legit, & ecce homunculi plures per ſuperius conclavis pavimentum quaſi apertum deſcendunt, in ſublimi per tempus circumvagantur, donec (etſi ille lectum etiam ad humum ſterni curaſſet) ſucceſſivè omninò deſcendiſſent, atque etiam circa menſam vagarentur, imò & conſiderent, Hic egregius Vir inſcius qua ex ratione hæccine evenirent, anxius hærebat, donec fortè cauſam in hunc librum rejeciſſet, illumque per feneſtras ad plateas projeciſſet, quo facto, denuò homunculi illi ſucceſſivè priſtinam viam repetierunt, ſicque evanuerunt: Is ipſe hic liber à quopiam poſtmodum

verſus eſt explicatus, qui oſtendit, verba illa duntaxat occultas Epiſtolas deſignaſſe. Si igitur in hoc caſu ipſa ſpectra ſe ſiſtunt, ubi nulla vocandi illa mens eſt, quidni ſe ſiſterent in noſtro caſu, uti & præcedens hiſtoria docet, quare etiam nullus dubito, quin in maleficis pactum cum præſtigiatore & humani generis inſidiatore Dæmone tale intercedere poſſit, quô ille in perniciem noſtram lubens annuat, prompteque obediat, frequentesque ſtrages edat.

(*Conſtantiâ Auguſtam Vind. d. 18. Auguſti A. 1697. miſſa.*)

OBSERVATIO CII.

DN. D. JOHANNIS WERNERI ZOLLERI.

De evulſo è manu cum digito nervo.

ANno 1696. Chirurgus quidam, Vir juvenis ex Algoia cum jumento empto, domum petens, illud ex funiculo tenui, circa carpum vel metacarpum, & digitum indicem dextræ manus probè alligatum ducebat. Præteriens villam quandam acclamabat illum Ruſticus, ex quô jumentum in fugam actum, Chirurgum præcipitavit in terram. Hic omni modo manum de funiculo extricare ſtudens, hanc quidem quoad carpum liberavit, aſt digitum tam ocyſſime à ligatura evolvere non potuit, inde factum eſt, ut rabido jumenti conamine, digitus circa medium articulum è manu fuerit evulſus, & quod plane ſtupendum, ac omnem quaſi fidem ſuperat,

perat, truncus major nervi cubitalis, majorem chordam æquans, ultrà dimidiæ Ulnæ magnitudinem digito adhærens, ſimul extractus. Hinc avulſam ſibi totam eſſe manum, vel cubitum præ terrore clamitavit. Ad ſe rediens vero, non minore percellebatur mœrere, quando appenſum nervum digito, funiculo adhuc alligatum invenit, indeque functionibus chirurgicis inhabilem ſe factum veritus eſt. Sed ecce! dum tentaret manus & digitorum paululum explorare reſiduum robur, deprehendit, ab omni ſtupore aut paralyſi manum eſſe immunem, motum verò & ſenſum plane expeditos & integros. Domum redux noſtri Chirurgi aulici implorat opem, qui & ipſe ſtupendum miratus caſum, & conſpicatus truncum, me vocat, ego verò altius indagans in appendiculæ hujus naturam & eſſentiam, nil niſi veriſſimum eſſe nervum deprehendere potui. Refragarunt quidem Thomiſticâ fide, aliqui magni nominis Medici, etiamſi viderent, non poſſe credere; ſed quàm primùm appenſam digito chordam viderunt & perluſtrarunt, crediderunt, remque ſtupendam judicarunt.

(*Mariſpurgi d. 12. Auguſti A. 1697.*)

OBSERVATIO CIII.

DN. D. DANIELIS NEBELII.

De Vermibus vivis cum urina excretis.

CUm nuper Miſcellaneorum noſtrorum Dec. III. anni I. Obſ. LXXXII. perlegerem, incidit mihi in mentem, quod ſimile qui præterita æſtate hic obſer-

vaverim in puero decenni, cui ante annum & quod excurrit, brachia & crura ſubitò inflexa & ita contracta fuerunt, ut deinceps artubus innixus humi tantùm prorepere, nec erectus ſtare potuerit. Varia quidem pater adhibuit remedia paſſim à Medicaſtris petita, ſed fruſtaneo cum ſucceſſu omnia, usque dum puer, ſubortis in pube doloribus cum mingendi conatu & ardore, multos vivos cum urina excreverit vermes erucis ſimiles exiguos, albicantes & in poſterioribus nigra macula notatos, quales pater ſtatim ad me detulit & in hujus mali cauſam anxius inquiſivit. Reſpondi haud adeò inſolens hoc eſſe in pueris cibos volatilium inſectorum ovis conſpurcatos frequenter ingerentibus, & mixturam ex oleo amygd. dulc. cum ſyrupo de alth. Fern. cochleatim aſſumendam præſcripſi, unde adhuc plures mortui prodierunt vermes, quibus excretis puer ſenſim priſtinam artuum mobilitatem recuperavit ac tandem ſanus evaſit.

OBSERVATIO CIV.
DN. D. DANIELIS NEBELII.
De Nervorum ac Tendinum fibris cincinnatis.

QUod in præcedente Ephemeridum anno obſerv. CLXIII. de nervorum intercoſtalium ſtructura in taxo commemoravi, idem nunc tantum non de omnibus tam corporis humani, quam aliorum animalium, v. gr. cuniculi, leporis, felis, canis, vituli &c. nervis ac tendinibus aſſerere poſſum, illos ſc. ex fibris

bris componi cincinnatis & ſerpentino ductu ita intortis, ut omnes illarum gyri, utut ſubtiliſſimi, per tenuia ac membranacea nervorum tendinumque involucra transpareant & attentis oculis facilè diſcerni poſſint. Videri talis nervorum ſtructura facilè poteſt in Cuniculorum teneriore carne circa lumbos, ubi remotis abdominis viſceribus, nervi per rariorem muſculorum compagem transparent, ut & in lingua vitulina, muſculis cultro nonnihil ſeparatis, ut ut nervi guſtatorii magis pateant. Præterito anno in ſuffocato infanticidæ fœtu, & hoc ipſo anno in duobus aliis, ipſaque illorum matre cultro anatomico ſubjecta non ſolùm nervos, ſed etiam tendines tantùm non omnes, præcipue diaphragmatis, ubi in hujus muſculi medio concurrunt, ita cincinnatos & elegantiſſimè intortos plures mecum viderunt Philiatri, qui ſubtiliſſimam hanc nervorum tendinumque ſtructuram admirati ſunt. Toties autem iſti nervi ac tendines complanatis flexibus explicabantur, quoties digitis prehenſi paululum diducebantur indicio, illorum fibras in iſtos cincinnos propterea contrahi, ut citra dolorificam extenſionem aut rupturæ periculum in muſculorũ membrorumq; motu obſequi & prolongari ſufficienter poſſint. Comprobat quoque hæc fibrarum nervearum tortuoſa circumflexio aëream ſpirituum materiam, quæ ſubtilis inſtar auræ facilius & citius per hos nervorum gyros influere ac ſenſum motumque in partibus præſtare valet, quam ſi ſucco nerveo permixta eſſet.

OBSERVATIO CV.
Dn. D. MICHAELIS NEBELII.
De Vermiculis plumbum depaſcentibus.

ACcidit hac æſtate, ut in vino Xerano, quod vernacula Sereiſcher Seck audit, aliquoties natantes invenerim exiguos vermiculos vivos, pedunculorum motitationibus ſemet prodentes, quos per microſcopium Muſchenbrœkianum vidi eſſe ovales, albos, & inſtar acarorum caſei transparentes, acuto capite ac glabro dorſo præditos, *Bonomique* Teredinibus in Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. II. Ann. X. appendice ſub fig. 1. depictis ſimillimos, niſi quod quatuor utrinque pedunculos haberent hiſpidos & pro cauda totidem pilos albicantes ac oblongos, è poſterioribus magis prominentes. Transparebant in poſteriore corpore binæ maculæ ſubfuſcæ, quæ ſine dubio viſcera repræſentant, & dum prorepebant animalcula, minimam nonnulla guttulam, limpidi inſtar liquoris, è poſterioribus emittebant, quàm poſtea ovulum eſſe cognovi oblongiuſculum, ſplendens & undique transparens. Quæſiveram ab initio horum vermium natales in ipſo vino, ſed paulò poſt innumeros in lagenarum vitrearum, in quibus iſtud Vinum aſſervabatur, operculis plumbeis, & quidem cochleatis illorum commiſſuris inveni, ubi conglomerati cohæſerant flaveſcenti pulveri, qui forſi an illorum excrementa refert, immerſi: deprehendi poſtea hos vermiculos in omnium, quas habebam, lagenarum operculis in quibus hic illic foveas a qui nidos ſuos ſine dubio roſtellis ſibi fecerant, in ipſo autem vino nullos detegere potui, unde perſuaſus fui,

fui, ex operculis in vinum decidiſſe, quos primum in illo videram. Quo verò ſcirem, an ex plumbo, an ex vino ſuam habeant alimoniam, lagenarum opercula, effuſo vino, ſicciſſima poſt aliquot ſeptimanas diligentius perluſtravi, & vermiculos plures flaveſcenti ſuo pulveri immerſos reperi, ſed languidos omnes, è dorſo rugis inæquali, ſubfuſcos, cum cæteri in operculis vino madidis corpulentiores, albicantes & vividiores curſuque velociores eſſent. Vitro incluſi moriebantur omnes: at vino madidis lagenarum operculis admoti, priſtinum vigorem brevi recuperabant, manifeſto indicio, hæc animalcula dulci vino nutriri & hoc deficiente contabeſcere. Confirmatus fui in hac opinione, cum *Bonomi* ductu in uvis paſſis conſimiles obſervaſſem vermiculos, prioribus per omnia ſimillimos, non autem, ut prædictus Auctor illos l. c. ſub fig. XIII. & IV. depingi curavit, hiſtricis inſtar hiſpidos, ſed glabro dorſo ac pedibus aliquot ſaltem pilis armatis præditos. Quod autem iſti vermiculi plumbum corrodant & abſumant, manifeſte hactenus vidi in prædictarum lagenarum operculis eo in loco, ubi hæſerant conglomerati, ſenſim corroſis, ut profundæ in illis foveæ relictæ fuerint.

Fig. XLVI.

(*Marburgo Cattorum Auguſtam Vind. d. 12. Sept. Anno 1697. miſſæ.*)

OBSER-

OBSERVATIO CVI.

Dn. D. JOHANNIS MENRADI VORWALTNERI.

De Fœtu fruſtulatim per umbilicum exempto, ruptis inteſtinis, & eorum motu periſtaltico extra abdomen conſpicuo.

MArgareta Niſslin uxor lanionis in Sigenburg 4. filiorum mater, circa nonum geſtationis menſem dolores partum præcedere ſolitos, animadvertens, dubia de legitimo pariendi tempore præter obſtetricem alias fæminas ſibi familiares in conſilium vocavit, quæ more ſolito minus de fœtu ad exitum ritè diſpoſito, quàm celeri partu ſolicitæ, mulierem iſtam mox ad labores ſtrenuè & eò usque urſêre, donec omni conatu jugiter, ſed in caſſum tentato ruptis membranis fœtum involventibus & aquâ contentâ effuſâ, viribus jam jam deficientibus dolores omninò intermiſerint. Quo facto quædam in hac arte peritior ſibi viſa cataplasma ex placenta ſeminis lini expreſſi, foliis malvæ & lacte paratum probè ſemper calefactum toti abdomini ſuperinpoſuit, quo ad tertiam diem continuato ſæpiusve renovato, afflicta mater interea fœtum præter morem vehementer moveri ſenſit, ita ut eundem ad jugulum usque aſcendere, & accedentibus crebris ſingultibus non rarò ſe ſuffocandam crederet. Abdomine proinde velut in aſcite in immenſum creſcente, parvisq; copioſis tuberculis hinc inde erumpentibus cataplasma remotum, & à prædicta fœmina Emplaſtrum neſcio quale

quale ſubſtitutum ad 19. ferè ſeptimanas uſurpatum eſt, donec liveſcente circumcirca cute prope umbilicum ingens abſceſſus apparuit, paulò poſt ſuâ ſponte ruptus. Purgato nonnihil ulcere & amplum hiante ſe in conſpectum dedit fœtus cum ſuis involucris & ſecundinis putridus, fœtidus, transverſim ſitus, ægra mediis deſtituta, Chirurgum abhorruit, cæterisque fœminis audacior ipſa prima manum admovit, atque diſruptis membranis fœtum per abſceſſum fruſtulatim eximere cœpit, cùm verò caput ob renitentiam quandam & virium imbecillitatem tollere non valeret, alia fœmina incautâ manu tam validè id extraxit, ut ægra ab oſſibus Cranii inteſtina præciſa ſtatim lamentaretur. Verùm miſera fidem non habuit, niſi poſtquam fœtu & ſecundinis penitus excerptis inteſtina rupta per abſceſſum foris pendula coram viderent omnes præſentes, unde deſolata & à fœminis hucusq; aſſiſtentibus derelicta opus naturæ commiſit, à qua ceu communi medicatrice, Deo dante, ulcus intra paucas ſeptimanas ſanatum & cum inteſtinis propendentibus conſolidatum eſt. Reſtituta in tantum me in Monaſterio vicino occupatum acceſſit, totamque rei ſeriem fusè enarravit. At ego ipſe hujus caſus experientiam facturus modernam inteſtinorum conſtitutionum inſpiciendi ab ea facultatem petii, quam facilè obtinui, cùm à me auxilium vel ſaltem ſtipem aut atteſtationẽ expectaret. Obſervavi autem magnam Ilei portionem ac quaſi truncum per umbilicũ prodeuntem in duos ramos diviſum, quorum un⁹ ad partem dextram reclinans, farciminis inſtar infarctus longitudine 10. craſſitie. 4. digitos transverſos facilè ſuperabat,

nulla tamen excrementa, emittens, alter tenuior quidem, ſed inæqualis magnitudinis vermis inſtar modò contractus, modò ad quartam partem ulnæ Bavaricæ exporrectus, continuò liquida & flava alvi fœdi exſpuebat, ita ut curioſum valde eſſet intueri motum inteſtinorum periſtalticum tam conſpicuum & manifeſtum. Obſervavi præterea bipartitum hoc inteſtinum inverſum, ita ut tunica aliàs interna jam exiſtat externa, rubicundiſſima quaſi inflammata, præſertim ſi diutius aëri ambienti expoſita, e diverſis locis ac poris ſanguinem plorans. Deprehendi tandem majorem ramum ex latere dextro non excrementis ſed inteſtino illapſo repletum.

Cæterum fœmina iſta, quam paucis abhinc ſeptimanis denuo obviam habui, quamvis ab eo tempore, quo inteſtina rupta ſunt, nulla excrementa per alvum ſecedant, bene valet, habituque corporis non mediocri fruitur, nihil magis, quàm ob exquiſitiſſimum ſenſum immanes dolores ad tactum & moleſtiam in purgandis fæcibus, omnium verò maxime ob maritum defunctum, inopiam patiens.

Similem ex parte caſum haud ita pridem prope Beilngries in pago N. contigiſſe memini, ubi fœmina 8. menſe utero gerens, inſignem tumorem in Regione umbilici aquiſivit, quem Chirurgus ad ſuppurationem ductum aperuit & fœtum putridum fruſtulatim extraxit, ulcere poſt feliciter curato. Hanc fœminam poſthac tres partus vivos ſucceſſivè peperiſſe nuper viro fide digno audivi.

Confer. Dec. III. Ephemeridum noſtr. Ann. IV. Obſerv. CXXXI. à Dn. Directore Ephem. communicatam.

OBSER-

OBSERVATIO CVII.

DN. D. JOHANNIS MENRADI VORWALTNERI.

De viſu Laterali amiſſo.

Religioſus & virtutibus inſignis Vir P. N. pro more & inſtituto ſacri ejusdem ordinis ad Eremum conceſſit, ibique jejunio aliisve piis exercitiis vitam duxit ſatis auſteram; aliquando cùm tenuiſſimo victu tempus quadrageſimale celebraret, cœnamque modicâ patellâ abſolveret ſolo pane contentus, ſubitò vehementer capitis dolore obrutus, brevi poſt oculorum acie hebetatâ, tandem viſu à latere ita amiſſo, ut nomen ex pluribus Syllabis combinatum nonniſi capite & oculis quamlibet ſyllabam ſeorſim ſequentibus legere potuerit; atque (ut exemplo mihi transſcripto utar) nomine e. g. Joannes ſcripto, primam tantum ſyllabam Jo diſcernere licuerit cæteris prorſus exulantibus. Pariter inter duos vel plures ambulantes junctim ſociatos, unum ſolum è directo ſibi obviam vidit, quin ſpeculum inſpiciens dimidium ſaltem oculi atque pupillæ repræſentari ſemper obſervavit. Laborat etiamnum præclarus iſte vir hoc malo, & licet variis remediis magnorumque Virorum conſiliis uſus, priſtinam videndi facultatem recuperare non potuit.

OBSERVATIO CVIII.
DN. D. JOHANNIS MENRADI VOR-WALTNERI.
De Pupilla è ſitu naturali dimota ſalvo viſu.

JUvenis ſtudioſus à commilitione incautius gladium tractante caſu in oculo dextro intra pupillam & angulum exteriorem vulneratus eſt, vulnere tamen vix corneam penetrante, parvulis inde ſtillantibus guttulis ſanguinis, ſed dolore acutiſſimo ſuperveniente.

Accerſitus illicò Chirurgus inter alia topica pulverem acriorem adhibuit, unde dolor eâdem nocte vehementer exaſperatus, & manè pupilla è ſuo ſitu centrali vix non in album oculi translata eſt, nullâ ampliùs arte reſtituenda, ſalvo interim & etiamnum viſu tam quoad aciem, quam modum videndi naturalem.

OBSERVATIO CIX.
DN. D. JOHANNIS MENRADI VOR-WALTNERI.
De Quartana triennali poſt excretos plurimos calculos ſublata.

VEnator N.N. triennali quartana laborans ac graviſſimis ſubinde ſymptomatibus conflictatus, ad initium veris violento vomitu integra die ac nocte continunate, ejectâ copioſâ bile prorraceâ & æruginoſâ, afficiebatur.

Voca-

Vocatus tandem, inveni ægrum viribus deſtitutum quaſi exanimum, cumque vomitum hunc ſymptomaticum judicarem ad præcavendum majus malum, opiatum præſcripſi, quo ſumpto brevi vomitus ceſſavit. Sed quieſcente ventriculo, acutiſſimi dolores in regione lumborum ac circa umbilicum atque etiam in pedibus ſubſecuti ſunt, qui ſtatim mihi nephritici videbantur, unde medicamenta appropriata propinavi: quibus hauſtis patiens ſpacio 5. dierum 120. majores & minores calculos excrevit, febre proinde quartanâ ex integro liberatus.

OBSERVATIO CX.
DN. D. JOHANNIS MENRADI VORWALTNERI.
De Variis accidentibus ex eſu Salmonis muria conditi.

PUer 10. annorum natione Gallus, excitatiſſimi ingenii, poſtquam cum parentibus & fratribus ſuis de ſalmone muria condito comedit, elapſis vix tribus horis, gravem dolorem capitis præter anxietates & ſummam corporis inquietudinem patitur, mox aphonia deinde convulſionibus corripitur his remittentibus in fortiſſimum riſum incidit, & tunc mille nugas admiranda garrulitate fabulatur nullo modo ad quietem & ſilentium diſponendus, ad interrogata verò appoſitiſſime reſpondens. Stupendas præterea & vix à geſticulatore videndas actiones & ſaltus mirifica volubilitate & corporis agilitate, quaſi à tarantula morſ9 in lecto exercet. hancq; comœdiam, cùm nihil de medicamentis admitteret, ad 7 diē continuavit:

donec ob vigilias pertinaciſſimas, & jugem corporis agitationem viribus proſtratis quieſcere coactus fuerit; neque verò malum tunc omninò ceſſavit, ſed aliquoties quamvis remiſſiores hujusmodi paroxyſmos adhuc ſuſtinuit.

OBSERVATIO CXI.

DN. D. JOHANNIS MENRADI VORWALTNERI.

De Globo plumbeo in corde, & magno ligni fruſto in pulmone cervi repertis.

EXcellentiſſimi Comitis de Tilli Venator in Braitenbrunn, cùm nuper cervum, quem pridie interemit, exenteraret, in medio cordis illius globum plumbeum, quo olim trajectus fuit, invenit, cicatrice in corde & partibus, quas penetravit firmâ ac denſâ obductâ.

Filius ejusdem Venatoris in Hochenfels in pulmone cervæ fruſtum ligni ex ramo arboris cujusdam longitudine 8. craſſitie 5. ad minimum digitorum transverſorum aliquando fortè fugienti intruſum, firmiſſimè infixum, ac ferè cum pulmonibus coalitum deprehendit, non recens, ſed inveteratum, quod partim ex colore & lævitate, partim ex cicatrice in cute vix amplius notabili colligendum erat. Habet Excell. D. Comes hoc lignum inter rariora alia reconditum.

(*Ingolſtadio Auguſtam Vind. d. 23. Octobr. A. 1697. miſſæ.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXII.
Dn. D. SAMUELIS LEDELII.
De Rubore ſingulari fermenti ſtomachici.

QUam varium hoc ſit, inter tot myriades hominum, erit notiſſimum Practicis. Nobiliſſima ab U. in puerperio, faſtidio excipiebat omnes cibos, hocce rerum ſtatu à Medicis ordinatos; vice verò verſa difficillimæ concoctionis, & vix ruſticis accommodatos, anxiè appetebat, imò ulla absque noxa, & ſingulari cum naturæ blandimento aſſumebat, benè concoquebat, pinguior inde reddita. Quis non videt hic ſingularem ſtomachi acorem, aut ſi mavis, acredinem? Curæ meæ hoc Anno ſuberat mercatoris uxor tenera, quæ ab olfactu carnis vitulinæ quovis modo apparatæ, nauſeabat cum inſigni ſuffocatione uteri. Eſt egregium in diæta monitum, ut Syracidi attendas ſcribenti cap. 38. prüfe was deinem Leib geſund iſt. Non ſemper ægrotis placet rigida Medicorum diæta, nec etiam ſuadenda. Nam quicquid ventriculo obtruditur, ut cum nauſea aſſumentis fiat, illud nunquam probum ſuppeditabit Chylum. Dandum aliquid appetitui & conſuetudini, ſed cum ratione & judicio. Offendimus ſæpiſſimè mali moris ægrotos, qui parum obſervant diætam à Doctoribus præſcriptam, & dein culpam lentæ reſtitutionis medico imponunt, aut ab aliis ſiniſterior morbi exitus curanti imputatur innocenti. Imò quod dolendum, Medici ipſi hac noſtra tempeſtate tali habitu incedunt, ſua extollunt, aliena damnant, & ſoli ſapere ſatagunt, aliis multis paraſangis ut putant,

poſt tergum relictis. At heus tu! Deus vindicem habet oculum, ſcrutaturque corda & renes, ac unicuique tribuit, juſta, juſtè. Quotidie occurrunt tertianarii, qui objiciuut ſe nullo medicamento, ſed uſu halecis, caſei, farciminis, lactis, aquæ fontanæ, vini aduſti, aut alius, mali nominis cibi & potus aſſumptione, priſtinas recollegiſſe vires. Magnatum lateri aſſociatus, quærentibus num hic vel ille cibus ſanitati conducat, reſpondi ſecundum Medicorum placita atque ſtatuta, & loco epiphonematis addidi: unumquemque ſibimet ipſi eſſe optimum Medicum, ſi nempe, ex monito Syracidis, quæ naturæ grata aut ingrata, nociva aut innoxia ſint, accuratè obſervet & expendat, pro cynoſura diætæ habeat.

OBSERVATIO CXIIII.
Dn. D. SAMUELIS LEDELII.
De Miſerabili prægnantis fato.

Tertia vice prægnans, Cerdonis uxor, longioris ſtaturæ, ſummè ſcorbutica, ſub noni menſis initium, corripitur hæmorrhagia vaſorum vaginæ uteri copioſa. Quærit conſilium, medicamenta autem dictata reſpuit, fluxum hunc cum aliquali dejectione virium tolerans. Ultima ante partum ſeptimana, tanto cum impetu circa noctis meridiem, proruit ſanguis, intercurrentibus animi deliquiis, ita ut convocatæ fœminæ de vita deſperarent. Accurrunt ideò ocyſſime, meum expetentes auxilium; præſcribo quæ proficua judicabam, cum remiſſione mali. Tribus horis vix completis, majore proruebat æſtu ſanguis & ordi-

ordinabam aliud medicamentuum cardiacum, adſtringentibus turgidum, quod iterum fluxum aliquot horas inhibebat. Aſt fluidus ſanguis de novo aderat, comitatus lipothymia, æſtu circa præcordia & cardiogmo. Ad tantas anguſtias redacti, ſectionem Medianæ inſtituebamus, cum intermiſſione omnium ſymptomatum, & ſpe reſtitutionis per biduum malo ſic ſopito, de fœtu eramus ſolliciti, & partu: motus fœtus erat debilis, & vix ſenſibilis, orificium uteri clauſum, teſte obſtetrice, & ad pariendum nulla diſpoſitio. Interim ſtillicidium ſanguinis de novo emergebat, quod optimè compeſcebam ſpongia aceto calido imbuta, & pudendis admota, data item tinctura catechu. Hac ſumpta, ſemper ſanguis ad aliquot horarum interſtitium ſubſiſtebat. Inter ſacrum & ſaxum ſtantes, timidi eramus ob malum morbi exitum, conſpirantibus ad interitum lipopſychia, virium defectu, æſtu præcordiorum ſiti clamoſa & inappetentia. Hæc dum ruminamus, & qua ratione ægrotæ porrò ſubveniendum, attentius expendimus, en partus legitimum tempus accurrit, ſanguine cum ichore & humiditate conſueta copioſius alluente, uteri orificio, ex relatione obſtricis aperto Confortamus ſummè debilem, at quibus remediis? nulli enim niſus aderant, & tamen in tanto ſanguinis rivo excitandi. Hic Rhodus, hic ſalta! Bezoardica cum aliis cordialibus omnem abſolvebant paginam, infelices tamen eramus in hoc, quod obſtetrix nullum adeſſe veſtigium fœtus proclamabat & aſſeverabat. Omnibus remediis requiſitis, tandem in viribus exhauſta parturiente digitis fœtum attingit, at malè locatum, po-

dex enim aderat. Sic proſcripta omni ſpe vivendi, inter animi deliquia, anima avolabat, fœtu non excluſo. Secundo à morte die fœtus in pudendis animadvertitur, quem obſtetrix extrahit ſemiputridum, cum maximo fœtore. Reſtabat adhuc alius, quia autem fœtor intolerabilis adſtantes in fugam conjecerat, non attingebatur. Sectionem petebam, at ſurdo in noſtro hoc loco fabulam. Annecto hoc, quod Annus hicce 1697. in noſtris oris, gravidis & parturientibus admodum exitioſus exſtiterit, plures enim obiêre ob partus difficultatem, plures abortum fuere paſſæ, Nobiles & Ignobiles.

OBSERVATIO CXIV.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Febre ardente ab eſu malorum Armeniacorum.

FRuctus horæos multis extitiſſe lethiferos, quotidiana probat experientia. Bella puella ſexennis, hoc anno 1697. menſe Auguſto, aliquot deglutit mala Armeniaca (Morellen) cum ſuo malo. Circa veſperam enim ardente corripitur calore, cum omnium ſenſuum abolitione, ad aliquot horas protracta. Sibi reddita enormes ſentit vomitus, omnia propinata everrentes, calore valdopere urente, cephalalgia inſigni concurrente, cum dolore ventris acuto. Tribus ſic præterlapſis diebus, quarto vocor, quia maculæ ſubtiles rubræ hinc inde eruperant cum nominatis ſymptomatibus & cardialgia ſtipatæ: apparebant modo hæ maculæ, modo diſparebant, pro admiſſione aëris frigidioris, ſtatim ad reſerandam alvum

vum enema ordinabam, & poſt hujus operationem, theriacam cœleſtem exhibebam. Poſt horæ quadrantem placatior noſtra erat ægrota, vomitu, cephalalgia & ventris dolore remittente, cum aliquali quiete & repullulatione macularum, ſudore tamen, quem intendebamus, non ſubſequente. Nihil capiebat cibi aut potus, niſi coacta fermè, aliquid de mixtura bezoardica, rarò tamen. Septimo die omnia videbantur deſperata & turba adſtantium mortem adeſſe prænunciarat. Iterum advocatus, advolo & generoſa medicamenta propino, cum graviorum ſymptomatum notabili remiſſione, & eruptione macularum uberrima. Cereviſiam jam appetebat, quod usque huc non fecerat, ideò concedebam nodulo maritatam, calor cum delirio interpolato & inquieta nocte continuabat. Nono die de novo omnia apparebant inverſa, ob ſummam debilitatem, & mors, adſtantium judicio, ante fores. Refocillata ſibi reddebatur, meliusque ſpirare incipiabat; ideò præter alia, tertia vice vocatus, iterum theriacam cœleſtem bezoardicis mixtam porrigebam, non ſine ſingulari effectu. Sudor namque blandus erumpebat, nec calor tam atrox obſervabatur, maculis jam penitus diſſipatis. Novus tamen ſurgebat apparatus morbificus, nam glandulæ colli intumeſcebant, tuſſis ſicca moleſtisſima ſomnum turbabat, oculi lachrymas dabant, ſerum per nares ſtillabat, noctes inquietæ leni delirio comitatæ intercurrebant, pus per aurem utramque effluebat, cum difficultate auditus, eapropter die 12. tria applicabam veſicatoria, brachiis & nuchæ, cum ſomno quietiore, remiſſione delirii & aliquali ſurgente appetitu. Alvus clyſtere ſollicitabatur cum calo-

ris enervatione, tuſſim profligabat pulvis anonymus recenter diſpenſatus, reliqua tacitè remittebant ſymptomata, datis in rem idoneis medicamentis. Morbi 18. die facies cum ventre & pedibus intumeſcere incipiebat, ideo 23. die leniter evacuabam, cum euphoria & trium lumbricorum excluſione. Quod reliquum erat exturbabam tinctura diuretica, & ſic tandem per immenſam Dei gratiam has necis ſyrtes transfretabamus, cum totius honoratiſſimæ familiæ ſummo gaudio. An rubigo hæc mala exuſſerit, aut animal veneno inquinarit, ignotum; effectus tamen de cauſa teſtatur. Sic memini D. Fritſchii hujus loci filium, mortiferam comediſſe dyſenteriam cum hiſce malis.

Signa mortem redolentia hæcce videbantur.

1. Semiclauſis dormiebat oculis, quod malum eſt ſignum & lethale valdè, juxta Hippocratis Aphor. 52. l. 6.
2. Pavores in ſomno Aphor. 67. l. 4. Quadam nocte per plures horas ingeminarat, mortem adeſſe, deberet ipſam confodere, ſe eſſe paratam, accederet modo.
3. Calor & rigor alternans, lecto tecta de ſummo dicebat calore, lecto detracto ſtatim de rigore conquerebatur, iterum tegenda. Aphor. 46. l. 4.
4. Singultus aliquoties moleſtans.
5. Jectigationes crebriores, cum ſumma inquietudine, è lecto in lectum.
6. Continuæ ejulationes & ſuſpiria Aphor. 54. l. 6.
7. Omnia quæ grata antea fuerant, nunc exoſa.

8. Dum

8. Dum bibebat, fiel es wie in einen holen Topf.
9. Urina erat rubra, pellucida, poſtq; plures horas craſſa & fœtidiſſima.

(*Miſſæ Norimbergam Grüneberga Sileſiorum d. 25. Octobr. Anno 1697.*)

OBSERVATIO CXV.
Dn. D. JOH. LUDOVICI APINI.
De manante ad tibiam ulcere, atque ad id reperto Euporiſto.

QUantum difficultatis in curando offerant tibiæ ulcera, notiſſimum eſt Chirurgis. Vocabar d. 21. Mart. A. 1698. ad ſutorem hujus loci, Joannes Seüz dictum, quadragenario majorem, cui jam ante ſemeſtre crus ſiniſtrum Eryſipelaceo tumore fuit comprehenſum, tanto ardore & inflammatione comite, ut ad internum tibiæ partem puſtula ſeu veſicula quædam albicans mox oboriretur, quam Chirurgi balneatoris commiſit manibus. Ille emplaſtra vel centies mutando nihil profecit, donec æger curæ tam tædioſæ impatiens, omnia Emplaſtra rejecit, remque omnem naturæ reliquit. Quod cum ita factum, cruſtâ nigricante ulcusculum obducitur. Ex ſubtus verò pungente dolore atrociora ſibi metuens ſutor, meo tandem utitur conſilio. Remota igitur, quã diximus, cruſtâ, detegebatur ulcuſculum admodum profundum, fabam minorem capiens, intus mucidâ quadam tunica, quæ eximi poterat, cinctum. Indubium mihi erat, ſanationis remoram eſſe ab infeſto acore fermentali, Balſamicam nutrimenti in-

dolem corrumpente, & ita conſolidationem prohibente, quare ſeqq. perſcripta

℞. Spir. Matrical. Erf. Balſ. Peruv. Myrrh. ā. ʒß. D.S. ausreinigender Balſam etliche Tropffen in das offene zu gieſſen.

℞. Empl. de ♄ no Mynſ. ℥ß. Malax. c. Ol. hyperic. inducat. linteamini D.S. verſüſſendes Pflaſter/ſo viel als nöthig überzulegen.

Dum hiſce utimur, lætiorem in fundo ulceris faciem conſpicere dabatur. Ex cute autem vicinâ, ulcus ambiente, cæteroquin ſanâ, per minutiſſima foraminula magna incipit fluere ſeri acris copia, ut coactus fuerim d. 28. Mart. ſeqq. inſpergere pulverem

℞. Sacch. ♄ n. Cinab. nativ. præparat. Cret. albiſſ. Ceruſs. Ven ā ʒß. f. pulv.

Quo tamen fluxus ille penitus reſiccari non potuit, foramen verò ulceroſum bono omine pus oſtendebat laudabile. Interim æger aliquot doſes Antimonii Martialis cachectici præbentur, largiter inde provocato ſudore, ſubinde etiam aliquot cochlearia ſucci naſturcii expreſſi ebibuntur & d. 1. April. quod nondum ſubſiſtat aquoſi laticis rivus ſequens pulvis foraminulentæ cuti adſpergitur

℞. Cinab. nativ. præparat. ʒß. Vitriol. dulc. ♁ ii diaphoret. Croc. ♂ is ā. ℈j. f. pulvis ſubtiliſſimus petiæ ex linteo raro includendus. D.S. Trucken Pulver den Schaden neben herum damit einzuſtüppen.

Ulceri ſupradictus liquor balſamicus cum filamentis imponitur, & laudatum ſuper inſternitur Emplaſtrum. Quid fit? Locus, quem pulvis inſperſus contigit, reſiccatur & ſaneſcit, alius quoque intra paucos

dies

dies firma occluditur carne, ſed quod maximè mirum, infra ulceroſæ modò cutis oram ibi multæ turgidiſſimæque veſicæ oriuntur, è quibus diſciſſis ichor acris & mordax extillabat. Inſpergo & hic laudatum pulverem hoc ſucceſſu, ut intra noctis unius ſpatium locus conſperſus, ſanaretur, & veſicæ ad pedem amplius deſcenderent, aliis poſt alias ordine renaſcentibus. Proſequor itaque & ego inſperſionem, & veſiculas per extremum urgeo pedem, ſicque curam feliciter abſolvo, ubi ſanè oportuit fermentum acre potiſſimum in poris cutaneis hæſiſſe, per quos etiam ſine dubio ad extimum usque pedem dimanavit. Biennio ab hac cura exacto ejusdem cruris Eryſipelacea inflammatione prævio rigore denuò corripitur, iterumque ob nimium ſanguinis fervorem & neglectam curam convenientem, puſtula ulceroſa loco tamen profundiore relinquitur. Vocatus, adhibeo eadem medicamenta, coaleſcente mox ulcere, ſed ſimul, ut ante biennium pluribus erumpentibus infra ſanatæ puſtulæ locum veſiculis. Inſpergitur laudatus pulvis reſiccatorius, non tamen æque felici ſucceſſu, nec interna negliguntur. Doloribus autem ſubinde atrociter ſævientibus, & ichore acri ſemper è veſiculis fluente & cutem dilaniante, tandem ex methodo Carrichteri, ſpecies Traumaticas ſpecifica, ut ille vult, virtute ad pedum affectus præditas ſuadere cœpi cum vino & aqua decoquendas, quale decoctum mane & veſperi hauriebat; ſpecies verò à decoctione reſiduas cataplaſmatis loco pedi ulceroſo applicabat, unde dolor illicò mitigabatur. Præſcriptæ autem ſpecies erant tales; ℞. Herb. Equiſeti, Mjß. Rad. Ariſtoloch. longæ, ℥j. Rad. ſcabioſæ ℥ß.

Con-

Conciſ. D. ad chart. Præterea juxta ejusdem Carrichteri ſententiam folia ſempervivi majoris ſiccata in pollinem redegi, quo veſiculis roſis & manantibus inſperſo, intra diei unius ſpatium ulcuſcula omnia ſunt reſiccata, quod ego mirari ſatis non potui à tam neglecto ſimplici tam ſubito coaluiſſe omnia. Cumque Anno ſequente 1697. hic ipſe ſutor pedem in itinere diſtorqueret, ac pro firmando articulo emplaſtrum corroborans à balneatore imponeretur, ſtatim obortæ ſunt veſiculæ admodum urentes & ichorem acrem ſponte ſuâ effundentes, ubi, quæcunque tentaret, fuere fruſtanea, donec meo conſilio inſperſus fuit pulvis ſempervivi majoris, qui brevi fluxum compeſcuit & ſanavit.

OBSERVATIO CXVI.
Dn. D. JOH. LUDOVICI APINI.
De Delirio Maniaco-Melancholico Helleborinis curato.

Quæ de ſenſibus tum externis tum internis etiam ab hujus Seculi acutiſſimis Philoſophis ediſſeruntur, tam manca ſunt & imperfecta, ut potiorem partem nos ignorare, & vix ultra allegoricas quasdam locutiones, curioſius examen haud ſuſtinentes, ſapere meritò ſit exiſtimandum. Utut enim organorum, quibus ſenſus perfici ſolent, fabricam habeamus velut in numerato, & fortaſſis etiam in ſpiritibus ac medullosâ cerebri ſubſtantiâ certas motuum determinationes variasque idearum expreſſiones concipere adhuc liceat, nihilo tamen clarius intelligimus,

quæ

quæ ſit facultas illa ſentiens, quomodo perceptio, quæ plus certè involvit quam meram paſſionem, in nobis contingere ſoleat, quidve ſit communis ille, ut vocant, ſenſus? Tantoque majoribus implicamur difficultatibus, ubi non diverſa fieri obſervamus in brutis etiam animantibus, quibus præter ſenſum, cognitionem quoque & aliquid rationi analogum contra Carteſii aſſeclas attribuere non verentur recentiſſimi rerum naturalium ſcriptores, è quibus allegaſſe ſufficiat Johannem Clericum Phyſ. Lib. IV. cap. XII. de diſcrim. hom. & brutor. Quæ cum ita ſint, ac ſine dubio hinc incertitudo omnis oriatur, quod Spiritus atque corporis notiones veras atque perfectas in hunc usque diem nondum habemus in comperto, nec mihi Medico vitio quis vertet, ſi in recenſione delirii Maniaco-Melancholici cauſæ formalis ſcrutinium à me prætermiſſum videat. Sufficiat Medico medica annotaſſe, & quid in curâ notabile evenerit adſcripſiſſe. Nempe Virgo quadragenaria, filia Chriſtophori Jllſingii, matre nata Melancholica, quæ jam ante plures annos jugulum ſibi præciſura periculoſum collo non tamen lethale inflixit vulnus, medio Decembris A. 1695. absque manifeſta cauſa cœpit ridicula proferre, & parentes aliosque obvios conviciis laceſſere. Pater ipſam verbis primum mox verberibus compeſcere tentabat, ſed illa ferocior reddita in gulam patris ferebatur, quam compresſiſſet, niſi adſtantes interceſſiſſent & ægram vinculis comprehenſam in lecto detinuiſſent. Lecto ſic affixa vociferari & contumeliosè in adſtantes effutire plurima non deſiit, perpetuò vigilans. D. 23. ſub noctem ego vocatus, fallaciter blandiente primùm ab æ-

grâ excipior vultu, mox dolo in audaciam verſo in capillos involatura erat, ſi per adſtantes & vincula licuiſſet. Flagrabat rubore vultus, ſcintillabant oculi, pulſus non aliter quam in febre concitatus, ut de recepto Medicorum Axiomate, exulare febrem in delirio Maniaco, dubitaſſem, ni ſcrupulum exemiſſet Celeberr. Wedelii doctiſſima interpretatio, quam legere licet in Patholog. Med. Dogmat. L. III. c. IX. p. 602. 603. Cauſam procatarcticam, quàm ſedulò inquiſiverim, reperire vel expiſcari nullam potui. Menſium etiam fluxus accuſari non potuit, nunquam enim habuit ſuppreſſa Catamenia. Præter ſuſpicionem hæreditarii characteris nihil aderat, quod argueres, nam præter matrem, frater quoque Maniacus redditus, dormientibus cuſtodibus elapſus in peregrinas terras aufugit, ut, quid cum ipſo factum, nondum reſciverint miſeri Parentes. Interim obſervabam anxietatibus circa præcordia multum torqueri ægram & perpendens, Maniam non rarò ortam à vermibus, aſſumptis vel improvidè admiſſis venenis, uti Solano Maniaco, philtris & ſimilibus, quæ furorem excitasſe adhuc in primis viis exiſtentia, ſatis eſt notum, ſic rationem induxi meam, ab humore Melancholico in feminâ ſimilis temperamenti coacervato & per moram acriore reddito atque exaltato, nervoſum ventriculi ac potisſimum orificii ejusdem ſiniſtri ſyſtema tàm iniquè fuiſſe habitum, ut tot ſtimulis & calcaribus irritati ſpiritus non potuerint non in maximas agi perturbationes; ſpemque adeò concepi, ſi ex primis viis fomes ille humoris Melancholici educeretur, fore, ut ad quietem ſe componeret hæc Spirituum turba. Itaque pro vacuandis acidi Melancho-

lici

lici quiſquiliis, ſeq. potiunculam præſcripſi. ℞. Extr. helleb. nigr. ʒß. Tart. Emetic. gr. iij. Tart. ſolub gr. xxiv. Rhab. elect. ℈j. Sir. d. cichor. c. Rhabarb. ℥ß. Aq. cichor. q. ſ. Hinc, non uti ſperaveram, vomuit, alvi verò dejectiones binas habuit, & quod mirum, inde non aliter, quàm ſumto opiato conquievit. Poſtridie cum inviſerem, furor deferbuit omnis. Querebatur tamen ægra circa cordis ſcrobiculum anxietates, & quod Parentes ipſi licet conſilio minus laudando exprobrarent heſternam ferociam, admodum ſolicitam ſe nunc gerebat de heſterno die admiſſis, ejulatibusque continuis ad ſupplicia ſe trahi capitis damnatam querebatur, factaque nunc adeò fuit ex Maniacâ, Melancholicâ. Ego felici ſucceſſu medicamenti heſterno die propinati audentior redditus Tartari Emetici gr. iij. cum Extr. Helleb. nigr. ʒj exhibui, vomitum tamen nec hac ratione concilare valens, medicamentum enim non niſi per inferiora vim exſeruit. D. 25. venam ſecari in pede jubeo, quâ ratione quietior equidem reddita; ſed ut reſipiſceret à vano ſupplicii metu nondum obtinebamus. Quin notabiliter iſte augebatur, cum ego d. 26. Studioſum quendam ad hanc ægram deducerem, quem cum illa gladio longiore munitum conſpexiſſet, ah, me miſeram! exclamavit, en carnificem Norimbergenſem ad malam crucem me tracturum. Ego verò veterum animatus experimentis Helleborum nigrum in ſubſtantia præbere decrevi ut & in infuſo, ſeqq. præſcriptis:

℞. Fibr. rad. Helleb. n. ʒiij. lapid. prunell. Sal. Tart. croc. oriental. a. ʒj.

℞. M.F. pulv. D. ad Scat. Hauptſtärckendes Pulver/ des Tags zweymahl drey Meſſer-Spitzen zu nehmen.

℞. Fl. Hyperic. Miij. rad. helleb. n.℥j. Valerian.℥ß. D. ad chart. Hauptſtärckende Species ins Bier zu hängen.

Quorum uſu intra paucos dies ad ſanam rediit mentem. Nec eſt dubium, Helleboro nigro potiſſimum adſcribendum felicem curæ ſucceſſum, cujus ſal volatile penetrantiſſimum non ſolùm reſerandis viſcerum meatibus aptiſſimum eſſe videtur, ſed & enatum in ipſis Spiritibus dyſcraſiam acido-Melancholicam corrigere poſſe eſt credendum. Unde jam apud veteres proverbii loco obtinuit: Helleboro opus habet. Et profectò ſicut in venenatorum claſſe reperiri jam ſupra diximus, quæ vix aſſumta rationem pervertant, ita nihil impedit, Antidota dari contraria facultate prædita, Spiritus nimirum ſerenandi & rationem in libertatem vindicandi. In Helleboro nigro autem hujusmodi vires meritò prædicare poſſum, non hac ſolum obſervatione ſed & pluribus edoctus experimentis, quamvis fatendum ſit, morbum haud ita radicitus evellere, quin per intervalla recrudeſcat. Hinc ſeq. Anno 1696. initiò Octobris hæc etiam modò dicta patiens denuò delirare incepit, & cum ab initio medicamenta negligerent parentes pauperculi, adeò ſæviit, ut ab omnibus longè gravius & atrocius furere judicaretur, quàm anno abhinc. Seq. verò potio Helleborina omnem ſopivit inſaniam.

℞. Ext.

℞. Ext. helleb. nigr. ʒß. Tartari Emetic. gr. vj. Vitrioli Tartariſati ℈j. Aq. cich. q. ſ. Sir. d. cinam. ʒvj. D.S. alſobald zu nehmen.

Hinc auſpicatò vomuit & aliquoties dejecit. Subjunctus dein uſus pulveris Helleborini jam laudati, potui quoque ſuccus ſupra dictus infuſus. Quibus pauciſſimis factum, ut ad hodiernum usque diem ratio ſibi conſtet optimè. Helleborum album ſunt qui eodem Encomio dignum reputant, quos minimè falli puto, modò ſint in doſi circumſpectiores, novimus enim deſperatiſſimam ſcabiem, affectum, me judice, itidem Melancholicum, Hellebori albi polline linimentis Antipſoricis addito, curationem ecipere.

OBSERVATIO CXVII.

DN. D. JOH. LUDOVICI APINI.

De Aſthmate periodico convulſivo ſingulari ſtratagemate evicto.

QUæ paroxyſmorum in aliis morbis ſtato tempore recurrentium cauſa eſſe creditur, fermentum nimirum alicubi in corpore latitans, & poſtquam ad plenitudinem collectum debitum ac determinatum Energiæ ſuæ gradum attigit, ſubitò evigilans & in actum prorumpens; eadem quin in Aſthmatis illâ ſpecie quod Periodicum dicunt, mereatur adduci, non eſt, quod dubitemus. Dictis, quæ ſequuntur, fidem faciens. Dominus Hezendörfer Conſul Solisbacenſium primarius, annos natus novem ſupra quinquaginta, abhinc anno tertiâna ſuperatâ incidit in ſcabiem. Hanc diu patienter toleratam in-

felix, non præmiſſis præmittendis ſulphurato obducit unguine. Vix dies unus & alter effluxit, cum æger Spiritum difficilius incipit trahere, quæ difficultas celeri gradu tanta ſumit incrementa, ut d. 7. April. Anni ſcilicet 1696. quo die liberius in aurâ humidiore verſabatur æger, horâ nonâ nocturnâ, ſenſu & loquelâ ſubitò amiſſis, jam pro ſuffocato haberetur. Aquâ apoplecticâ infusâ ad ſe rediit poſt horam, ſummas verò inter anxietates ob aërei pabuli penuriam reliquum noctis tranſegit. D. 8. vocor, & liberius quidem ſpirantem offendo, paroxyſmum autem novum inſtante veſperâ ſtatim ominor. Quod ita factum, quamvis non intermiſerim antiſpasmodicis ſuccinatis potiſſimum & cinabarinis, aliisque ſalinis volatilibus, anodynorum mixtura temperatis, convulſivo huic malo obviam ire, redit enim horâ nonâ paroxyſmus Aſthmaticus & miſerè fatigabat ægrum in ſuffocationis ſummo verſantem periculo. Varia in illo diſcrimine tentata, & inter alia Veſicatorium quoque amplum carpo dextro injectum, ut acidum à ſcabioſâ modò pelle ad interiora redundans hac forte viâ eliceretur, aut Spirituum nonnihil diverteretur impetus. Quibus cum ob morbi magnitudinem fidere nollem, tempeſtive, ſic ſuadente, artium Magiſtrâ, neceſſitate, incidit per fraudem agere cum truculentiſſimo hoc hoſte. Dolus enim an Virtus, quis in hoſte requirat? Juſſi nimirum tibialia à ſcabie modò curatâ adhuc, ſit venia verbo, ſanioſa ægrum indui quo facto, prurire mox crura incipiunt, & reſpirationis difficultas ad ſenſum minuitur. Juſſi deinceps manè ac veſperi ſumere 30 guttulas Spir. Sanguinis humani, qui præterquam quod ſpecificâ

vir-

virtute ad Epilepſiam & hunc quoque pulmonum caducum pollat inſuper depurativum ſanguinis eſt egregium, & in ipſâ Gallicâ lue mira præſtitiſſe mihi viſus eſt, quo de aliâ forſan occaſione. Quod Urina quoq; parcius flueret, ut à ſcabie & retropulsâ plus vice ſimplici vidi, diuretica interponere non ſum oblitus. Quibus id effectum, ut cum d. 13. Aprilis aliorum negotiorum causâ Solisbacum veniſſem, ſalvus eſſet & incolumis, ſimul tamen referens aliquot ex ordine noctibus ſervata periodo anguſtias illas repetiiſſe ſed non ita longe durantes & ſubinde mitiores, ſine dubio à reliquiis fermenti hinc inde ſubter pellem detenti, & dictâ ſuperius ratione ſenſimque evecti, adque formandos iſtiusmodi paroxyſmos apti redditi. Continuatis verò remediis non ſolum ab Aſthmate, ſed & à novâ, quam artificio ipſi meo in pedibus creavi, moleſtia, & dulcamara ſcalpendi libidine, feliciter, Deo benedicente fuit liberatus.

(Exhibitæ Norimbergæ d. 2. Novembr. Anno 1697.)

OBSERVATIO CXVIII.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De Nævis menſtruo ſanguine deletis.

SAnguinem menſtruum ob ſuam virtutem nitroſam curare eryſipelata, gangrænam nævosque maternos me legiſſe recordor in *Phyſiologia reformat. Clariſſ. D. Georgii Wolffgang. Wedelii cap. 16. pag. 576.* Et circa nævos maternos expertum vidi elapſis diebus in

puel-

puella trium annorum cui appoſitione menſtrui ſanguinis nævi aliqui evanuere; Sic enim fuit edocta mater à quadam vetula ruſtica; Imò recordor puerum quendam Anno 1690. à nævis maternis liberatum me vidiſſe ſola, ſed frequenti lotione urinæ.

OBSERVATIO CXIX.
DN. D. JOSEPHI LANZONI,
De Noctambulatione periodica.

DE Noctambulonibus curioſa ſcripſere Petr. Sal. Diverſus, Schenckius, Sennertus, Regius, Craánen, Grebnerus in Medic. vet. reſtir. & Beat. Gabriel Clauderus Acad curioſus eruditiſſimus in Miſcell. curioſ. Decur 2. Ann 5. Obſ. 189 raram hiſtoriam narrat; cui ego etiam hanc de noctambulatione periodica obſervationem addo. Eſt hic Ferrariæ Studioſus quidam Annorum ætatis 18. qui quovis menſe, tempore plenilunii, eam patitur, media enim ſub nocte elevatis palpebris domus ſupremas conſcendit partes, imò tales pertingit ſitus, ad quos ſanè non perveniſſet ſi planè vigilaſſet, præterquam enim quod maximum portendunt periculum, etiam difficulter, & magno conatu, & virium jactura aſcenduntur.

SCHOLIUM.

LIceat hîc adducere, quæ *D. Cornel. Bontekoë* in *Oeconom. animal. §. 41.* de Somnambulis diſſerit; Poſtquam enim varios eorum eſſe ordines, & alios alia perpetrare diſſeruiſſet, neminem ab hoc ſtatu liberum

berum eſſe ſubjungit, cum jactationes, ſine quibus nemo, modò de latere in latus ſe volvendo, modò crura attollendo, vel extendendo &c. dormit, jam ſint ex eo genere; licet alii illi qui de lecto ſurgunt & huc illuc diſcurrunt, aut negotia quædam adeunt, majores muſculorum motus patiantur; cauſamque hujus admirandi ſtatus non aliam eſſe quam mixturam ſomni & vigiliarum, ab inæquali copia, motu, & craſſitie ſucci nervei, ſanguinis, & cæterorum ſuccorum, aliis tubulis apertis, aliis occluſis exiſtentibus. Quibus conſideratis, faciliùs imaginari ſibi quis poterit, qua ratione à phantaſia fortius impellente aliqui reverâ in ſomno ambulare ſoleant; de quo ſtatu, cumprimis in plenilunio contingente, legi meretur Celeberr. *D.Georg. Wolffg. Wedelius*, *Phyſiolog. reform. cap.14. pag.522.*

(Dn.D. L. Schröck.)

OBSERVATIO CXX.

DN. D. JOSEPHI LANZONI.

De Noxa Venæſectionis & purgationis in pleuritide graſſante A. 1696.

HYems Anni 1696. modo borealis fuit, modo auſtralis, ut Menſe Januario & Februario vernum tempus adventaſſe videretur, ſubſecutum tamen eſt frigus prægrande in Martii principio, quibus diebus plurimæ capitis intemperies, quæ vulgò dicuntur *Freddore* divagabantur, his acceſſere febres, quibus commixtus erat lateris dolor cum aliis ſymptomatibus, quæ pleuritides comitari conſueverunt, obſervatum eſt, omnes, quibus vena ſecabatur interiiſſe,

propterea mutata methodo medendi cucurbitulis procedebatur, quib9 cutis ſpiracula aperiuntur, ut ſic cauſa antecedens amoveretur, ac revelleretur materia ab ambitu corporis ad thoracem fluens; hac occaſione in memoriam revocatum eſt, annis etiam anteactis ex ingenti frigore enatis pleuriticis affectibus perperam adminiſtratam fuiſſe ſectionem venarum, & totum curationis cardinem aliquorum Practicorum noſtrorum in hac omittenda ſtetiſſe, ſed & in tali conſtitutione, hujus Anni nempe 1696. letum acceleratum animadvertebant Clinici ab alvi fluxu, ſive hic ſpontè accederet, ſive arte promoveretur. Tantum enim aberat, ut hac evacuatione morbus alleviaretur, quin potius eadem adhibita ocyus ægri deficerent; cum itaque, & quæ per venas ſectas & quæ per alvum laxatam fiunt, evacuationes jure ſuſpectiſſimæ forent, eſſet tamen hoſtis internus deturbandus, via alia excogitata eſt, quam exitus ipſe comprobavit. Per urinas & per ſudores ducere cœptum; Et tali methodo curatus eſt Civis quidam Ferrarienſis noſter, ætatis annorum 34. qui uti mortuus deplorabatur huic ope lapidis Bezoar, decoctionis Carlinæ cum hordeo paratæ, ac magna quantitate aſſumptæ, nec non datis gelatina CC. & electuario ex carlina & ſimilibus, alvi fluxus mortis prodromus ſtetit, ſudor ſucceſſit, qui diu, largeque prorumpens virum dictum ex Orci faucibus eripuit. Haud diſpari ratione per clariſſimos Artis Apollineæ myſtas, Amicos meos, plures alii ſani facti ſunt ægri, etſi à ſudore copioſo in lipothymias, ſyncopesque incurrerint, majori potius terrore aſſidentium, quam languentium detrimento, quicunque verò ſecus tra-

ctati

ctati ab aliis fuere medentibus, Libitinæ mactati, curantium errores ſepulchris intulere Notabilis itaque pleuritidis dicto tempore vagantis idea, quæ à practicis judicabatur pleuræ phlogoſis; quibus ſymptomatum ſeries favere videbatur, dolor nempe lateris punctorius, febris acuta, tuſſis, pulſus ad duritiem vertens, ac reſpiratio difficilis, non tanta tamen, quanta in Peripneumonicis eſſe conſuevit, & dum inter medicos de ſede hujus morbi diſputaretur, è vivis ſublata eſt mulier tali affecta morbo, ego cadaver aperui, ex quo lis tanta dirimeretur, & ecce pulmonis medietas, abſque ulla pleuræ læſione, eryſipelate apparuit infecta, tumefacta, ac inter flavum membranarum colorem diverſis etiam maculis conſperſa, quod ſanè ego priùs in conſultatione pro dicta muliere facta prædocui, conſtituendo morbum, quo vexabatur patiens, *Febrem continentem cum decubitu cauſæ morbificæ in pulmones*, Hippocrate fretus, atque Felicis Plateri, aliorumque placitis adhærens, quibus hujus morbi natura erat magis perſpecta. Symptoma notandum hos morbos conſequens, erat excretio per tuſſim multæ materiæ biloſæ tenuis inconcoctæ; Urinæ aderant turbatæ, quæ ſudore erumpente clareſcebant; itaque ut primum curandi ſparta nobis imponebatur, cum cucurbitulis ſcarificatis & non ſcarificatis totum deplebatur, cutisq; pori reſerabantur; mox apozemata ex pectoralib9 dabantur, cum guttulis aliquot Sp. Sulph. quod pulmonum Balſamum habetur à medicis ſanioribus; Anacatharſi juvandæ eclegmata non præſcribebamus ſaccharata, quæ in bilem faciliter verti ſolent, ſed largi hauſtus imperabantur decoctionis Carlinæ cum hordeo factæ,

 qui-

quibus ne dum thorax humectabatur, ſed & totum corpus, ad cujus circumferentiam pellebatur materia, quæ in venis majoribus fermenteſcens, tandem in pulmonis anfractibus præcipitata morbum fovere, lethumque accerſere ſolebat; Pectus ungebatur oleo noſtro cucurbitino pro pleuritide nuncupato; Frictionibus, & dorſi inunctionibus cum *Aetii* linimento celebri in Praxi medica multum me præſtitiſſe exitus nos docuit, pulveribus oculor. cancr. præp. CC. phil. præp. mandibulæ Lucii, dent. apri, ſangu. hirci præp. quibus Bezoar quoque acceſſit, uſi ſumus, hinc ægris copioſi ſudores, & magni lotii proventus, & hinc ſalus; Sicubi res poſtularet, alvum ſegnem clysmatibus, ac glandibus irritabamus; Quod ſi morbo anſam dediſſe conſtaret nobis menſes ſuppreſſos, ſaphænam tundere non reformidavimus; cumq; phrenitides multoties ægris ſupervenirent, Phœnigmos in ſcenam produximus, eosque ſuas partes optimè egiſſe notavimus; Si curatio juxta hanc noſtram methodum procederet, morbi dies ſeptima, nona, aut undecima ægros judicabant ad ſalutem; Paucos autem memini ſervatos, quibus in ipſa indicatione animus deficiebat; Offa vino dulci, odoro, dilutoque imbuta, pretioſioris cujusvis remedii cardiaci vices opportunè ſupplevit; Quæ omnia huc retuli, ut poſteritas noſcat, quam periculoſæ aleæ plena ſit nonnullorum temeritas, qui omni in febre & morbo quovis, tanquam ad ſacram anchoram ad Phlebotomiam, atq; catharſim confugiunt, cum utraque hæc evacuatio exceptiones ſuas patiatur; adeò verum, nullam in Arte noſtra Apollinea regulam generalem poſſe dari, præter hanc unam nempe, *nullam talem in ipſa Praxi medica Regulam aſſignari.*

OBSER-

OBSERVATIO CXXI.
DN. D. JOSEPHI LANZONI.
De Phrenitide Balneo Aquæ frigidæ curata.

Ruſticus quidam in noſtro Ferrarienſi ſuburbio annorum ætatis 40. per aliquot dies ſtrenuè vino generoſiſſimo uſus, paulo poſt gravi delirio, cum vigiliis perpetuis, ac febri continua affectus eſt Anno 1696. Menſe Junio; Vena ut aperiretur ſuaſi, ſed ob magnam inquietudinem fieri minimè potuit; Die morbi quinta è cubili ſurrexit, ac in vicinum puteum ſe projecit, cui periculo accurrunt domeſtici, & celeritate, qua potuere, è puteo extrahunt ſanum, qui in aquis fuit ſubmerſus Phreneticus. Tanta fuit humoris frigidi vis, ut calorem, atque effervesſcentiam cruoris, etiam externè compeſcere valuerit, ſic ergo ab aquis egreſſus Ruſticus, benè ſe habuit, ac amplius non recordabatur ejus, quod Phreneticus egerat.

OBSERVATIO CXXII.
DN. D: JOSEPHI LANZONI.
De Corde pilis referto.

De Corde hirſuto meminit Clariſs. Dn. D. *David Græbnerus med. vet. reſtit. cap. 16. de Corde pag. 121.* & ante ipſum de tali corde alii; hinc narrat *Valer. Maximus Lib. 1. cap. 8. de Miracul.* Ariſtomeni Meſſenio cor repertum fuiſſe hirſutum, de quo etiam *Plinius*

lib. II. hiſtor. nat. & *Joh. Schenckius Obſerv. med. lib. 2.* De corde pilis referto ſcribunt curioſas Obſervationes *Petrus Crinitus de honeſt. Diſciplina*; *Bauhin. lib. Anat. Ant. Benivenius de abdit. morb. cauſ. Theod. Craanen de homine, Plutarchus in Paral. Cæl. Rhodigin. Antiq. Lection. lib. 4. M. Ant. Muretus lib. 12. cap. 10. var. Lection.* & tandem *Luſitanus Cent. 6.* narrat olim Ferrariæ noſtræ ſe obſervaſſe cor cujusdam Latronis inſignis & audaciſſimi, pilis circumſeptum, ſic pariter hic Ferrariæ Anno 1696. ſub fine Menſis Aprilis, quendam plebeium ætatis annorum 47. forti pleuritide extinctum, in Hoſpitali S. Mariæ novellæ, meæ curæ commiſſo, cultro anatomico aperui, & cor inventum eſt undique pilis refertum, in pulmonis autem alâ dextra abſceſſum vidimus mortis ac morbi cauſam; ſic monſtra naſcuntur indies, & mirabilia depromit natura, ſemper admirabilis ſemperque curioſa in triplici ſuo regno, animali nempe, vegetabili & minerali.

SCHOLIUM.

ADdere his licet hiſtoriam, quam *Johann. Scultetus* de corde undequaque piloſo Nobilis cujusdam Poloni audaciſſimi, Anno 1650. M. Febr. in Theatro anatomico Patavino publicè diſſecti, invento, *tract. de Trichiaſi admir.* recenſet.

(*Dn. D. L. Schröck.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXIII.
DN. D. JOSEPHI LANZONI.
De Vermiculis cum Urina profuſis.

VIr honeſtus annorum 39. temperamenti ſanguinei, menſe Auguſto Anni 1696. poſtquam multam vini quantitatem ad ſitim extinguendam ingurgitaſſet, incidit in omnimodam urinæ ſuppreſſionem, & nihil conferentibus uſitatis remediis per triduum à ſuo medico ſubminiſtratis, me in conſilium vocat ægroti uxor, qui prædictorum relatione audita, injecto ſtatim clyſtere ex lacte vaccino & ſaccharo rubro, juſſi, ut ſanguis à dextro pede ad uncias decem extraheretur, poſt vero M.S. ſequentem emulſionem exhibui. ℞. Sem. Viol. purpur. ℥ß. cum malvæ q. ſ. F. emulſio, cui adde pulv. ocul. cancr. fluviatil. pp. ʒj. M. Tribus autem elapſis horis ab hiſce remediis, multam urinæ copiam effudit in qua obſervati fuere plurimi vermiculi rubri coloris, ſicque ſanus evaſit. Exiguos etiam vermiculos in renibus genitos cum urina profuſos, ſe vidiſſe teſtatur *Fernelius lib. 6. Patholog.*

OBSERVATIO CXXIV.
DN. D. JOSEPHI LANZONI.
De Furore uterino ex inflammatione uteri.

MIhi nuper narravit Medicus quidam Mantuanus, Virginem quandam jam nubilem, vitam otioſam ducentem, poſtquam amorem clandeſtinum

cum

cum Nobile quodam contraxiſſet contra Parentum ſuorum voluntatem, in ſomnis fatigatam eſſe, & die clamaſſe, multa incompta atque laſciva pronunciaſſe, ita ut inſana videretur, & quando Maſculos videbat illicò in eos ruiſſe ac petiiſſe venereos amplexus, oſcula, & vigilabat perpetuò, nec comedens, nec potum aſſumens; Febre accedente continua, multa facta fuere remedia tam Chirurgica, quam Pharmaceutica, aſt omnia incaſſum; Decima quarta enim morbi die periit; Aperto cadavere omnia viſcera ſana apparuere, præter uterum, qui inflammatus obſervatus eſt, quæ inflammatio etiam ad tubas & ovaria pertingebat.

SCHOLIUM.

UTrum inflammatio hæc furorem uterinum induxerit, vel illa productum hujus exſtiterit, diſquiri poſſet? prout etiam alias uteri conſtitutiones præternaturales hoc pacto in morbo iſto ſeſe habere credibile eſt; quas ſanguinis, lymphæ, atque liquoris partium genitalium orgaſmus & ſuccedentes hinc eorum ſtagnationes inducere valent. Sic in virgine clauſtrali hyſteromaniâ defuncta, teſticulum ſiniſtrum pugni magnitudinem circiter æquantem & craſſo humore turgentem, tubam etiam Fallopianam juſtò majorem, duriſſimam & calloſam fuiſſe inventam, in *Nicolai de Blegny Zodiac. Gall. med. Ann. 1. M. Januar. Obſ. 6.* refertur: Dextrum verò teſticulum pugni itidem magnitudine, in alia comparentem producit *D. Stephanus Blancardus Collect. med. phyſ. part. 1. Obſ. 28.* & *Anatom. pract. ration. centur. 2. Obſ. 99.* eumque ſucci

ſucci plenum fuiſſe, in *cit. Anat.* addit; aquis autem dubio procul à retentis ovulis, atq; ſemine virili non fæcundatis abundaſſe, in *Collect. Germ. edit.* ſubjungitur. Utrumque verò ovarium ſive teſtes in virgine ſimili morbo defuncta, præter clitoridem maximæ magnitudinis, ovulaque inhærentia piſum ſi non ſuperantia, certè adæquantia fuiſſe deprehenſa, in *Operum Medico-Chirurg. Joh Michaëlis Noribergæ* A. 1688. *editorum praxi clinica ſpeciali caſu* 22. legitur; qui ipſe caſus noſtrum *Curioſum Periandrum*, Nob. D. *Mich. Frid. Lochnerum* autorem agnoſcit, quem, A. 1684. Altdorffii Noric. loco theſium inauguralium medd. publicæ diſquiſitioni exhibuit.

(*Dn. D. L. Schröck.*)

OBSERVATIO CXXV.

DN. D. JOSEPHI LANZONI.

De Hyſterica paſſione, lactis aſinini uſu ſanata.

ANthyſterica volatilia potiùs adaugere inſultus hyſtericos ait *Clariſſ. D. Joh. Bapt. Scaramuccius Practicus Urbini celeberrimus, ac Amicus meus, & Collega ſemper colendus in Theorem. familiar. 18. pag. mihi. 270.* quoniam, ait ipſe, libertatem majorem ſpiritibus imponunt; unde lac aſininum maſſam humoralem dulcificans laudat; & ſanè, ut verum fatear, ego Anno 1696. Juvenculam Annorum 20 hyſtericam curavi, uſu lactis aſini, per 24. dies manè jejuno ſtomacho exhibiti, cum exigua quantitate ſacchari fini pulveriſati ad pondus unciarum ſex; Nuncque aliam fæminam hyſterica paſſione af-

fectam ſub cura mea teneo, quæ fruſtra anthyſterica varia remedia experta eſt; nunc verò poſt communem purgationem, lacte aſinino utitur; & verè fateri poſſum, neque minimum hyſtericum inſultum eam perſentire.

OBSERVATIO CXXVI.

DN. D: JOSEPHI LANZONI.

De Hydrope ulcere aperto in ſcroto ſanato.

De hydrope per abſceſſum in ſcròto factum integrè ſanato, curioſam obſervationem narrat Clariſſ. Dominus Gerbezius Medicus Labacenſis digniſſimus, Academ. curioſ. ac Amicus meus ſemper colendus, in Miſcell. Acad. nat. curioſ. decur. 2. pag. 182. Ad cujus hiſtoriæ confirmationem ſequentem adjungere mihi liceat caſum: Miles quadragenarius hydrope aſcite confirmato laborabat Anno 1695. multisque incaſſum tentatis remediis jam jam vitæ finem expectabat, & loculum; Chirurgus quidam ad deſperatam vocatus curam, ſetaceum aperit in ſcroto, per cujus vias aqua hydropis aſſiduè extillabat, magno cum ægroti levamine; ſicque tandem ſanus evaſit; Pariterque Reverendus Pater Bernardus Zane Ordinis B. Petri de Piſis Sacerdos pius, & S. Mariæ Roſarum Ferrariæ Prior digniſſimus mihi nuper narravit, ſe Venetiis vidiſſe ſuæ Religionis Sacerdotem hydropicum confirmatum, qui ope ulceris arte excitati in ſcroto à quodam Chirurgo Gallo, ſenſim, ſine ſenſu quotidiè extillante lympha in abdominis cavitate ſtagnante,

tan-

tandem convaluit; & ad plures ſupervixit annos, quin & quod notabile fuit, ulcus ſcroti, etiam ſanatum eſt.

Ferrariâ Auguſt. Vind. d. 4. Novembr. Anno 1697. miſſæ.

OBSERVATIO CXXVII.

DN. D. VITI RIEDLINI.

De Febre maligna ſalivatione ſoluta.

SAlivam in morbis malignis fluentem pro certo ſalutis indicio haberi, hacque ſine dubio de cauſa Practicum quondam feliciſſimum Dn. D. Cramerum, in omnibus ferè febribus malignis mixturas ſalivæ fluxum promoventes præſcripſiſſe, ex eleganti Frid. Hoffmanni Exercitat. de Cinnabari Antimonii, conſtat, cujus rei veritatem, ut & alia quædam notatu digna ex ſequenti obſervatione legere poteris. Proſtraverat ante quoſdam annos in pago urbi proximo hinc inde nonnullos febris maligna Petechialis ſat acuta, hæc cum inter alios & Cereviſiarium quendam invaſiſſet, hicque poſt ab empirico, qui olim carnificem egerat, exhibitum forte purgans, & ter adminiſtratam Venæſectionem non tam nullum levamen, quam malum auctum ſenſiſſet, opem meam anxiè quæſivit, quam cum promiſiſſem, tanto hoſti omnibus viribus ſtatim obviam ire cœpi, decoctum pro potu ex Limat. CC. Radic. Scorzon. & Cort. Citr. rec. parandum itaq; præſcribo, alexipharmacisque medicamentis quotidiè ter ſudorem prolicio, viribus etiam reficiendis dicata ſæpius interpono, quibus tamen malum vix mitigabatur, inprimis autem atrox capitis dolor continuas

ægroti querelas movebat, meque permovebat, ut veſicas poſt aures excitare curaverim, quod tam feliciter ceſſit, ut ſero peccante inde non ſolum ex ipſis veſiculis, ſed inprimis ex vaſis oris ſalivalibus in magna copia profluente non tantum capitis dolor remiſerit, verum & ipſa febris multum imminuta fuerit, haud ita diu tamen poſt hic ſeri fluxus denuò ceſſabat, unde febris recrudeſcebat, & petechiæ colore lividæ jam accedentes de novo, metum injiciebant, alexipharmacis igitur diligentiſſime inſiſtebatur, quæ ægrotus tanto cum appetitu ſumebat, ut & horas, donec de novo medicamentum exhibitum fuit, aliquoties breviores optarit, nec ſine exoptato eventu, die enim à morbi principio fermè decimo quarto, ſalivatione iterum magna & copioſiſſima ſuccedente, malum ita cedere cœpit, ut brevi omninò ceſſante febre, Deo prò ſanitate recuperata, gratias agere potuerit.

OBSERVATIO CXXVIII.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De Pica fœtui noxia.

Licet depravatum illum gravidarum appetitum, ſi vel maximè noxia appetant, & appetitui etiam ſatis faciant, minus tum Matri tum fœtui nocere quotidiana teſtetur experientia, non tamen omnes pari hic paſſu ambulant, dantur quoque quibus haud parum noxæ ejuscemodi inconſueta & noxia alimenta ingeſta inferant, teſtibus præter alios Jo. Schenckio, diligente illo plurium obſervationum collectore, qui no-

noxam in quadam ex nimia piperis,& in alia ex glaciei comeſtione ſubortam, deſcribit, ut & Philippo Salmutho, qui miros malaciæ effectus in Virgine quadam narrat, quibus ego ſequentem hiſtoriam addo. Hoſpitis cujusdam Uxor, cum bis hyeme gravida, hyemis copioſiſſimos fructus, nivem ſcilicet, mirum quantum appetiiſſet, appetituique ita indulſiſſet, ut ipſa narrante, tantum nivis comederit, ut mirum non fuiſſet, ſi glacies inde fauces, ventriculum & inteſtina obduxiſſet, idque repetitis aliquot vicibus, ipſa quidem parum hinc detrimenti paſſa fuit, niſi quod ſanguinis uteri fluxus intempeſtivus concitatus, viribus aliquantum detraxerit, ambo tamen fœtus citò nimis inde projecti, vitaque privati pœnas tam inordinati appetitus fuerunt, cauſa ſine dubio in hunc conjicienda, cum antea plures infantes vivos & ſanos debitoq; tempore ediderit. Doceat hæc ſuo exemplo gravidas, ne ſemper appetitui tam depravato, quantum quidem libuerit, indulgeant, potiusque ſibi de medicamentis convenientibus proſpiciant, quibus appetitus hic corrigatur, ne olim de vita tum propria, tum fœtus gravisſimas reddere rationes cogantur.

OBSERVATIO CXXIX.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De Turturum dubia Caſtitate.

NArrantur hinc inde tam in Phyſicorum quam hiſtoricorum libris haud pauca, quæ, quia plures eodem plane modo deſcribunt, & abſque vel minima dubitationis nota recenſent, à viris doctiſſimis quoque pro veris hactenus habita fuêre, ubi ſi diligentius in eadem inquiras, dubia, ficta, & nil minus quam cum veritate convenientia eadem invenies, Catalogum quarundam talium rerum de ſocietate noſtra ſub ejusdem ſtatim exordium meritiſſimus Sachſius p. m. in Gammarologia ſua texit, eoque ipſo & alios excitat, ut, ſi quæ plura ſubnectenda eſſe, videantur, communicent, ac in viam errantes reducant, huc cum & ſequentia ſpectent, eò fidentius ea produco. Eſt autem tam decantata Turturum Caſtitas, quam fœminæ præſertim poſt conjugis obitum ſervare creduntur, ut de ea qui dubitaſſet, hactenus neminem, ſat multos verò, qui pro indubitata habent, invenerim, ſicuti tantum non ex omnibus, qui de iisdem aliquid commentati fuere, veteribus præſertim, & qui ad manus meas devenêre, patet, unde & alii doctiſſimi Viri eosdem in caſtitatis exemplum proponere, nulli dubitarunt, at valdè dubiam eam reddunt, quæ aliquoties jam Vidua quædam, quæ per aliquot annos his avibus ſe delectat, & circa easdem contingentia ſolicitè obſervat, narravit; cum enim hæc primum par turturum, quod ipſa compara-

paraverat, tam diu aluiſſet, donec pullum maſculum educarunt, ſubito patre mortuo, communi illa ſententia imbutam, continuò quaſi gemens vidua, de propagatione ulteriore noſtram tantum non deſperare fecit, tentavit tamen, & pullum relictum, aliàs ſeorſim incluſum, cum matre conjunxit, quæ paulatim eidem aſſueta, eum brevi ſicut antea patrem admiſit, & plura poſt fœcunda peperit ova, ex quibus præterita demum æſtate tribus vicibus ſex pullos excluſit, indeque jam tot turtures poſſidet memorata Vidua, ut quosdam venales expoſuerit, quam fœcunditatem etiam à quibusdam in dubiam vocatam, ipſa ſemini cannabis, quod alimentis, quæ iisdem ſuggerit, immiſcet, adſcribit: ſicuti vero vix mihi perſuadere poſſum, à reliquarum indole hanc Turturem ſolam deſciviſſe, ita ſi & alii in hæc ipſa inquiſiverint, ac quæ comperierunt, communicaverint, imaginariam ſolum eſſe Turturum caſtitatem, ſine dubio certius conſtabit.

(*Exhibitæ Auguſtæ Vind. d. 4. Novembr. Anno 1697.*)

OBSERVATIO CXXX.

DN. D. RUDOLPHI WILHELMI CRAUSII.

De Serico ſingulari Numburgenſi.

ANno 1665. Menſe Martio in Miſnia, circa pagos Grösniz & Städten, inprimis juxta ſic dictam viam Numburgicam, usque ad rivum Haſſel, & juxta eum usque ad viam Ballſtettenſem & Kenigenſem, atque

atque ita ulterius verſus prænominatos pagos, in agris, dumetis, ſepibus, & arboribus filamenta quædam ſericis ſimilia, elegantia, tenera, intensè cœrulea, poſt tres verò quatuorve horas nonnihil ſpiſſiora inque colore remiſſiora reddita, fuerunt inventa, longitudine decem, viginta, triginta, quadraginta, pluriumve ulnarum, quin & unum centum & quadraginta ulnas æquans fuit deprehenſum; quæ in agris, ſtipulis hinc inde inſtar telarum aranearum æſtatis tempore obverſantium, adhæſerant, modò etiam indè ad dumeta, ſepes & arbores producta, ibidemque expanſa, alicubi verò denſa & conglomerata comparuerant. Incolæ, muliebris inprimis ſexus, in pagis, plurimum ſerici hujus collegerunt, & texendo ligulas variaq; alia in rei memoriam inde elaborarunt.

SCHOLIUM.

CUm Nobiliſſimus Dn. Autor ſpecimen horum filamentorum in agris Numburgenſibus inventorum mihi benevolè transmiſerit, pauca de iisdem commentari mihi liceat. Tenuia autem fila ſerica exactiſſimè referunt, atque dilutiori nonnihil cœruleo colore ſe commendant; microſcopio verò expoſita, pluribus ex aliis tenuiſſimis & pellucidis ac invicem contortis filis, quorum quinquaginta numerare potui, conflata adparent, unde ab artifice manu ſic conglomerata atque contorta illa fuiſſe veriſimile redditur. De ortu varias exſtitiſſe conjecturas ſcio; quas inter tamen magis credibilis mihi videtur, quæ ad filamenta illa Divæ Virginis vel beatæ Mariæ dicta, quæ verno tempore & adultâ jam æſtate utplurimùm non in

pratis

pratis tantùm & agris, ſed ipſo in aëre etiam volitantia conſpiciuntur, refert. Quamvis enim meteora inter reponi à pluribus hæc ſoleant, à craſſis & viſcoſis ex globo noſtro terraqueo prodeuntibus exhalationibus generata, cùm tamen meteorica hæc credita filamenta telis aranearum prorſus ſint ſimilia, rectiùs cum Excellentiſſimo noſtro Dn. D. *Chriſtiano Mentzelio Ephem. noſtr. curioſ. Dec. 2. Ann. 5. Obſerv. 134.* animalculorum iſtorum productum eſſe ſtatuitur. Obſtare quidem videtur tum firmior filamentorum noſtrorum ſubſtantia, quam quæ aranearum in telis communiter deprehenditur, tum ipſe color thalaſſinus, quo hæ nunquam donatæ obſervantur; aſt num fortè ſingulare aranearum genus (quarum magnam eſſe differentiam notum eſt) fila hic duxiſſe, dicere licebit, quod fila & firmitate communiora illa ſuperantia atq; colore diverſo imbuta confecerit, & vel monſtroſarum aranearum cenſum ſubierit, quale quid inſolitum in tot aliis viventium ſpeciebus non infrequens eſſe ſolet? Idque credi eò faciliùs poſſet, cùm & alibi, in Bermudis nempe, certa aranearum ſpecies detur, quæ firmam ſatis ducere telam ſolet, qua etiam avem magnitudine turdi irretire queat, vid. Acta philoſoph. Angl. Num. 40. In aranea verò cum cœrulea lateat tinctura, quem aquæ injecta oculis ſiſtit, ceu in iisdem Actis philoſ. Num. 22. memoratur, exaltata magis in iſta aranearum ſpecie, inque humore illo viſcido, ducendis filis deſtinato, hæc concentrata eſſe potuit; prout nec in ſerico bombycino unum ſemper obſervari colorem, & ſuccineum modò, modò etiam album, intenſiorem remiſſioremvè, quin & teneriorem ſpiſſioremve, experimur. (*Dn. D. L. Schröck.*)

OBSERVATIO CXXXI.
DN. D: RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.
De generatione viſci univoca.

Cùm ante aliquot annos occuparer in eruendo charactere plantarum interno, ultra externum in fructificatione conſtitutum à diſpoſitione plantulæ ſeminalis deſumendo, inter quam plurima alia ſemina viſci quoque baccas inſpexi, & elegantem inibi germinis apparatum conſpicatus, egregiam de generatione univocâ ſententiam hoc etiam in caſu confirmavi, ab ipſius præſentiâ ad fœcunditatem ſeminis cæteris paribus argumentatus, uti ex adverſo ob ipſius abſentiam ſemina braſſicæ capitatæ hyeme in cellis inter putrida folia generari credita putatitia declaravi. Nec hujus ſententiæ me pœnitet, utut adhuc quidam ſive ſubdubitent ſive contradicant, nec ut priorem retractem, ullâ hactenus causâ moveor. Proſtat illud asſertum meum in Tomo primo Decuriæ Tertiæ Ephemeridum, confirmatum teſtimonio ampliſſimo Raji, germinâſſe è perterebrato cortice viſci baccam aſſerentis. Quid ergò civi cuidam Atlantico in mentem venerit, neſcio, ut in appendice Ultimi Ephemeridum Tomi videatur indignari, & vel litem mihi intentare, vel plagii me reum agere, quanquam de utroque dubitaverim. Etenim nullo modo divinare poſſum, quis ſit vel ipſe vel demortuus ante ſeptennium Amicus, à quo arcanum illud potuiſſem expiſcari, debitoque autorem defraudare honore. Doleo viri vices, quòd

in alterum luſtrum preſſerit ſuum inventum, hac enim ipſius morâ factum, quod inventionis gloriam ipſi præripuerit Pharmacopœus Londinenſis. Germen autem illud tunc mihi à nemine neque monito neque docto viſum & deſcriptum bonâ fide tribui, & tribuo: Quid alius alibi egerit interim aut viderit, tam incurioſus quàm ignarus. Faceſſant ergò ceremoniæ, prodeat in publicum, ſi quid rari in ſcriniis curioſi latet, non opus eſt, ut veniam petat: Hactenus enim in liberâ degimus Republicâ Societatis Naturæ Curioſorum, quæ levem Collegarum opellam (qualem meam agnoſco) hactenus nunquam dedignata eſt. Proſequar ego, cùm libuerit, thema illud, interim ampliſſimam Viro docto concedo licentiam, addendi, corrigendi, quantùm neceſſe fuerit, hanc enim veniam ex amore veritatis petimusque damusque viciſſim; hâc tamen conditione, ut ſuas priusquam obſervationes edat, conferat cum Malpighianis, in quas & ego diu poſt meas transmiſſas incidi: perpendat quoque ſi placet, baccas viſci deferri poſſe ad ramos tam delapſu raptuque ventorum, quàm ab avibus non ſolùm devorata & reddita per alvum, ſed & roſtro delata, nec ſphæricâ ſuâ figurâ à ramulis rotundis tam facilè decidere, quàm rupta ſuo glutine adhærere. Reliquo igitur complemento accretionis & propagationis deducendo viſcum à ſemine ad ſemen, gloriam illam (non invideo) captabit, quam primi inventoris titulo non obtinuit. Denique cùm docere prætendit, ſemina, ſecus ac in viſco obtineat, ſemper ex apice primum germen protrudere, velim evolvat Cæſalpinum, qui cor ſ. punctum radicis pullulaturæ diſtinctè hic in ſummo, ibi in ſede locat, Joſephum ab Aromatariis,

 tariis,

tariis, qui ita: planta vel gignitur, quâ parte pediculus adhæret, vel prorſus contra, vel alio quodam modo &c. addat Giareſchum è Diar. Liter. Parmens. A.88. n. 2. imò nec illud Theophraſti, quem citat, negligat, quod de differentia leguminum, frumentorum &c. reperiet hiſt. pl. l. 8. c. 2. obiter quoque mentionem de germine viſci factam me legiſſe nuper memini in libello Jun. Helmontii d. Alph. Nat. Hæc ſunt, quæ quidem occaſione Epiſtolæ ex Atlantide ſcriptæ, raptim hâc vice monenda duxi.

(Tubingâ Auguſt. Vind. d. 19. Novembr. Anno 1697. miſſa.)

OBSERVATIO CXXXII.

DN. D. EBERHARDI GOCKELII.

De Ruptione & dilaceratione venarum cervicis uteri, & colli veſicæ, ex caſu.

ANno 1697. Menſe Februario, Eva Lindin, Ephippiarii filia, Giengenſis, in hypocauſto improvidè obambulans, toto dextro pede, usque ad inguen, per quadratum ſoli foramen, per quod textores panos in textrinam ſubterraneam demittere ſolent, decidit, ubi per ſubitaneam ac violentam divaricationem & expanſionem crurum, venas colli uteri disrupit, & ſimul collum veſicæ dilaceravit, quam læſionem ſtatim uberrima hæmorrhagia ſecuta eſt, quæ tibialia ſanguine implevit, & ſolum hypocauſti copioſiſſimo ſanguine conſpurcavit. Hanc hæmorrhagiam ingens dolor, cum pudendorum tumore & inflammatione inſe-

inſecutus eſt, qui unguento ex ſambuco, floribus calendulæ, & butyro parato oblinitus fuit. Hinc patiens dolorem quidem tolerare potuit, ſed non ſine dolore urinam, cum ſedimento craſſo ac copioſo pure permixtam, reddidit. Poſtea verò urinæ incontinentiâ laboravit, quæ identidem præter voluntatem effluxit.

Quod ergò hic affectus à dicto caſu pervenerit, venæque cervicis uteri ruptæ, & collum veſicæ læſum ac dilaceratum fuerit, idipſum fuſiſſima ſtatim poſt caſum inſecuta hæmorrhagia, dolorifica item urinæ effluxio, ac materia purulenta urinæ permixta & excreta, ſatis ſuperque teſtantur. Et quia ſtatim in principio cura legitima neglecta, parteſque læſæ & exulceratæ, medicamentis lenientibus, mundificantibus, ſiccantibus, & conſolidantibus tractatæ non fuerunt, materia hæc purulenta inſignem acredinem nacta eſt, vicinaſque partes, ac muſculum ſphinctērem veſicæ, ejuſdemque nervum inſertum corrodendo in tantum læſit & exedit, ut muſculus colli veſicæ ſe non amplius contrahere, veſicam claudere, ac urinam retinere potuerit, ex qua cauſa urinæ incontinentia ſecuta eſt, quæ exulceratio poſtea in ulcus ſordidum ac cacoethes, cum affluxu variorum acrium, impurorum ac ſordidorum humorum, conſolidationem impedientium degeneravit.

Et licet curatio hujus mali dubia & difficilis ſit, ea tamen per ſequentia remedia tali modo tentari poterit, ut 1. Corpus præparetur, & pravi ac vitioſi humores expurgentur. 2. Partes exulceratæ mundificentur. 3. Eædemque per fomenta, inſeſſus, & medicamenta adſtringentia, ſiccantia, epuloticа, ac cicatri-

catrizantia conſolidentur, & 4. bona ac conveniens Diæta obſervetur.

In quem finem ſequentia Remedia à me præſcripta fuerunt.

Et quidem 1. ad vitioſorum humorum expurgationem. ℞. Raſur. lign. Guajac. ℥iiij. Saſſafr. ʒvj. Rad. Sarſæparill. ℥iß. Chinæ ℥j. Macerentur per noctem calidè in aq. pur. ℔v. dein in vaſe clauſo ſ. a. coquantur add. Rad. polypod. qu. ℥iß. Turbith gummos ʒv. Herb. ſanicul. pyrol. Veronic. Agrimon. ãã. Mj. pulp. Colocynth. ʒj. Liquirit. raſ. ʒvj. M. F. decoctio ad remanentiam ℔iij. d. Colatura ad vaſculum. De quo Decocto manè jejuno ſtomacho, & meridiè circa horam ſecundam ℥v. vel quartarium dimidium bibatur.

2. Promundificatione fiat injectio per Siphonem. ℞. Aq. alumin. ſeu Mercurialis ℥iß. Plantag. ℥iij. Roſar. ℥j. Mell. Roſat. Colat. ℥j. Ung. Ægyptiac. ℥ß. M. D. ad vitrum.

3. Pro ſiccatione & carnis generatione. ℞ plumbi uſti & loti, Pulv. teſtar. oſtreor. calcinat. Rad. Irid. Florentin. ãã. ʒj. Ung. diapompholyg. de tutia ãã ʒvj. vel ℥j. M. D. ad fictile. Quod Unguentum turundis illitum partibus læſis applicetur.

Pro fomento, Cortices ligni quercini & radices conſolidæ majoris in aqua fabrorum, in quâ candentia ferramenta extinguuntur, coquantur, ac ille vapor decocti in vaſe apto excepti, cui patiens inſideat, divaricatis cruribus, pudendis excipiatur, ſæpiusque repetatur.

Hinc ℞. Fol. Betonic. Agrimon. Salv. Lauri, Roriſmarin. Myrt. Puleg. Origan. Flor. Stœchad. Arab. balauſt. ãã. Mj. Rad. conſolid. maj. ℥iij. biſtort. tormentill. ariſtol. long. ãã. ℥ß. alumin. roch. ℥ij. M. & con-

conciſ. d. ad ch rtam. Coquantur in aquâ fabrorum modò dicta pro inſeſſu, ſæpius ac multoties repetendo.

4. Quod Diætam concernit, Aër ſit temperatus, Cibi euchymi & laudabiles, bonum ſuccum ac ſanguinem generantes, ut juſcula carnium, ptiſana hordeacea, pruna, pulmenta ex ovis parata, mala elixa &c. è contra cruda, coctu difficilia, acria, ſalſa, fumo indurata, &c. vitentur.

Pro potu ordinario confert tale Decoctum. ℞. Scob. lign Saſſafr. Guajac. āā ℥ß. Rad. Chin. ℥ij. Conſolid. maj. ℥ß. Herb. agrimon. Mj. ſanicul. Alchymill. āā. pj. Liquirit. ℥j. paſſul. min. ℥iß. ſem anis. fœnic. aa. ℥ß. Miſceantur & coquantur omnia cum duabus menſuris aquæ fontanæ ad tertias. De cætero quies procuretur, ac patiens in lecto decumbat; alvus ſit aperta; ac fortiores animi commotiones refrenentur.

Quibus dictis adhibitis remediis patiens melius habuit, ac urinam retinere potuit.

(*Miſſa Ulmâ Norimb. d. 17. Decembr. 1697.*)

OBSERVATIO CXXXIII.

Dn. D. JOHANNIS JACOBI HARDERI,

De Funeſta uteri ruptura ipſo partus tempore.

PRæterquam quod fæminæ gravidæ toto quo utero geſtant tempore, moleſtiſſima experiuntur ſymptomata, ut nihil magis præter horam partus exoptent, contingit quandoque ut hæc illis ipſa funeſta

neſta ſit, votumque in lachrymas præter ſpem mutetur. Ruſtica 30. & quod excurrit annorum in vicinia aliquot liberorum mater, quorum tamen vivum nullum vidit, præter filiolam nupero Novembris menſe hoc ipſum comprobavit. Enim verò completa periodo ordinaria, cum dolores partus ingruerent, ſuo equidem officio functa eſt, ſed fruſtra, quin viribus orbata protinus ad Chirurgi periti operam confugeret: accedens hic matrem labore attritam cum extremorum frigore deprehendit, ſimulque fœtus ſitum exploraturus, hunc in abdominis pariter atque uteri capacitate deliteſcere notavit, quæ ſingula nobis redux enarravit, ſimulque quid facto opus arbitremur quæſivit; Juſſimus hinc ut fœtum, ubi mater tantiſper ad ſe redierit extraheret, quod & factum ocyus citra matris incommodum, quia verò ex gravi uteri læſione lethalem exitum prævidimus, ut horam mortis indicarent, una petere juſſimus: factum eſt hoc poſtridiè, circa veſperam neque ſectionem deſiderantibus abnuerunt: inde inciſo convenienter hypogaſtrio, & remotis quæ impedimento eſſe poterant, in uteri collo non procul ab orificio interno, qui nondum prorſus ſubſederat, foramen manifeſtum detexerunt per quod via in abdominis cavum infanti patuit, ſub ſiniſtro pubis oſſe, quod prope comiſſuram apophyſin acuminatam oſtendit; inſuper dignum notatu eſt, quod ſinguli quos peperit infantes fiſſuram illâ cranii parte quâ ſub dicta apophyſi tranſire neceſſe habuerunt, infelici ſorte paſſi ſunt, quorum equidem cauſam ſuo tempore perveſtigabimus.

(Baſileâ Auguſtam Vind. d. 18. Decembr. A. 1697. miſſa)

OBSERVATIO CXXXIV.
DN. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI,
De Aſthmate Cardiaco.

PErilluſtris puerulus menſium circiter novem, poſtquam mox à nativitate frequenti quadam, & ex improviſo tam inter dormiendum quàm inter vigilandum cum faciei primùm rubore, mox livore, & tandem pallore recurrente, ſpirandi difficultate, non quidem diu durante, aſt quavis die ſæpius repetente, & de ſeptimana in ſeptimanam increſcente, afflictus fuit, nuper paucis ante ſuum obitum diebus, meæ commisſus eſt curæ. Huic, ſiquidem nec aſthmatis humidi, & à tracheæ ejusque veſiculoſorum ramulorum pituitosâ inundatione dependentis, nec aſthmatis ſicci, à pulmonum calculis, tuberculis &c. inducti, nec deniq; aſthmatis pneumatici & à flatibus oriundi, ſigna præberet, contra aſthma convulſivum (non tamen ſine gravi ſuſpicione excreſcentiæ alicujus polypoſæ in thorace latentis & incurabilis) medicamenta adhibui, ſed in caſſum. Aperto poſt mortem corpuſculo, pleraque viſcera inventa ſunt multò majora, quàm par erat, & quidem auricula cordis dextra adeò grandis, ut ſiniſtram magnitudine benè ſepties ſuperârit, ac totum cordis latus dextrum, usque ad ejus apicem contexerit, obduxeritque, imò infra deſcenderit. Quamvis ergo corpusculi iſtius à tam magnis contentis infarctus ad hanc ſpirandi difficultatem multum contribuere potuerit, auriculæ tamen huic prodigioſæ plurimum adſcripſi, & quia illa pars cor-

dis vel ſaltem appendix eſt, ipſam hanc ſpirandi difficultatem Aſthma Cardiacum nominare non dubitavi. Quomodo verò hæc enormis cordis auricula reſpirationem impediverit, & tandem actualem ſuffocationem induxerit? patet ex communi Anatomicorum, & noviſſimâ Doctiſſimi Petri Dionis Pariſienſis Doctrinâ, quæ eſt: Auriculas cordis menſuræ vice erga cor fungi, atque impedire, ne nimia uno tempore ſanguinis copia nimisque præcipitanter in ventriculos cordis infundatur, homoque ab ipſo ſuffocetur, quod hæc auricula tam magna præſtare non potuit, quin imò, contrarium præſtitit.

OBSERVATIO CXXXV.

DN. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.

De Affectu quodam ſingulari ſpasmodico curato.

ANno proximè elapſo nobilis Dominus NN. Annorum circiter 30. habitus carnoſi, ſingulari quodam affectu ſpasmodico, alternis ferè diebus ſemel recurrente, & plùs minùs dimidium horæ quadrantem durante, laborare cœperat; corripiebatur enim ex improviſo ſpasmis tremulis per muſculos & ſuperiorum & inferiorum artuum vagabundis, ſed ita levibus, ut iis durantibus nihilominus ſtare aut etiam ambulare, eſto non ſine difficultate, poſſet, his parum perdurantibus acceſſit palpitatio cordis, oppreſſio pectoris, atque interceptio reſpirationis tanta, quæ ægrum fortè jacentem etiam ſurgere cogeret; tandem ſimiles ſpasmi etiam cervicem, imò caput apprehenderunt,

unde

unde ejusdem quaſi in gyrum actio, atque vertiginoſa confuſio, ita ut niſi quo ſe ſuſtentaret ad manus haberet, etiam in terram procideret; verùm pauculis momentis elapſis, prior rediyit ſerenitas, nihil niſi aliquali membrorum debilitate perſeverante. Huic conſilium meum imploranti, præmiſſo prognoſtico: affectum hunc facilè in epilepſiam degeneraturum, utpote à qua non niſi gradu differret, ἐπιτηδείως conſului ut ſequitur: Præmiſſa convenienti purgatione venam, ſiquidem plethora urgeret, incidi juſſi, quibus peractis ad abſorbentia, præcipitantia, contemperantia, antiſpasmodica ſpecifica, & in ſpecie ad Spiritum Cornu Cervi ſuccinatum, acceſſi, nec ſine fructu, nam intra paucas ſeptimanas (obſervatâ ſimul debitâ victus ratione) morbus in tantum imminutus eſt, ut in ſeptimana vix ſemel, & quidem ſine comparatione levior fuerit obſervatus; attamen, quia & ſic adhuc moleſtus, præſertim cum & defluxio quædam faciem iteratò petens acceſſerit, repetito denuò medicamento purgante, reiterataque venæſectione, decoctum ex lig. Guajac. Saſſafr. Rad. Chinæ, Salſæparillæ &c. pro ciendo ſudore præſcripſi, & ecce, poſtquam æger ſepties circiter ſudavit, toto corpore mirâ, & mihi ſaltem in tanta copia nunquam viſâ impetigine correptus eſt, cum pruritu inſigni, à qua tamen continuatis ſudoribus denuò eſt liberatus, & tam à prædicta defluxione, quam ipſo affectu ſpasmodico totaliter curatus. Hanc obſervationem bono publico ideò communicare placuit, ut poſtquam cauſa Epilepſiæ hactenus valdè controverſa atque obſcura exiſtit, quæ tamen hic cum cauſa impetiginis eadem, & ſaltem quoad locum affectum diverſa ex-

 ſtitiſſe

ſtitiſſe videtur, forte ad illam clarius cognoſcendam, demonſtrandamque, ut & efficaciùs oppugnandam, aliquod inde lumen accendatur.

OBSERVATIO CXXXVI.

DN. D. PHILIPPI FRAUNDORFFERI.

De Affectione hyſterica typum febris quotidianæ imitante.

MUlier maritata, hactenus verò nunquam gravida, per plures dies circa horam decimam matutinam oſcitare & laſſa torpidaque fieri incipiebat, circa horam ſecundam pomeridianam laſſitudo & torpor ita increſcebat, ut nec ampliùs ſtare vel ambulare poſſet, ſed lecto ſeſe committere opus haberet, circa ſeptimam veſpertinam acceſſit ſomnus profundus cum ſtertore, circa undecimam noctis omnium ſenſuum tam internorum quam externorum item & pulſus atque reſpirationis ad ſenſuum quaſi abolitio, circa horam ſecundam noctis fortiùs iterum reſpirare cœpit & pulſus augeri, item ſenſus redire, ita ut puncta aut vellicata ſentiret, & fortiori clamore etiam excitaretur; circa horam quintam matutinam etiam ſponte fuit expergefacta, ſed adhuc torpida laſſaque usque ad ſeptimam matutinam, ubi tota ſana, vegeta, & obeundis negotiis domeſticis plenè apta facta eſt. Circa horam decimam matutinam morbus prior denuò rediit, & ut modò dictum increvit & decrevit, & ſic per quindecim dies continuos. Huic inter alia affectibus uterinis accommodata remedia maximè profuit pulvis meus hyſtericus in Tabula mea Smaragdina deſcri-

ſcriptus, & hæc mixtura: ℞. Aq. hyſteric. cum Caſtor. ℥iij. Eſſent. Caſtor. ℥iij. Spir. C. C. Succin. ʒj. Succin. præp. ʒiß. Syr. de Cinamom. ʒj. m. detur cochleatim.

(Miſſa Brunâ 18. Decembr. 1697. Norimbergam.)

OBSERVATIO CXXXVII.

DN. D. MARCI GERBEZII.

De Ictero auripigmento curato.

Quanta monſtra in natura! precabatur elapſo Aprili ſclopetarius quidam Ictericus, cæterum juvenis & robuſtus, quò pro abigenda illa corporis decoloratione idoneum quidpiam ſibi ad pharmacopolium præſcriberem. Et præſcripſeram ulterioribus remediis præmittendum pulverem purgantem ex ſpeciebus diaturbit cum rhabarbaro. Petit is pharmacopolium, pulverem eximit, & ad togæ ſacculum demittit poſtridie ſumendum. Inter domum eundem verò præterea etiam à proximo Inſtitore auripigmenti ℥ß. ponderis civilis, pro fundendis globulis ſclopetariis minoribus emit, inque eodem ſacculo recondit chartæ involutum. Poſtridie mane adhuc in lecto exiſtens ab uxore ſibi pulverem purgantem in ſacculo togæ eum in finem aſſervatum, ex jure dari petit. Obſequitur illa, ſed purgantis loco auripigmentum arripit, mox habitâ quidem ſuſpectâ flavedine illâ pulveris, quòd ad propulſandum Icterum tamen eſſet ordinatus, rata eſt eum ſtudio talis, utpote Ictero aſſymboli, coloris eſſe debere. Maritus auripigmenti oblitus, ſcutellulam arripit, evacuatque feliciter. Sed paulò poſt ingentem in ventriculo ardorem ro-

ſionemque ſentit, ad vomitum cogitur, adque ſedem, mox verò ad utrumque ſimul. Uxor verò, ut operationem ſecundaret, & ardorem illum, corroſionesque abluendo mitigaret, frequentia jura porrigit. Angebatur quidem maritus graviter, quòd talem tamen, tantamque debere eſſe medicamenti operationem cenſeret, tulit, ut potuit; donec tandem evacuationes non ſolùm per ſe ſunt factæ rariores, verùm etiam planè ceſſavêre. Circa meridiem prandium aſſumit, vinoque meliori pro ventriculi tanta perpeſſi corroboratione intinctum panem; & recuperat vires eatenus, ut lecto ſurgere, togamque induere potuerit. Et caſu ad ſacculum demiſsâ dextrâ chartam cum pulvere extrahit, auripigmentum in ea reconditum ratus: ſed ecce purgantis ſignaturam in ea conſpicit, pulverem ruffum, ſecus ac auripigmentum eſſe ſolet, intuetur, exhorreſcitque una cum uxore eatenus, ut vix non conciderit. Quare mox me arceſſiri curat, ut impendentem forte ex auripigmento mortem averterem. Et adfui quidem ſubitò, quòd nullum tamen ulterius periculum ei supereſſe viderem, ægrum bono eſſe animo juſſi. Ut ſolùm ad lectum ſe conferret, pro meliori ſecuritate ad avellanæ magnitudinem de theriaca aſſumeret, & obdormire tentaret: paruit ipſe, & expergefactus eſt citra querelam: Imò cum eo quoad icterum emolumento, quod flavedo illa cutis, oculorumque jam ex parte diſcuſſa videretur, poſtmodum verò intra paucos dies intra ulteriorum remediorum uſum in integrum evanuerit. Num vero hancce curationem imitari liceat? res dubia redditur non ſolùm ex eo, quod auripigmentum aliàs ſit naturæ humanæ inimiciſſimum, unumque ex dele-

lete-

teriis vehementiſſimis, verum etiam, quòd ejusdem ab aliis tentatæ aſſumtiones fecêre effectus infeliciſſimos. Sic ante triennium hîc Labaci malignus nonnemo integrum manipulum auripigmenti, non quidem ut curaret, ſed occideret certam Illuſtriſſimam Dominam eduliis intra coquendum injecerat: & valde inde torta fuit non ſolùm dicta Illuſtriſſima Domina, verùm & reliqua inde paſta familia, ut Illuſtrisſima Domina vix vix evitata pro tunc morte, usque ad ultimum vitæ ſuæ Spiritum, quem unò circiter poſt anno traxit, utrisque extremitatibus contracta manſerit. Reliquorum verò quidam ſanguinem per utrasque poſtes rejecerunt, procul dubio, ſi venenum ſubtilius comminutum fuiſſet, (erat verò ſaltem ruditer) neque potiori ex parte ollæ fundo adhæſiſſet, adhuc diriorum accidentium cauſæ extitiſſet? Aliam ſiquidem puellam novi, quæ ex ſtudio, ut ſe interficeret; aſſumpto, neſcio tamen qua quantitate, arſenico flavo, planè interiit, poſtea à Carnifice in rogo combuſta. Quod eo verò in Caſtris, Moravia, & Sileſia, (prout id mihi refert Jacobus Ubez nunc hujus loci, olim verò Caſtrenſis Chirurgus) ad profligandas febres contumaciores, præcipuè quartanas; adeò liberè utantur empirici, illud potiùs minori ejus, quâ aſſumere illud ſolent, quantitati, aſſumentiumque robuſtis naturis videtur eſſe adſcribendum. Doſis ſiquidem, quâ ille ipſe jam dictus Chirurgus eum ſubindè præbuit, grana ix. Arſenici, & Salis com. piperisque longi aa. gr. totidem non exceſſit. Quamvis idem ipſe faſſus ſit, illud in quibusdam ſubjectis ſuam operationem per ſuperna & inferna quandoque cum maxima ferocia perfeciſſe. Unde qui eo impoſterum uti volent,

volent, quemadmodum ſolent, teſte Hoffmanno in Clave Schrœderiana, aſthmatici, caute parcèque id facere recordabuntur. Ego ex mea parte aliàs ipſi planè nil conſiderem.

OBSERVATIO CXXXVIII.

Dn. D. MARCI GERBEZII, De Ovo Galli Gallinaceo ſemicircularis Figuræ.

CUm ſemicircularis figuræ galli gallinacei in Parochia S. Viti unico abhinc milliari diſſita, elapsâ æſtate paſto ovo, mihi quidem diverſa de ejus origine, naturâ, locô, figura, inde progenerando pullo &c. Curioſis communicandi occaſionem pronuper præbuit, Exc. Dominus Andreas Kaydaſch Medic. Licentiatus, quòd potiora verò jam antehac fuerint ab aliis naturæ curioſis tacta, eandem cramben nolo ulterius recoquere. Quamvis illibenter aliorum opinionem non perciperem, quonam in loco ſimile ovum formatum cenſeant, qua ex materia, & ubi tam curvam hancce figuram adeptum; num adhuc in loco ſuo natali, num potius ſub ipſa fortè valde ardua & lenta excretione. Cæterum figuræ erat, magnitudinisque hujus ipſius, quam exactè delineatam hic coram conſpicis, vitelloque planè deſtitutum.

Fig. XLVIII.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIX.
Dn. D. MARCI GERBEZII.
De intertriginibus, ſeu cuticulæ ex longiore decubitu abraſione.

INtertrigines, ſeu cuticulæ ex longiore ægrorum decubitu obraſiones adeò quidem raræ non ſunt, neque communiter ſingularis conſiderationis; quòd eæ tamen quibusdam ſolùm accidant, non verò omnibus diu decumbentibus, neque in omnibus affectibus, dignum mihi viſum fuit ſaltem obiter perſpicere, undenam iſtud accidat. Priusquam verò opinionem deſuper meam proferam, notificare debeo, me easdem communiter deprehendiſſe potiſſimum apud phthiſicos, & quidem primò nuper apud duos cum ſinuoſis in regione trochanteris ſeu femorum rotatoris majoris apoſtematibus. Apud alios è contra, etſi diu etiam decumbentes, non ita. Quemadmodum nunc in cura habeo nobilem à xxx. annis podagricum jam ab aliquot menſibus conſtanter lecto affixum, ob febrim lentam continuam podagræ antehac aliàs ſaltem alternis menſibus recurrere ſolitæ, jam per octo menſes continuas cum virium & corporis extrema extenuatione vices agentem, qui tamen de nullis adhuc hactenus conqueſtus fuit cuticulæ ex decubitu abraſionibus, quod ipſum puta & de certa vetula aſthmatica præ puro ſenio jam ultra annum conſtanter lecto immerſa &c. Quibus conſideratis propterea probabiliter mihi concludere videor, dictas cuticulæ abraſiones propterea non quibusvis diu decumbentibus quibuscunqueve affectibus detentis accidere, quòd

tales obraſiones (niſi à ſpeciali urinæ acrimonia, ſtratorum duritie, linteaminumve ſcabritia dependeant) ſint putreſcentis in corpore ſanguinis, corporisque ipſius ad putredinem proximè diſpoſiti, vel inſenſibiliter etiam actu putreſcentis ſoboles, quæ putredo verò ſeu putredinoſa conſtitutio, quia neque in omnibus diuturnis affectibus, neq; in quibusvis diu decumbentibus ſubjectis reperitur, neque viſuntur memoratæ cuticulæ abraſiones, multò minùs apoſtemata illa in regione trochanteris hactenus à me ſemper pro peſſimis ſignis habita, quæ ipſa ratio etiam eſt, quòd in taliter latente univerſali corporis putredine ſimiles abraſiones, multò minùs adhuc dicta apoſtemata ſint vix curabilia, & ægri potiùs in iis intereant.

(*A. 1697. d. 20. Dec. Labaco-Norimbergam miſſæ.*)

OBSERVATIO CXL.
Dn D. EMANUELIS KÖNIGII.
De Tinctura Corallorum veriore.

Tincturis Corallorum menſtruis vel acidis vel etiam alcalicis paratis vulgaribus longè antecellere illam quæ menſtruo Sulphureo ceu Sulphur cognatum (vel ex dicto *Democriti de art. magn.* naturâ natura gaudet) intimius ſibi aſſociante & eliciente paratur, diximus equidem in *Regn. Miner. Sect. III. ſub fin. C. X. §. 4.* verùm quùm illic enchireſin, quâ illa in Helvetiâ noſtrâ parata eſt, per omnes circumſtantias haud tradiderimus, illaque multum non ſaltem confirmet Corallorum reſolutionem Langellotianam in *Epiſt. ad Præcellentiſſ Nat. Curioſ. p. m. 7.* ſed & illuſtret, candidè pro-

proceſſum integrum propalare animus eſt, præſertim quum inde viam pandamus ad altiora ſulphura etiam metallica purificanda & exaltanda. Modus ille talis eſt: Sumuntur Corallorum rubrorum fragmenta integra mundata, iisque affunditur menſtruum ſulphureo oleaginoſum, ut eſt aromaticum v.g. aniſi vel fœniculi aut ſuccini: coquuntur ſimul caute in cucurbitâ cum alembico cœco in arena calidâ bulliendo per ſex, ſeptem aut novem horas donec corallia inſtar oſſium alba jaceant & oleum ſit omninò tinctum, quod dein decantandum. Decantatum verò immittatur retortulæ loricatæ & abſtrahatur paulatim igne cinerum leniter oleum, donec appareat rubedinem ſimul progredi & propelli velle, & ſic reperietur reſina Corallorum in fundo retortæ, quæ tenaciter & fortiter adhærebit; Hæc v. ut obtineatur & à retortulæ fundo commodè liberari poſſit, opus eſt ut adſpergatur ſale tartari & affuſione aquæ calidæ coquantur invicem ſimul in balneo fervente, donec cum ſale tartari unà quoque reſiduum oleum imbibitum ſit; quo facto rurſus pellenda hæc per retortam ut tranſeant in formâ lactis, cautè tamen, animadvertendo, ne reſina Sulphuris comburatur: quo verò facto huic reſinæ cognatum menſtruum nimirum Spiritus Vini rectificatiſſimus eſt affundendum & in eo tamdiu bullire ſinendum, quousque appareat illum rubedine tinctum eſſe, id quod toties repetendum, donec Spiritus vini rectificatiſs. non ampliùs coloretur Hæc verò filtranda & denuò abſtrahendus Spiritus vini ad conſiſtentiam & tum rurſus coquenda in aquâ & bullire ſinenda, filtrataque aqua rurſus abſtrahenda; idque toties repetendum donec pauciſſimæ feces in filtro

 am-

amplius remaneant. Extractum autem evaporatum modoque prædicto elicitum, verius nomen meretur Sulphuris & Tincturæ genuinæ Corallorum, ſervarique poteſt vel formâ ſiccâ vel liquidâ, nimirum illud in Spiritu vini ſolvendo & digerendo, ſic enim tincti guttæ ſeptem vel novem in aquâ deſtill. meliſſæ v. g. infuſæ illamq; lactiformem reddentes, aſſumptæ, mira in affectibus melancholicis & hyſtericis operabuntur, movet enim menſes vel etiam nimium eorum fluxum remoratur, ut & inde obortæ ſuffocationes dementiæ imò incantamentis adſcriptæ affectiones ſedentur, magna enim Corallorum vis in archæi exorbitantis, præcipuè uterini placatione & quiete reſtituenda, dum non minus horum ſulphur ac metallica ſulphura, docente *Helmontio in Tract. Poteſt. Medicam.* §. 44. *p. m.* 576. pleniſſimè & pertinaciſſimè reſiſtunt, ne à digeſtione in alimentorum republicâ deflectant, atque ideò ſervent geniales ſui poteſtates liberas & infractas: imò ſi ſignaturis etiam heic loci locum dare animus eſt, animadvertere datur ſapientiſſimum & Benigniſſimum Conditorem ſignaſſe & dotaſſe corallum utero, tanquam nobile vegetabile, quum ex eodem homo quoque primam ſortiatur vegetationis radicem.

OBSER-

OBSERVATIO CXLI.

Dn. D. EMANUELIS KÖNIGII.

De Tinctura Antimonii veriore.

QUum in proceſſu antecedenti Tincturæ Corallorum verioris dixerimus modum pandi etiam altiora ſulphura metallica obtinendi, purificandi & exaltandi rem minime ingratam curioſo Lectori nos facturos confidimus ſi præparationem ejus genuinam, quæ fit ope ititidem menſtrui ſulphurei, heic ſiſtamus, idque vel ob egregias laudes quas Tincturæ ejusmodi *Theophraſtus, Paracelſus* & *Khunrad de Igne Magor. Philoſ. in Append.* aliique attribuerunt, ceu *cit. Khunrad* minimè veritus fuit, illam ut cœleſte remedium in Podagrâ, Hydrope, Apoplexiâ, Epilepſiâ, Febribus omnis generis, ipſâque peſte imò ceu verum antidotum ad vitam longam deprædicare. Ad hanc Tincturam autem feliciter obtinendam, ante omnia opus eſt ſulphur antimonii purius ex ſcoriis antimonii poſt confectionem Reguli (qui ut pars antimonii metallica ex actione ſalium alkalium in ſulphur libera facta in fundum decidit, cum ſtriis in eo apparentib⁹ diſtinctos & parallelos ſit⁹ ſervantibus non ſecus ac illæ primitus per antimonii corpus agebantur) elicere, id quod, ut notum, fieri ſolet coctione harum ſcoriarum in aquâ communi & filtratione, quâ factâ injicitur ſenſim ſufficiens quantitas aceti fortioris, ut ejus ſpicula in poros alcali nitrotartarei ſulphur Antimonii continentis ſe intinuantia ſulphur formâ pulveris in fundum præcipitent; hoc verò quia adhuc multis nigris ſordibus contaminatum eſt, ut purius obtineatur, rurſus filtrandum, filtra-

tratumque denuo præcipitandum, ſicque procedendum donec ſubtiliſſimum ſulphur tantùm remaneat ſatisque paucum; Quia verò nec hocce adhuc penitus liberum eſt ab impuritatibus, id adhuc bis, ter vel quater ſublimandum eſt, donec omninò nigræ ſordes abſcedent: Ab hoc ſublimato puriſſimo poſtea pro meliori & tutiori fixatione abſtrahendum eſt acetum deſtillatum puriſſimum, ſervandusque pulvis edulcoratus pro Confectione Tincturæ noſtræ genuinioris: nimirum ſumitur ſulphur hocce purius ad unciam unam vel alteram, huicque affunduntur Olei aniſi vel ſuccini unciæ ſex vel decem, coquunturque invicem in alembico cœco in arenâ, donec omnia ſoluta ſint, tum immittuntur retortæ & igni arenæ abſtrahitur & deſtillatur Oleum, ut ſulphur reſolutum maneat in fundo, ad cujus ſolutionem opus eſt affuſione Spiritûs vini optimi repetita, nimirum toties, donec non ampliùs tingatur, ſolutiones autem invicem mixtæ, prout Spiritus vini vel magis vel minus igne leni abſtrahitur, exhibebunt vel Tinctur. ſulph. antim. ſiccam, vel liquidam velut heroicum medicamentum & univerſale ſanguinis mundificativùm. Aliter quoq; Tinctura ſulphuris antimonii obtinetur ex prædicto ſulphure ſummè purificato, poſtquam ab eo Spiritus aceti abſtractus fuit, illudque edulcoratum eſt, ſi nimirum accipiatur nitri cum calce vivâ, ſtratum ſuper ſtratum faciendo, facti terque calcinati q. v. illudq; fundatur in crucibulo, tum ei addatur ſulphur antimonii purum prædictum, ſicque mixta hæc ſaltem in crucibulo ſuper carbones accenſos non tamen nimis violentos leniter calcinentur, quo facto affundendus maſſæ huic Spiritus vini, qui intra poros ſuos ſuſcipiet

piet Quintam Eſſentiam ſulphuris, relinquens nitrum in fundo maximâ ex parte, ſic ut pauciſſimum ejus unà ſolutum fuerit; quare etiam ut tanto purius ſaltem ſulphur absque ſale nitri obtineatur præcipitatio cum Spiritu aceti, filtratio & lotio inſtitui poterit donec omnes ſalſedines & feces ſeparatæ ſint & in filtro Quinta Eſſentia ſulphuris inſtar Gummatis remaneat, quod vel in proprio aceto vel Spiritu vini vel quovis alio vehiculo ſolutum, Tincturam antimonii elegantem, quæ nullo modo amplius præcipitabitur, largietur, Gummatis a. hujus, quod ſapore dulce eſt, occaſione, curioſo Lectori ruminandum ſiſtimus, annon more modoque *Kerkringiano comment. in Curr. Triumph. Antimon. p. m.* 210. ex hujus Gummatis antimonialis dulcis ſolutione in Spiritu vini, Oleum antimonii dulce obtineri poſſit, ſi nempe imponatur circulatorio decenti vaſi & imponatur balneo Mariæ tam diu digerendum, donec appareat Tincturam ſe ſurſum attollere & volatilem per alembicum tranſire, tum refrigeſcat & imponatur materia cucurbitæ vitreæ, & deſtilletur Spiritus ſecundum artem, & transibit rubicundiſſimus per alembicum, ut ſanguis, dein abſtrahatur rurſus Spiritus Vini & dubio procul obtinebitur Oleum pretioſum in morbis inſanabilibus, de quo cit. loco Kerkringius, qui citra omnem calcinationem ex minerâ antimonii ſubtili ſulphure turgente cum proprio diſſolvente, quod non aliunde quam ab eadem minera antimonii cum aqua pluviali fermentata educitur, Tincturam antimonii hancce nobiliſſimam confecit. Licet a. præfatus Tincturas antimonii parandi modus magnopere ſit æſtimandus, longè tamen iis anteferenda *Tinctura antimonii cum auro*, ut

vocat

vocat *Magnus Poterius Pharmacop. Spagyr. L. II. C. XII. p. m.* 436. dicens: His ſi aurum accedat debito modo paratum, vera & perfecta antimonii præparatio habebitur, nimirum referente in hanc rem *Borrichio de Hermet. Ægypt. Sapient. p. m.* 303. Petrus Poterius Medicus feliciſſimus, Gallus ſanguine, Practicus Bononienſis, aurum & argentum recluſit, ut monumenta ejus teſtantur, uſurpavitque in morbis variis adeò proſperè, ut non modo honeſtiſſimè locupletârit familiam, ſed & eandem medicandi felicitatem Filio reliquerit, qua eundem nuper admodum ad invidiam usque Romæ inclaruiſſe refert oculatus teſtis Clar. Laur. Foſſius. Tincturam autem hancce laudatus Poterius variis inſignit nominibus, illam nunc Theriacam metallorum, ut *Obſerv. Med. p. m.* 41. nunc pulverem antipodagricum, ut *Obſerv. p.* 42. *p.* 50. *p.* 142. nunc ſulphur martiale, ut *Obſerv. p.* 231. nunc ſulphur hydroticum ut *Obſerv. p* 84. *p.* 61 *p.* 82. paulò apertius autem ſulphur metallorum *Obſerv. & Cur. Cent. III. C.* 37. *p. m.* 245. vocitando, ubi de pretioſo & nobiliſſimo hocce medicamento refert id vias omnes obſtructas reſerare non calore ſed reſtaurando naturam, refocillatis famelicis Spiritibus, quâ viâ, quâ methodo infinitos propè è cymba Charontis eduxerit, quodque illud ſanis non minùs conducat, corpus ab omni materia tartarea præſervet, omne humidum ſuperfluum inſenſibiliter abſumat; catarrhos ſeu quasvis fluxiones ſiſtat & mira alia præſtat. Præparandi modum arcani hujus ænigmaticè plures exhibent, præſertim autem *Theophraſtus Paracelſus Helvetius* ſiſtit ſub finem *Oper. Tom.* 17. *p. m.* 149. his verbis; Crocus ſolis per aquam ſalis debet extrahi, qua natura ipſius metallica

seu

ſeu malleatio frangitur reſidentia ablutâ cum aquâ calidâ, Crocus per Spiritum vini elicitur, quo rurſus ſeparato, crocus in fundo remanebit, qui per elevationem gradu ignis per quinque vices ſublimando mutatur in liquorem ſeu veriſſimam Quintam Eſſentiam Solis. Cum hoc miraculoſa operaberis. Requiritur autem non putatitius ſed induſtrius & peritus artifex. Hæc Paracelſus. Verba hæc quia ambigua admodum laudatus *Poterius Pharmacop. Spagyr. L.II. C.XIV. p. m.* 452 & ſeq. dilucidat, docendo, remedii hujus generoſi decentem præparationem conſiſtere in auri diſſolutione, ſed tali, quæ non fit cum corroſivis, ut ſunt ea omnia quæ è ſalis ſpiritibus conficiuntur, ſed cum iis quæ auro ſunt homogenea, naturæ ſcilicet mineralis & radicis metallicæ, ceu aptè in hanc rem inquit *Nollius Phyſic. Herm. p. m. 332.* Natura quia ob aëris cruditatem frigorisque virtutem (preſſionem ſcilicet ejus ingentem, quâ particulæ auri proximiùs invicem junguntur & nonniſi pauciſſimi iique exiguisſimi pori remaneant) pori auri occluduntur, ſine arte poros auri aperire nequit, hinc nutrimentum quo ad ſeminis ſpiritualis generationem ſtimuletur, ipſi ſubminiſtrat ab ipsâ naturâ procreatum, Artificesque naturam naturæ jungunt, aurum ſolvunt & inde multiplicare poſſunt. Solvens autem illud metallicum, circa auri mineras reperitur, vocaturque ab *Edmund. Dickinſon Angl. in Ep. ad Theod. Mund.* id, quod nondum eſt perfectum, nec tamen omninò imperfectum, ſed quod tendit ad perfectionem: ab *Helmontio* verò *Oper. p. m.* 574. metallus maſculus, qui facilè ſinit ſulphur à ſe ſequeſtrari. Quo verò ad Tincturæ Antimonii cum auro Poterianæ Benevolo Lectori tantò clarius lumen ac-

 cen-

cendamus, Synonyma hujus legitimi diſſolventis à præfato Poterio allata paulò ſpecialius examinare animus eſt. Inquit is *Pharmac. Spagyr. p. m.* 453. Legitimum diſſolvens auri à multis *Aqua vitæ* dicitur, à nonnullis *Azot*, & quibusdam *Mercurius*, *Spiritus*, *Ignis* & alia pro unicujusque captu nacta. *Aquam vitæ* qui nominarint poſſeſſores Tincturæ hujus plures ſunt, ut *Raym. Lullius*, *Arnoldus de Villâ Novâ* præprimis autem *Author anonymus* de Aqua Philoſoph in aliquot tractatibus Chymicis Caſſellis 1649. impreſſis, in quo docet aurum in eâ eſſe lavandum & balneandum, & quia hoc mortuum eſt ope hujus aquæ vitæ regenerandum & vivificandum, nim. ut *Philalethæ in Intr. C. VI. p. m.* 10. loquitur, purgatur aqua per additamentum ſulph. veri (Aurum ait *Pot. l. cit. p. m.* 452. nunc ſulphur fixum, nunc fermentum, nunc ſperma, tinctura, ſol vocatur) â ſorde leproſa & ab humore hydropico ſuperfluo ſicque habetur *Comitis Treviſani* fontina, cujus aquæ ſunt propriè Dianæ Virgini dicatæ, in hac ſcilicet fontina juxta parabolam Treviſani balneatur, mergitur & occiditur rex & poſtea rurſus per eam reſurgit & vivificatur, proque regni ſubſtantia quod eſt in admodum minutis particulis quisque Comitum (planetarum ſcilicet ſeu metallorum aliorum) ſuam accipit portionem, fitq; tam dives quàm ille, ſuntque omnes pariter opulenti, id eſt, dum tinctura in auro latens ſubtiliatur & aquâ hacce vivificante ſpirituali penetrativa facta eſt, non ſaltem metalla imperfecta minusque fixa inde perficiuntur & figuntur tinguntur q; ſed & ſanguini & Spiritibus corporis noſtri aſſociari ſicque eorum impuritas tollere valent. *Birellus in Tr. de Alchym.* aqua hac vitæ rectificatâ (id eſt mercuria-

curiali juxta *Libavium Syntagm. Alchym. p. m.* 176.) incendit aurum ternâ vice, eamque poſt digeſtiones totidem mutat decies & poſtea aurum in marmore lævigatum perfundit novâ, ad exceſſum duorum digitorum, hanc accendit mutatque combuſtam decies, nimirum operatio una eademq; eſt, ſed repetita ſæpiusque reiteratâ absque tædio coctione & lotione opus eſt. *Azot* ex prima & ultimis trium linguarum alphabeti literis conſtans Mercurium notat, eum tamen haud vulgarem currentem ſed Philoſophorum, qui ut cit. *Philalethæ C. XIX. p. m.* 54. loquitur, auri ſanguis eſt appropriatus, in quo illud decoquendum ſit & circulandum, in quâ circulatione, ut notanter *C. XIX. p. m.* 64. monet adſcendit mercurius in priſtinâ ſuâ naturâ, donec longo tempore ſulphur ſeu corpus aliquid aquæ retinere cœperit atque ſic non de altero participet, aurique anima blandè & ſuaviter extrahatur, quò mediante animâ Spiritus cum corpore reconcilietur. *Spiritus* nomen aſſumit mercurius hicce reſpectu corporis, ceu quod animat, id eſt ejus fixitatem in volatilitatem convertit, præſertim ſi corpus terrenum morti primùm detur, quousque glorificatum velut reſurgat, id quod *Cymbalum aureum* innuit docens: Cùm *Corpus* noſtrum ad ſolvendum ponitur in aquâ, ſtatim (ubi notandum Hoſpitis Helvetiani effatum, *Philoſophos ſua inter ſe de temporibus verba intelligere*) denigratur & etiam ſtatim per minima ſeparatur, & ſtatim calcinatur & ſtatim ſolvitur & ſublimatur, & ſolvendo & ſublimando conjungitur cum ſpiritu: & ſi fuerit aliquid aliud extranei in corpore mixtum illud non ſolvetur, ſed remanebit in fundo vaſis; hoc autem totum fit in unâ horâ, in fine magiſterii,

(quo nomine Tincturam antimonii cum auro inſignit *Poterius l. cit. p.* 455.) anima oritur & derelinquit corpus ſuum, ipſumque totaliter mortuum manet in fundo vaſis; ſi ibi mediante *Spiritu* & voluntate artificis eam corpori non reddas & hanc clavem ignores, te latet magiſterium totum. Corpus ergo in hoc opere fit Spiritus ope ſolutionis & ſpiritus fit corpus coagulationis, fluxibilitatem huic ut ſibi fixitatem conciliando. Et in hoc eſt perfectio artis. Conferatur *Faber in Sapient. Univerſ. C. IX.* Libav. Alchym. transmutat *Def. contr. Guibert. p. m. 241. Gaſto Dulc. de tripl præparat. Aur.* & *Arg. Ignem* genuinum diſſolvens auri *vocat Maria Prophetiſſa in Turb. Philoſ. p. m.* 34. cujus tamen flammam eſſe plumbei coloris candide monet *Meier. Symb. Menſ. aur. p. m* 63. nim. ut *Kern. in Tetrad. Chym. Sect. II.* docet, ignis hic non eſt materialis lignorum aut carbonum ſeu culinarius, qui licet ſit vehementiſſimus, nequit tamen auri compagem ſolvere & irreducibile id reddere, ſed eſt formalis ſpiritualis & aſtralis ſeu cœleſtis, habens calorem omnia fœcundantem & lucem vitamq; omnibus tribuentem; Talis ignis adminiſtrationem qui norunt, brevi temporis ſpatio in oleoſam ſubſtantiam aurum vertunt, aut ulteriori applicatione hujus ignis id in pulverem reducunt, nunquam in formam metallicam reducibilem: Ignem hunc nominare Harpocrates vetat; legenda ſcripta Philoſophorum. Huic monito inſiſtentes elegantem reperiemus *Pontani* Epiſtolam, in qua ignis hujus ſecreti ope vera Tincturæ auri antimonialis præparatio ſiſtitur, dum inquit: Tota ſubſtantia ſubjecti perficitur in corpus ſpirituale fixum, mediante *igne noſtro*, qui omne in puritatem convertit brevi tempore, eſt compendium ſine ſumptu aliquo, ſaltem parvo, & ille

iſſe ignis eſt cum mediocri ignitione, quia cum remiſſo igne totum opus perficitur ſimulque omnes debitas ſublimationes facit; Error ergo artis eſt, non reperire hunc ignem, qui eſt proprium agens Philoſophorum per profundam cogitationem reperiendus, quem non detexerunt, excepto uno, qui Artephius (cujus tractatus in *Bibliotheca Philoſ. Chemic. Tom. II.* Pariſiis impreſſà extat, in quo inſuper ignem huncce vocat acetum antimoniale ſaturninum mercuriale) vocatur, ſed pro ſe loquitur; Practica verò, ait Pontanus, hæc eſt: Sumatur & diligenter quàm fieri poteſt, teratur contritione phyſicâ & ad ignem demittatur, ignisque proportio ſciatur, ſcilicet ut tantummodo excitet materiam, & in brevi tempore ignis ille abſque aliâ manuum impoſitione de certo totum opus complebit, quia putrefaciet, corrumpet, generabit & perficiet, & tres faciet apparere colores principales, nigrum, album, & rubeum; & mediante igne noſtro multiplicabitur medicina ſi cum crudâ conjungatur materia non ſolùm in quantitate, ſed & virtute; Totis ergò viribus tuum ignem inquirere ſcias & ad ſcopum pervenies, quia totum facit opus & eſt clavis omnium Philoſophorum, quem nunquam revelarunt. Hoc ut illuſtret *Orthelius in Comment. ſuper Pontanum*, ait; Subjectum hoc, cui ignis inviſibilis ex viſibilibus flammis ſe inſerere & inſinuare debet, metallica maſſa eſt, quæ ex duobus corporibus frigidæ qualitatis conſtat, quorum unum eſt aqua ſpiritualis ſicca & currens, alterum verò, corpus terreſtre minutim limatum aut calcinatum & utrumque in paſtam formatum aut amalgamatum, de quo Pontanus ait: Sumatur & teratur &c. vel ut *Sendivogius* aut potius

Setonius in Nov. Lum. Tr. X. loquitur Luna noſtra recipit ſemen auri, regitur poſtea igne noſtro continuò per ſeptem menſes, interdum decem, donec aqua noſtra conſumat tres & relinquat unum, vel adhuc clarius *Auctor Triumphi Hermet. p. m.* 152. Calcinationis ope Tinctura Philoſophica obtinetur, ſed non ignis vulgaris ope, aſt philoſophici, qui purè naturalis eſt, humiditatemque auri radicalem notabiliter augmentat, calcinandoque ſublimat & deſtillat, ut Spiritus igneus ignis naturalis incorporetur ſubſtantiæ ſuæ homogeneæ inſtar Salamandræ. Secretæ hujus Tincturæ auri cum antimonio præparationis conſcium fuiſſe ſæpius laudatum *Poterium* apertè innuit *Pharmacop. p. m.* 455. ubi quid de verâ & legitimâ Auri præparatione ſentiat, ſequentibus verbis, præcedentibus Pontani tantùm non per omnia ſimilibus, ſe declarat: Aurum ſuâ natura metallica ſpoliandum eſt; hoc verò fit verâ calcinatione, ſcilicet cum quadruplo corporis ſicci diſſolubilis (quod *p.* 461. ubi calcinationem argenti philoſophicam docet, aquam ſiccam vocat, alii permanentem, cœleſtinam non madefacientem manus, mercurium Philoſophorum vel Lunam aut Lunariam ceu inde in Menſæ Iſiacæ figuris Leones Lunati pingebantur, item ſerpentes cum capite accipitrino, aliæque figuræ & Græcorum fabulæ, quibus *Morhofio in Epiſt. de Transmut. Metall. p.* 104. monente, rei fixæ & volatilis connubium innuebatur) trituratione diligenti (nimirum ut docet *Damaſcenus in Tract.* M. S. quod in Bibliotheca mea aſſervatur & *Donum Dei* dicitur, ſi trituratio bona non fuerit, ut aqua hæc cum terra unum corpus fiant, nihil proficiet, non ceſſet ergò à trituratione manus

manus tua, donec aqua ſit ſicca; Si autem humor vaſi adhæſerit, non cures, quoniam illa eſt intentio, ut fiat ſicut paſta) præmiſſa: prunis ardentibus tunc probè calcinatur, calcinatum liquore acido potabili (ut eſt Spiritus Salis) diſſolvitur, à quo poſtmodum cum Spiritu ſulphureo pariter potabili (ut eſt Spiritus vini vulgaris, ita dictus, ad differentiam Spiritûs vini Philoſophici à Lullio ita dicti, cujus, rectificatio, monente *Weidenfeld de Secret. Adeptor*. p.m. 35. quocunque etiam fiat modo, paucioribus vel pluribus cohobationibus ſatis bona eſt dummodo fuerit ſeparatus à fecibus vini) Tinctura à corpore ſegregatur. Sic verum & legitimum aurum potabile habetur cum ſuâ tincturâ. Si ulterius pergere (id eſt decoctionem vel triturationem reiterare exemplo ſolis qui multos circulos parallelos efficit adſcendendo & deſcendendo, antequam circulũ ſuæ lineæ eclipticæ totum perambulet) velis, aurum eſt apertum, facile tibi erit Vitriolum, Eſſent. Quint. Magiſterium & alia arcana parare: Quod ſi corpus auri prima vice non ſit ſatis apertum, calcinationem reitera (nimirum grave opus eſt corpora ſolvere, dicente *Philaletha Introit. C. XXIV. p.m.* 64. ideoque illa imponenda in aquam maris ac jugiter igne debito decoquenda ut adſcendant ros & nebulæ recidantque guttæ de die ac nocte citra intermiſſionem & juxta *Eſpagnetum Arcan. Oper.* §. *LXVII.* Tinctura vel lapis non niſi per ſucceſſivas digeſtiones quaſi per gradus, exaltatum & tandem perfectionem aſſequitur, unde monitum Coque, Coque, & ne te tædeat) imò ter & quater: quo plus, eo melius (melior enim ille lapis omnium lapidum eſt, qui magis eſt decoctus & igni proximus, dicente

cente *M.S.Gemmæ Philoſ. p. m.* 189.) jam ſic calcinatum maximas virtutes obtinet, eoque tunc frequenter utimur citra Tincturæ extractionem aut aliam ſolutionem, in eum finem ſcil. aptè inquit *Libav*. Non oportet Lapidem ad eum gradum adſcendere, pro medicina ſcilicet hominum in quo mercurialia transmutat, ſed inferiùs ſubſiſtere: Illuſtrant hæc quæ de calcinatione philoſophicâ Argenti idem Poterius p.m. 461. docet, quæ nim. itidem cum quadruplici pondere aquæ ſiccæ inſtituenda eſt & quia argentum non adeò tenax eſt & compactum, longè citiùs quoque ejus penetralia recludi firmitasque metallica edomari poteſt, adeò ut benè moneat Libavius ſyntagm. p.m 176. quòd aurum ſi cum mercurio Phil. calcinatur, ſi extrahatur & deprehendatur illud nondum calcinationis ſummam acquiſiviſſe, repetendum ſit opus. Horum v. conſideratione notanter ait Damaſcen. in M. S. p. m. 112. Album completur tribus & rubeum quatuor rotatur rotis, quia cum album ſit ſemicrudum & indigeſtum non poſtulat ignem multum, ſed Rubeum, ut completè digeſtum totum vertitur in ignem, ut nullum timeat ignem, ac album quam magis fuerit ſublimatum, magis fiet album & hinc magis tinget. Atque hic metalla calcinandi Tincturamque antimonii veram parandi modus, ſec. cit. Libav. eſt occultiſſimus (hic verò à nobis plusquam deceret detectus) & planè myſticus nec malè myſteriis Pontificum gentilitiorum, ex quibus traditur fuiſſe Hermes, comparatus: de eo enim tam ſanctè devotèque ſcribunt & loquuntur quam de ipſius rei ſanctiſſima religione vid. Celada in Eſther. C. I. p 44. Tollii Moyſ. Chym.

(*Miſſæ Baſileâ Auguſtam Vind. d. 29. Dec. A. 1697.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXLII.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII GRÜBELII.

De Anatomia infantis à matre non manibus ſed pedibus enecati.

CUm juvencula quædam Neoſtadii ad Orilam poſt partum deduceretur in carcerem ob infanticidium commiſſum, ad apertionem corporis ego ut Phyſicus ibidem ordinarius à Senatu deſideratus, infantem externè ubique aſpexi, nullamque maculam ut mortis cauſam invenire potui. Tanta enim calliditate fœtum enecaverat, ut nullibi in corpore mortis indicium aliquod obſervare quisquam potuiſſet, modò vaſa umbilicalia probè deligaſſet. Fœtum mortuum natum fuiſſe, imò DEUM eſſe teſtem, ſe nullam manum ad fœtus internecionem applicaſſe, aſſerebat; quod etiam veriſſimum fuit. Verum quæſita, cur umbilici vaſa non debito modo deligaſſet, reſpondit, ſe hoc neſciviſſe, quod talia eſſent deliganda, nec obſtetricem eſſe neceſſariam ad illa deliganda. Ex quibus ſtatuebam, ſufficientem mortis adeſſe cauſam, quia non deligata hæc vaſa pro ſimpliciter & abſolutè lethali habentur vulnere, ab omnibus Medicis. Pro qua ſententia confirmanda proferebam, non verba ſolum D.D. Welſchii de lethal. vuln. p. m. 68. ubi ita: Sed adhuc vaſa quoque umbilicalia in recens natis infantibus pertinere exiſtimo, utpote quorum vel neglectâ vel perperam & malitiosè adminiſtratâ præciſione, frequens ſanè committitur infantici-

dium, ſive enim planè negligatur præciſio, ſive præſectus umbilicus decenter minus, aut plane non deligatur, ſubitò ſanguinis & ſpirituum diffluvio moriuntur miſelli ac pereunt. Quod inſuper confirmant Facult. Med. Lipſ. P.P. apud Amman. Med. Crit. Caſ. 69. p. m. 352. ubi ita: Iſts an dem / daß es bey den neugebohrnen Kindern præſentiſſimam mortem & lethalitatem abſolutam verurſachet / wann der Nabel nicht verbunden wird / alldieweil dem Kinde mit dem Geblüthe nothwendig die Lebens-Kräffte verſchwinden / und alſo endlich der Tod hieraus unfehlbar erfolgen muß / wie ſolches una cum data ratione die tägliche Erfahrung zur Gnüge bekräfftiget / dannenhero auch in dergleichen Fällen von denen Medicis die Nichtverbindung des umbilici pro ſimpliciter & abſolutè lethali pfleget erkennet zu werden. De quo prolixius Pfizerus tract. de jud. Vuln. lethal. cap. 26. p. m. 225. & alii videri poſſunt.

Apertionem corporis ergò non neceſſariam eſſe quidam ex Senatoribus putabant, quia hæc infanticidii cauſa ſufficiens eſſet futuri ſupplicii. Verùm quod in ſutura Lambdoide mollities quædam inuſitata ſe oſtendebat, & ne hæc inſpectio illegalis haberetur, illam ut aperiret Chirurgus juſſi, ſub qua ſanguinis extravaſati apparebat quantitas quædam, quâ perſpectâ in utraque parte eandem Lambdoidem ſuturam incidere Chirurgo dictitavi, ſub qua undiq; reperiebatur ſanguis extravaſatus. Inde ulterius ſagittalem quoque ſuturam usq; ad coronalem ut incideret author fui, ſub qua itidem ſanguis extravaſatus reperiebatur usque ad ſpatium ſuturæ coronalis ac ſagittalis, quod ſpatium vulgò in infantibus das Blätgen vocatur, ubi major quoque ſanguinis extra-

vaſati

vaſati apparebat quantitas ob majus ſpatium ibi relictum. Hoc ergò perſpectô, puerperam cum infante ſuô violenter peregiſſe ſui atteſtatur, qui modus tamen melius torturâ, quam alia via extorquere poſſet, Hæc ergò cum de jure à carnifice torqueretur ſub triplici forma, quam alii die Schrauben-Stöcke / das Fitſcheln und die Spaniſchen Stieffeln nominant, ſub tertia ſpecie ultrò confeſſa fuit: Se in partu compreſſiſſe fœtum cum pedibus ad lecti partem inferiorem, ex qua forti compreſſione fœtum vehementer ejulaſſe. Inde veriſſimum erat, ſe nullam manum, pedes tamen ipſam adhibuiſſe ad fœtus internecionem, quâ cognitâ cauſa, collum illi amputatum fuit.

OBSERVATIO CXLIII.

DN. D. JOHANNIS GEORGII GRÜBELII.

De Renibus per fruſta excretis.

PAſtor quidam nomine Seidel / annorum 43. equorum amator maximus, aliquando in equi aſcenſione, cum is ſaltus varios faceret, venæ in renibus ruptionem incurrit, quæ licet iterum feliciter fuerit ſanata, paſtor tamen equitationem ſuam intermiſit nunquam, ex qua malum recruduit. Inde alium de hoc affectu conſuluit medicum, qui priorem ſtatum non habuit cognitum, à quo varios adhibuit Spiritus chymicos & corroſivos, qui parenchymia renis ita corroſerunt, ut aliquando fruſtum renis digiti minoris inſtar cum urina excreverit, quod tantos patienti in excretione creavit cruciatus, ut clamore horrendo

in auxilium advocaverit adſtantes, quod fruſtum renis mihi quoque conſpiciendum miſit. Tantam ergò calamitatem patiens aliquot menſes patienter perferens, tandem hectica fuit conſumtus adeò, ut cutis vix oſſibus hæreret, cui ulterius ſe aſſociavit apoplexia, quæ patientem paucis diebus ita reddidit miſerum, ut brevi vitam cum morte permutare fuerit coactus.

OBSERVATIO CXLIV.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII GRÜBELII.

De Febris malignæ curatione per ſola vomitoria.

FEbres malignas curandi methodum eſſe unicam eamque tutiſſimam per bezoardica, ſudorifera, atque confortantia fatentur ferè omnes Medici, nec aliam ſecuriorem unquam fuiſſe inventam dicunt. Aliam tamen huic planè contrariam ſe inveniſſe affirmavit Generoſus, maximè ſtrenuus Dominus de Monk, militum Dux fideliſſimus, annorum *76.* vir per varios caſus per tot diſcrimina rerum ſatis exercitatus. Hic cum die 14. Septembris 1697. hic Dresdæ ex antecedente convivio maximè ægrotaret, mox pulverem ſuum ſpecificum ex auro & antimonio, uti dicit, præparatum, maximosque vomitus & ſedes excitantem 7. dies continuos aſſumſit, quô medicamento ita fuit debilitatus, ut die 23. Septembris ſacrâ cœnâ uti, teſtamentumque erigere fuerit coactus. Ad hunc die 24 Septembris vocatus, illum omnibus viribus exhauſtum, nullumque horrorem neque æſtum aut

aut aliud grave ſymptoma ſentientem inveni. Hinc pulſu explorato & conſideratâ urina maximè rubra multaque materia tartarea repleta, hariolari fui permotus, illum febre laboraſſe acuta, nihilque eſſe reliquum, niſi ut vires dejectæ reſtaurarentur, ſomnus procuraretur, appetitusque planè dejectus excitaretur, quæ cura in hoc decrepito ferè deſperata per Dei gratiam ita feliciter fuit peracta, ut unica ſaltem potione confortante atque ſtomachica hac ſequente adhibita fuerit in integrum reſtitutus patiens:

℞. Aq. Cinamom. ℥ij
Vitæ Mathioli ℥ß.
Elixir Vitrioli arom. Mynſ. ℥ij.
Tinctura Cinamom. confect. alcherm. an. ℥ij.
Solaris Lipſienſ. ℥ß.
Sirup. de corticibus citri ℥ß. M.

SCHOLIUM.

Vomitoria in febrium malignarum principio à pluribus maximè commendari, quin & in peſte ipſa à Medico Londinenſi Henrico Sayero maximo cum ægrotantium cōmodo fuiſſe adhibita apud Willis tract. de febr. p. m. 233. legitur. An autem hæc ſola ad febres malignas exſtirpandas, uti prædictus Dn. Dux de Monk ſanctiſſime de ſuo vomitorio etiam in peſte promittebat, ſufficiant, meritò aliorum judicio decidendum relinquo, nec ut his ſolis aliquis nitatur, in febribus malignis autor ero.

OBERVATIO CXLV.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII GRÜBELII.

De Syncope cardiaca.

RAriſſimam apoplexiæ ſpeciem, de qua videatur Hofmannus, jam profero in medium, quam mihi bis ſaltem videre contigit, quamque recentiores nonnulli ad catarrhum ſuffocativum referre malunt, in qua ex ſtagnatione ſanguinis motus cordis planè ceſſat, nullusque amplius percipitur pulſus, ſicque homo ſciens videnſque abit ad plures. Hic ergò affectus cum maximè ſit rarus, meritò D. D. Wepferi verba ut hic adducamus in medium videtur eſſe operæ pretium, qui tract. de Apopl. p.m. 201. de hoc ita diſſerit: *Quamvis negari non poſſit, ſi cor languidum ſit, nec ſanguinem amplius propellere valeat, Syncopen potius cardiacam productum iri quam apoplexiam, corde maturè tantò oneri ſuccumbente: Atque ita affecti plerumque vivi videnteſque pereunt, mortem præſentiunt, atque aſtantibus eam prænunciant,* quod etiam in duabus perſonis obſervavi; Altera erat fœmina 36. annorum, ſcorbutica, quæque ſana cubitum ibat, ex ſomno tamen reſuſcitata in momento tantum colorem viridem cum livore in tota facie oſtendebat, ac ſi per menſis ſpatium jam tum quieviſſet in terra, putredinemque percepiſſet, qualem faciem Hippocraticam ne unquam in morientibus quidem videre mihi contigit, quæque anxiè clamabat; Morior, morior eſtote mihi auxilio, cui mox Spiritum noſtrum apoplecticum in variis probatum, aliquoties non ſine fructu adhibui.

Hoc

Hoc ergò aſſumto color viridis cum livore remiſit, floridusque iterum acceſſit faciei color, quæ adhuc ſana vivit hilarisque. Altera perſona erat Studioſus quidam annorum 60. qui die 2. Januarii 1697. catarrho laborans, nihil ſiniſtri de morbi exitu timebat, qui præter ſpem tamen animi deliquio affligebatur maximo, quo remittente, famulo dixit: Morior, morior. Peracta etiam precatione matutina famulum miſit ad me, ut illi conſulerem, cui mox Spiritum noſtrum apoplecticum transmiſi, ſed hoc fruſtra adhibito, accedo & ego cum alio Medico Spiritumque cum aliis tam internis ſatis ſpirituoſis, quam externis adhibuimus, ſed omnia incaſſum, brevique hic ſtudioſus optima cum ratione abiit ad plures.

OBSERVATIO CXLVI.

DN. D. JOHANNIS GEORGII GRÜBELII.

De Externorum remediorum in IV. deſperatis effectu verè ſtupendo.

INterna longè præferenda eſſe Remediis externis, hæcque parum emolumenti adferre Patientibus, non ſine ratione confirmant plurimi, ſtatuentes, Medicamenti vim maximè diſſipatam eſſe priusquam penetrare poſſit integumenta corporis noſtri ſatis valida ſatisque craſſa, qualia ſunt cutis, cuticula, panniculus carnoſus atque peritonæum, quæ omnia videntur eſſe in remora, ne adhibitum in actum deducatur Remedium. Neque Rationibus his ſatis prægnantibus eſſem contrarius, niſi aliud mihi minimèq; fallax,

quæ-

quæque ſæpius plus valet, quàm centum Rationes ad oculos demonſtraſſet experientia, ſicque me reduxiſſet in viam, cui experientiæ tamen, ſi modo conſideretur penitius, non deficiunt Rationes. Totum enim Corpus eſſe poroſum, perq; poros facilè penetrare Medicamenta ſpirituoſa atq; volatilia nemo, niſi fungum pro Cerebro gerens, ibit nobis inficias, id quod ſuo tempore docuit *Hippocrates* lib. 6. de Morb, vulg. ſect.6. Aphor. 1. *Corpus, inquiens, humanum tam foras quam intro ſpirabile eſt*, quod ex ſequentibus IV. magis elucebit exemplis, quorum,

I.

Paſtor quidam Neoſtadii ad Orilam, ubi Medicus eram Territorialis Saxonicus, diu ex Inflammatione renum laborabat, & Tertiana intermittente, quiaSpiritum Vini quotidie nimis larga aſſumſerat quantitate. Huic Medicus quidam extraneus optimè conſulturus voti ſui nunquam fiebat compos adeo, ut Patiens ad extrema redactus, jamjam videretur moriturus. Cutis enim vix oſſibus hærebat, neq; loqui valebat, neque vis retentrix ſuum exercebat officium, ſed omnia ſine ſenſu fluebant per alvum, patiensq; maximè delirabat, mortemq; ad portas eſſe pronunciabant omnes. Ad hunc horâ x. noctis ego vocatus parumque ſalutis ſupereſſe videns, cum res eſſet deſperata, internè nihil, externè verò emplaſtrum de cruſta panis oleo ſtillatitio maſtichis & menthæ malaxatum præſcripſi, quod cum ſtupore alvi fluxum cum delirio ſedavit. Hujus ergò operationem verè ſtupendam patiens cum in ſe perciperet, die ſequente ita me fuit allocutus: Quænam hujus morbi metamorphoſis? Cui me hujus emplaſtri effectum non poſſe admirari

rari ſatis dixi; mortem tamen tam propinquam eſſe illi revelare nolui, ne fiduciam in Medicum ſuum depoſitam illi redderem dubiam, quæ tamen tertio die am patientem, quam medicum maximè fefellit. Adveniente enim medico adveniebat quoque mortis hora, mortisque comites perſentiebat nullos, nec mortem ipſam, qui in ipſis jam jacebat mortis faucibus.

II.

Puella 4. annos nata & unica parentum ſpes d. 15. Octobr. 1687. Cizæ incidit in febrem ardentem adeò periculoſam, ut ſæpius parentes illius mortem citius quam vitam exinde præſagire potuerint. Septimo enim die utpote critico, adeo viribus omnibus exhauſta jacebat, ut nil niſi mortem expectandam eſſe judicarent omnes, ad cujus triſtiſſimum morbi exitum metuendum majorem parentibus occaſionem præbebat faſtidium omnium medicamentorum, quia ægrota nullis modis ad hæc recipienda perſuaderi poterat. In hoc ergò ſtatu maximè periculoſo nil niſi externa cordialia pectori applicanda præſcripſi, dubius an quicquam in hoc atroci morbo ſint effectura? Verum his per aliquot dierum ſpatium adhibitis, morbi remiſit ferocia, vires ſucceſſivè redierunt, Deoque adjuvante, puella præter omnium ſpem optimè fuit reſtituta.

III.

Juvenis quidam nomine Stemlerus 19 annorum, die 17. Auguſti anno 1982. incidit in tertianam intermittentem, qua de iterum liberatus, hæmorrhagiam patitur adeò largam atq; enormem, ut omnia in illo remedia viderentur eſſe fruſtranea. Sceleto enim

potius, quam homini videbatur eſſe ſimilis. Inde nimis ſerò ad illum vocatus, aquam ſolummodo externam cordialem præſcripſi, de qua ſuas ſenſibiliter recuperavit vires, atque ita ſe benè habuit, ut non ſolum gradum Magiſterii, ſed & officium paſtoris in ſe receperit, in quo officio adhuc ſanus vivit lætusque.

IV.

Parentem meum dilectiſſimum, jam beatæ memoriæ, diu auditus difficultate laborantem memini, quæ ipſa ex ſiccitate tympani ſenibus conſueta ſuum videbatur habere ortum. Inde parum ſpei in hac curanda eſſe reliquum putabam, quia ſenium erat in cauſa, quod omnibus medicis atteſtantibus eſt incorrigibile & à privatione ad habitum non datur regreſſus. Ne tamen quicquam in hoc maneret intentatum, butyrum majale non ſalitum quotidiè vertici temporibusqne inunxit, tantumq; hoc remedio effecit, ut auditus in octuagenario majore manſerit illæſus atque incolumis.

(*Dresdâ Auguſtam Vind. d. 30. Decembr. A. 1697. miſſæ.*)

OBSERVATIO CXLVII.
Dn. D. LUCÆ SCHRÖCKII.
De Uſu Mercurii in colica convulſiva.

QUamvis Mercurii in colica convulſiva utilitas ab aliis, Collega noſtro imprimis curioſo, *D. D. Theodoro Zvingero* in *Epher. harum Dec. 2. Ann. 6. Obſ. 231.* & *Dec. 3. Ann. 2. Obſ. 145.* egregiè jam fuerit commendata, exemplum tamen pro ulteriori, in morbo tam

tam diro ac ſæpe deſperato, ejusdem hydrargyri, plus juſto ab aliis damnati, uſus defenſione, quod mihi obſervare contigit, circumſtantiasque nonnullas ſingulares exhibet, producere liceat. Ill. nempe D. F. M. à F. Equitum Magiſter, Vir 30. annorum, firma alioquin corporis conſtitutione præditus, iracundiæ multum indulgens, atque intra annuum temporis ſpatium plus unâ vice colicâ convulſiva, quam bilioſam cum Medicis quos conſuluerat, vocabat, correptus, cum poſt finitam Ao. 1695. bellicam ad Rhenum expeditionem, in vicina Urbe Imperiali cum aliis vino liberalius ſe invitaſſet, indeque noſtram in viciniam, ubi hyberna ei conſtituta fuerant, perveniſſet, denuo colicâ illâ laborare incepit, ubi cum alterius celebris Medici conſiliis fruſtra uſus fuiſſet, A. 1696. d. 12. Jan. brumali frigore admodum ſæviente, adeoque dolorum vehementiam augente, huc delatus, totam viciniam ejulatibus compleverat, ſed imploratâ ope meâ medicâ, enematum, pilularumque Martialium opiatarum uſu, nec non calido herbæ thee potu, paulò poſt convaluerat, atque à me vinorum lithargyro depravatorum memore, de ſimili fortaſſe in compotatione imoderata hauſto interrogatus, tale quid ſe minimè metuere regeſſerat, me haud difficulter conſentiente, cum vinum Neccarinum generoſum, adeòque talismodi fuci haud indigum, nec ullus reliquorum compotatorum de indicio aliquo morbi hujus conqueſtus fuerit. Noſter verò frigido aëri ſe juſto citius denuo exponens, iræque ſine cauſa & modo pro more indulgens, d. 18. Januar. recidivam incurrit vehementiſſimam, cum ſumma corporis inquietudine, oculorum hebetudine, vomitu bilioſo, ſiti, umbi-

lici retractatione, doloribus immenſis & convulſivis artuum, alvi obſtructione, pulſu debili, urina intensè rubra, odoreque corporis totius cadaveroſo, diris hiſce cruciatibus continuò & tantoperè agitatus, (niſi quôd momentaneum levamen, ubi prono corpore in pavimentum cubiculi ſe proſterneret, adeoque nervoſarum partium in abdomine motus convulſivos nonnihil comprimeret, daretur,) ut ad deſperationem ferè redigeretur. Medicamentis autem quibuscunque opem non ferentibus, & cum de vita omnes jam actum fore crederent, Mercurii vivi uſum propoſui; quem etiam ut adſumeret cum facilè perſuaſiſſem, (addito tamen de ſalivatione inde ſubſecutura prognoſtico, quam ob ſalium in lympha turgentium multitudinem orituram, ſimul tamen eorundem ſpicula, fibrillas nerveas meſentericas & inteſtinales pungentia, atteri inde, atque viſcoſam texturam reſolvi, & ſic firmioris ſanitatis inpoſterum ſpem concipi poſſe credideram,) d. 23. Januar. hydrargyri depurati uncias quatuor, cum aliqua Sirupi violar. portione propinavi; à cujus exhibitione aliquam dolorum remiſſionem ſenſit; quibus verò ſubinde denuò ſe exſerentibus, nec dum alvo officium faciente, ægrotoque adminiculum aliud non ampliùs admittente, d. 25. ejusdem hydrargyri uncias ſex deglutiendas dedi, omni doloris ſenſu inde ſopito; ut ideo *Zacutum Luſitanum lib. 2. de prax. med. admir. Obſ. 35.* anodynum eſſe hydrargyrum, non prorſus ſine ratione ſcripſiſſe, vel hoc noſtrum exemplum docuerit. Dum autem nox adpropinquabat, gingivæ & lingua intumeſcere ceperunt, & d. 26. ſcybalorum globuli aliquot minores circa veſperam prodierunt; quos d. 27. liquidæ feces inſecutæ, iisque

d. 28.

d. 28. minimi currentis Mercurii globuli intermiſti fuerunt obſervati; Salivatio autem viſcidæ ſimul & liquidæ lymphæ copioſa ſucceſſit; quæ aliquamdiu maximo ægri cum incommodo, præſertim dum faucium excoriatio aliqua concurreret, duravit. Et prout hydrargyrum acuta acris lymphæ ſpicula nervoſas fibras in ſpasmodicas tenſiones cogentia, obtundere, viſcoſique tubulos inteſtinorum obſtruentis humoris reſolutionem procurare: ita eo ipſo lymphæ ex glandulis inteſtinalibus ſtillantis hoc modo correctæ fluxum augere, atq; ad fecum induratarum emollitionem, ſicque faciliorem expulſionem promovere valuit. Interim Mercurii evacuati pondus ad uncias quinque ſe extenderat, cujus multam quantitatem ex miniſtrorum incuria, fecibus occultatum fuiſſe deperditam dubitare haud potui; quanquam etiam non exiguam ejus partem corroſam, quaſi fixatam, & quæ feces plumbo liquato ſupernatantes viſui præſentabat, obſervaverim. Sic à ſalivatione, quæ pro meliori lymphæ corrodentis & viſcidæ correctione per aliquod tempus, ægro licet ſæpe indignante, ut continuaret, permiſi, ſanus ſenſim evaſit, nec diu poſt, relictâ militia, maritus factus, nunc pancraticè vivere mihi nunciatur.

OBSERVATIO CXLVIII.

DN. D. GEORGII EVERHARDI RUMPHII.

De Caryophyllis Regiis Ambonicis.

MItto raram Caryophylli ſpeciem, nomine Regii venientem, cujus arbor per XL. Annos in Mundo non eſt viſa, ſed ante quadriennium unica prodiit in hujus Inſulæ, Amboinæ, parte boreali, quæ ora Hittunenſis dicitur, cujus præfecturam olim per XIII. años geſſi. Proinde baccæ hæ curiosè colliguntur & aſſervantur, ne pereunte arbore memoria earum deleatur.

Fig XLIX.

(*Ex Inſula* Moluccana, *Ambona, ad Caſtellum Victoriæ, d.* 20. *Sept, Anno* 1696. *Auguſtam Vind. miſſa.*)

SCHOLIUM.

DE ſimili Caryophyllo monſtroſo cum Nobil. Dn. Author etiam in *Ephem. harum Dec.* 2. *Ann.* 1 *Obſ.* 21. egerit, Lectorem Ben. eò remittere, hîc verò ramulum, prout à laudato Rumphio mihi fuit transmiſſus, delineatum ſiſtere volui. Ipſi hi Caryophylli à notioribus reliquis nec colore, nec odore & ſapore differunt; Folia etiam eodem caryophyllato ſapore ſunt prædita, de quibus dubio procul Dn. Author plura in ſuo Herbario publicæ luci expoſiturus eſt, cujus in *loc. cit.* ſpem Erudito Orbi fecerat; jamque ejusdem in Epiſtola ad me ſcripta hiſce verbis meminit: In ſtudio botanico totum ferè tempus, quod in hac India conſumſi,


Fig. XLIX. p. 308
Fig XLVIII.
pag. 278.
Fig. XLV.
pag. 196.

ſumſi, maximè trivi, quo effeci, dum viſu meo utebar, ut de ſtirpibus peregrinis & hactenus nobis cognitis opus collegerim in XII. libris comprehenſum, cujus priorem partem ante quatuor annos in Hollandiam transmiſeram, ſed in itinere naufragio periit, ob id jam ſecunda vice, adjectis ſex reliquis libris, Bataviæ laboratur, ut totum opus perficiatur tam in ſcriptis, quam in figuris, & in Hollandiam mitti poſſit.

(Dn. D. L. Schröck.)

OBSERVATIO CL.

Dn. D. SALOMONIS REISELII.

De cauſa coloris diverſi in corona ſeu circulo urinæ.

Quid ſit circulus vel corona urinæ, an aliquid, & quid ſignificet, confido me ſufficienter monſtraſſe Dec. I. Ann. III. Obſ. 288. nempe quod ſit Priſma trilaterum circulare urinæ ſuperficiei ſupereminens, diverſi coloris, quam in ipſo liquore: relictâ tamen ſpe, ſi forte detur aliqua ſupremæ regionis in urina præter nubeculam aut ſuſpenſum varietas, præſertim in colliquativis morbis perſcrutanda & notanda, ulteriori experimento. Non potui tamen non poſtea notare ſententias diverſas aliquot Eruditorum Medicorum, quas inter legendum offendi, qui vel neglexerunt planè circulum, vel mecum conſentiunt, vel diſſentiunt.

Johannes Munnicks diſſert. de urinis cap. 5. fatetur ab autorib' præſtantiſſimis nullam factam ejus mentionem, unde neque Hippocrates, neque Galenus, neque

neque Iſaac, neque Avicenna de eo quicquam dixerunt, differentias tamen multas profert.

Joh. Theod. Schenckius Medicinæ Gener. novantiquæ Synopſ. l. 3. part. 1 ſect. 3. art. 4. inter accidentalia contenta urinæ coronam numeratam definit, quod nil niſi liquoris reſplendeſcentis ſoboles ſit. Et art 7. inquit: Corona deſignat interiorem colorem liquoris, idque propter refractionem, quæ in medio non ita conſpicua. Conſiderari poteſt cum & ſine ſedimentis. Tanti illa momenti apud veteres non extitit. Plerique Practicorum diagnoſin ejus in morbis negligunt.

Mich. Ettmüller in Medico Theor. Pract. cap. 4. de ſignis morborum, planè tacet de corona, tanquam nullius momenti judicaret cum Schenkio.

Laur. Bellinus de urinis part. 2. accuratius deſcribit ita: Corona nihil aliud eſt, quam extremus limbus ſummæ urinæ qui ſuperficiem matulæ contangit: circumferentia hæc ſummæ urinæ pro diverſitate urinarum, diverſitate vitri & craſſitiei, ex qua conſtat matula, poſitu luminis, & oculi dum inſpicitur, diverſimodè colorata, & elegantiſſimis coloribus inſtar iridis apparet, unde ſibi nomen coronæ meruit & mirum eſt, quot ea ſuper ridiculè & ineptè fabulentur, & prædici poſſe afferant viri cæteroquin etiam doctiſſimi, cum reipſa coronæ illæ nihil ſint, niſi quiddam prorſus inane à varia luminis fractione per vitrum, & ſummum illud urinæ velum proveniens, nihil ſignificans, & nihil ſolidi in ſe continens. In quibus quidem maximè laudandus eſt Bellinus, notandum tamen, quod de coloribus iridis dicit, non facilè reperiri in ipſa corona, ſed in ſuperficie

ſeu

ſeu velo urinæ, quem cum Boyle exper. de coloribus rectius pavonaceum dixeris, ex viridi & cœruleo pronatum: cum & Willis de ſcorb. cap. 11. obſ.1. pelliculam inſtar caudæ pavonis variegatam in ſuperficie urinæ rubicundæ notarit: itemque lixivialis & coloris variegati: qualem & ego in urina diu ſervata obſervavi aliquando, nec non in aqua per noctem ſtante, cui aranea erat illapſa.

Magnificus El. Rudolphus Camerarius Archiater Würtenberg. & Profeſſor Tubingenſis b. nunc m. in diſput. A. 1680. Quale ſignum in morbis præbeat urina theſ. 4. Coronam ex mea mente deſcribit, ipſisq; meis verbis delineat. Filius ipſius non degener, nunc Profeſſor Med. Extraord. Elias 27 Novembr. An. 1692. redux ex itinere ita ad me ſcribit. „Quid verò urinæ circulus, quæve ejus ſit cauſa, conſentientibus omnibus quos juſſu tuo hujus rei gratia compellavi, eruditis, dudum à Te in Ephem. N. C. clariſſimè deductum fuit. Qui enim fieri poteſt aliter, quam ut (cum ad vitri laterum poros & cavitates aqueæ præ aëreis congruant particulæ) liquor in pelliculam quaſi monticuli æmulam attollatur?"

Subtiliſſimus Mathematicus & Opticus Stephanus Spleiſſius nunc p. memoriæ Rector Schaffhuſanus 15. Octobr. 1692. interrogatus reſpondet ſic. Circulus oritur ab incumbentis aëris gravitate, quæ liquorem ad latera vaſis humida, ultra reliquam ſuperficiem, paulum attollit: quod etiam in aqua limpida, aliisque liquoribus accidere ſolet. Sed ut ipſa experientia in rem præſentem me duceret, crebra inſtitui experimenta in urina hominis ſani, coloris citrini, vitris puriſſimis excepta. Ac, ne oculi ſenſim caligantes, me

videre, quod non videam; aut non videre, quod alii videant, fallere queant: in ſuffragium quoque advocavi oculos perſpicaciſſimos filii Davidis, M. & Phil. D. ad cujus fundum iſta propius pertinent. Oculos igitur quocunque ſitu, qui excogitari poterat, in circulum illum extuberantem dirigentes, nihil aliud diſcernere potuimus, quam quod etiam in aliis liquoribus coloratis, puta vegetabilibus aut animalibus, vino, aceto, tincturis de croco, ligno Braſiliano, cyano, ſirupis & oleis variis, bile &c. contingit. Sanguinis ſerum, ob conferctam atomorum carnoſorum copiam prius coagulatur, quam comodè tractari queat. Sed & hinc excludendi ſunt omnes liquores meris pigmentis colorati. In ſuperioribus igitur omnibus nulla alia diverſitas obſervatur, quam ejusdē coloris aliqui gradus intenſionis ac remiſſionis; videlicet, quod ejusdem rei color modo magis, modo minus ſatur, aut dilutus oculis noſtris adpareat. Hoc autem diſcrimen non à majore vel minore raritate aut denſitate oritur: liquor enim circuli æque rarus aut denſus eſt, ac reliqui vaſis. Non igitur per diverſam refractionem excuſari aut demonſtrari poteſt: licet alii nonnulli auctores id opinentur.

Quoniam autem hæc via nobis præcluſa eſt, idcirco rationem hujus phænomeni quæremus in diverſitate tenuitatis & craſſitiei ſeu ſpiſſitatis. Hæc autem cum à pleriſque confundi ſoleant, qui παχυμερῶς de rebus ſentiunt ac ſcribunt; ideo adcurate eſt diſtinguendum inter illas duas affectionum ſyzigias, puta raritatem & denſitatem (luck und dicht) quæ refractionem minorem vel majorem reddere queunt: item tenuitatem & craſſitiem (dünn potius tün / und dick)

quæ

quæ colores transparentes remittere aut intendere valent.

Sic, ut exemplo iſta illuſtrem, nemo negabit, aërem eſſe texturæ rarioris, aquam verò denſioris. Jam aër rarior poteſt eſſe craſſior, unde non quidem ejus refractio augetur, ſed pelluciditas minuitur, ut ad cœruleum vergat. Viciſſim aqua denſior poteſt eſſe tenuior, unde non tamen ejus refractio minuitur, ſed pelluciditas augetur, ut omnis coloris expers eſſe videatur.

Summa Rarum & Denſum minunt vel augent refractiones; Tenue & craſſum remittunt vel intendunt gradus colorum pellucidorum, ſeu transparentam. Hactenus Spleiſſius. Cujus circa refractionem diverſam quodammodo ſententiam acutioribus relinquo conſiderandam. Videtur tamen conſentire ipſi Excell. Rudolphus Jacobus Camerarius in literis datis 10 Decembr. 1692. Cauſam circuli urinarii quod concernit, eam ſanè Exc. T. in Ephemer. mihi ita videtur expoſuiſſe, ut quid deſiderari poſſit, vix norim. Totum dependet à margine illo fluido ob proportionem vel diſproportionem continentis ſolidi modo depreſſo, modo elevato, & ſic tanquam tenuiore aliter transparente & lumen modificante ac ſubjectus liquor.

Joh. Alph. Borellus de mot. nat. à gravitate pendentibus cap. 8 prop. 182. dum vim impellentem & retinentẽ margines aqueos elevatos ſupra aquæ libellam, non eſſe propriam ipſius aquæ neque aëris, ſed eſſe gravitatem ejusdem aquæ collateralis legibus mechanicis operando, demonſtrat; priſma aqueum triangulare (quod ipſe eſt circulus noſter) figura 7.

tab. IX. delineat, cujus ſectio ſit B. G. K. ibidemque retinetur ſuſpenditurque mons aqueus. Cauſam deinde aſſignat, à qua ſuſpenſus tenetur, & quæ vis ipſum ſurſum priùs impulit, non vim propriam & nativam ipſius aquæ propter rationes ibi adductas: non aëris vim compreſſivam minorem ad latera aſpera & ſcabra quam in media ſuperficie, quod hydrargyri poſitu redarguere quærit: ſed ſimplicem aquæ gravitatem. Ubi, quia mihi videtur obſcurus Borellus, cum Sturmio eligo preſſionem aëris, ut deinceps audiemus, interim gratiſſimus accipio, quod Borellus circulum noſtrum ingenioſiſſimè deſcribit & delineat figuris aliquot Tab. IX. de quibus poſtea.

Hactenus conſentientes vidimus. Videamus etiam diſſentientes aliquos tam ex veteribus quam recentioribus qui verò vel rejiciendi, vel conciliandi, vel perſuadendi, quibus demonſtrationem noſtram attendere libuerit.

In Epiphaniis Medicorum edente D. Udalrico Bender fol. LXIV. ineptè ſtatuitur, quod circulus ſit ſuprema regio urinæ ex partibus aquoſioribus & magis fluidis ſecundum formam vaſis continentis, in ſuperficie naturaliter generatis, in quo principaliter reluceat conſiſtentia cerebri, utrum bene vel male nutriatur aut diſponatur: an in prora vel puppi affligatur, ſiniſtra dextrave parte.

Franc. Joël Compend. Med. l. 4. ſect. 3. negat in ſalubri urina coronam unquam conſpici, ſed in morbis, præſertim capitis: (cum tamen in omni urina, omni liquore & oleo inveniatur) & habere duas generales ſignificationes afferit, primum oſtendere quis humo-

rum

rum in maſſa ſanguinea redundet, ſecundò quæ ſit cerebri conſtitutio, & quali ſanguine ſit refertum.

Aſt D. Antonius Eygel in Apologemate pro urinis humanis Belgicè conſcripto Ao. 1672. Amſtelodami edito, in quo contra omnes urinarum contemtores prætendit ambitiosè, urinas reliquis ſignis præferendas, ita ut ſine illarum cognitione ars medendi conſiſtere non poſſit, capite 13. ex Vega, Joële, Th. Bartholino, van Halteren, Ægidio, Gordonio & pluribus aliis Auctoribus multa quidem producit: ſed quomodo promiſſis ſuis ſatisfecerit, videat lector, inprimis in circuli prognoſticis.

Joh. Daniel Schrader in Diſſert. de urinis Ao. 1688. vult, quod circulus ſeu corona nihil aliud ſit, quam coitio plurimarum bullularum, majorum vel minorum in ſuperficie, à quibusdam pro certo ſigno phthiſeos habeatur, nonnunquam in malignis quoque viſatur. Minus rectè! Poteſt enim circulus eſſe ſine bullis, quod utplurimum fit, & poſſunt bullulæ manere & adeſſe ſine circulo, quando ſcilicet ille tollitur, vel abeſt aliorſum.

J. Bapt. Helmont. Schol. Humor. paſſ. decept. c. 4. de Uromantia veterum detegere cupit Scholarum antiquos errores de circulo urinæ: quod neſcitum ſit hactenus, quare ſæpius ſit circulus alterius coloris, quam corpus lotii reſiduum, putatum nimirum circulum, à reliquo urinæ corpore ſeparari, velut pinguius ab aquoſo vel tanquam coloſtrum à lacte cui innatat: nec quidquam indagatum, unde circuli & urinæ iſta eſſet varietas. Affirmat itaque quod circulus non ſit falsò apparens, falſaque ſui ſpecie per nudam reflexionem illudens, quod ratio alterati colo-

ris, in circulo lotii pendeat revera ex ipſomet corpore lotii, adeoque circulus ſolus totam conſiſtentiam, colorem & lotii transparentiam indicet, quia continet: quod lignum nephriticum doceat inſigni exemplo; cujus infuſum rubeum eſt lateraliter inſpectum, circulus autem Lazureus, veluti cruoris rubeus dolor in vena, Lazureus inſpicitur trans venam: Et in corpore lotii rubeus color, in circulo autem refractus & in transverſo urinæ citrinus. Itaque concludit, quod circulus ſit coloris verus index in transparentibus, in opacis autem vel turbidis non appareat.

Quæ quia obſcura ſunt, & ſimilia diſſimilia, atque ſi infuſum ligni nephritici cum Rud. Jac. Camerario, qui Tentamina & Continuationem circa colores infuſi hujus A. 1689. Et 90. edidit, examinemus, longè alia phænomena ſeſe produnt; Conradus verò Horlacher J. U. ac Med. D. & Candid. SS. Theologiæ &c. quia Methodum Urinoſcopiæ perfacilem ac perſpicuum ſcripſit Anno 1691. in eaque ubique & imitatur & defendit Helmontium cenſetque cap. 2. quod contemplatio circuli urinæ ſuperius ſemper in lotio conſpicui magni momenti, quinimò maximæ neceſſitatis res ſit in dignoſcendis genuinis coloribus urinæ, color per totam reſplendens urinam, ſubinde fallere ſoleat aciem oculorum: circulus autem ſemper invariatus perſtet, & magis huic fidendum, quam reliquiæ urinoſi liquoris ſubſtantiæ, modo non ſit turbida, rogam' ideo ut triplex hic decoctor ex corpore ſuo quolibet poſt lectam hanc Obſervationem noſtram explicet, quomodo ligni nephritici infuſi circulus lazureus adeoque clarior, & liquor obſcurior rubeus, qui tamen pro lucis applicatione vel cœruleus

vel

vel flavus eſt, cum urinæ circulo obſcuriore, & liquore tranſparentiore comparari poſſit, itemque quomodo ſanguinis cruor ruber in vena, trans venam lazureus inſpectus, conveniat infuſi nephritici & lotii circulo atque liquori ex transverſo; tandemque an non æquè in urina turbida, opaca, infuſo nephritico craſſo, aliisque liquoribus planè nigris & opacis, circulus materialiter & realiter adſit, & humida latera lambat, etiamſi non colore diverſo appareat. Quæ dubia ex definitione & demonſtratione mechanica noſtra ſequenti poterit agnoſcere & emendare.

Oppono autem juvenis Medici Horlacheri opinioni juvenis Medici Eliæ Camerarii ſententiam ex literis 27. Novembr. 1692. ad me datis: Cæterum evolvi, ut jubes locum Helmontanum; Editio in quarto ita habet: Apparet ſic rubeus color cruoris trans venam inſpectus; altera quæ in fol. proſtat, ita effert: Apparet ſic rubeus color coloris, trans venam, &c. Ego certe de verborum iſtorum ſenſu ſollicitus non ſum, cum tamen Tua Excellenz cogitata mea ſcire deſideret, ea nunc promam. Varia quidem mentem ſubiere, dum autem hæc ſcribo, hanc Authoris fuiſſe mentem, ni fallor, mihi incidit: In antecedentibus ſc. dicit infuſionem ligni nephritici lateraliter inſpectam totam in corpore ſuo eſſe rubeam, ſed habere circulum lazureum, etiamſi commoveatur turbidè. Poſthæc adducit verba citata: Apparet ſcil. quæ ad hanc materiem non ſpectant, ſed ſunt ſimile quodpiam, ita ut author dicere velit: veluti rubeus color cruoris (ſ. ſanguinis) lazureus vel cœruleus apparet trans venam inſpectus (vel quod idem ſonare videtur) trans arterias ſeu vaſa (vaſa enim corporis apparent cœrulea) cum

tamen

tamen rubrum contineant ſanguinem. Ita (pergit poſtea) cœruleus color &c. trans vitrum vel venam è diametro viſus. 2°. trans vitrum habet reſpectum ad infuſum ligni nephritici, 1°. verò trans venam refertur ad ſimile ante adductum de cœruleo apparente per vaſa ſanguine. At! contextum totum non capio; neque enim Oedipus ſum, qui intelligat ea quæ contemptor iſte veterum, & obſcurus ænigmatum ſcriptor docet, quèm vix absque tædio evolvere poſſum, cum utilia equidem nonnulla, at plura paſſim vana, obſcura ferè omnia in eo deprehendam.

Audebimus ergò circuli figuram & ſubſtantiam mechanicè proponere, & primò quidem poſitivè & ocularitér in majori forma quam naturalis eſt, quaſi per microſcopium cum Joh. Alph. Borello, qui lib. de mot. nat. à gravitate factis Tab. IX. fig 5. potiſſimum, ut & aliis delineat talem in liquidis circulum, arginum aqueorum aſcenſu ad latera vaſis humida aſpera & ſcabra, atque adhæſione ſeu retentione & inſinuatione in poros profluum lanuginem ſeu viſcoſitatem machinularum flexibilium & reſilientium aquæ fluidæ. Ad hujus imitationem & clariorem demonſtrationem ſeparabimus coronam vel imaginatione in urinâ fluida & alio liquore quovis, ſcilicet ſero ſanguinis per venæſectionem emiſſo, & coagulato, nec non quavis gelatina, & oleo vel ipſa re & materialiter in glacie per ſerram reſecta, & videbimus trigonum armillare ſeu priſma trilaterum circulare, 1.9.7.8.10.4 & 2 5.6.3. quod per Diametrum ſeu medium diviſum oſtendet ſectionem, in qua 1. 2. & 3.4. baſis cum horizontali urinæ ſuperficie concurrit, convexa 1.9. & 10.4. in matulâ gibbosâ, ſ. recta 9,11.& 10.12. in vitro cylindricolam;




Fig. L. pag. 319.




Fig. LI. p. 320.




Fig. LII. p. 321.




Fig. LIII. p. 322.

ſambit latera, hypothenuſa 9. 2. & 10. 3. interiùs ſinuata & concava ſpeculum inſtar lentis vitreæ polite format hac icone in Figura L. matulæ per altitudinem & latitudinem ſeu ventrem medium reſectæ, unâ cum coronâ glaciata. Dixi ſpeculum, quemadmodum enim totus liquor, ut aqua ipſa ſpeculum præſentat, ſive deſuper cum Narciſſo, ſive per transverſum inſpicias; ita & circulus ipſe in lentis ſeu fluidæ ſeu conſiſtentis glaciatæ facie objecta quævis transmittit refracta & ſiſtit in oculo. Imò quemadmodum circularis hæc lens urinæ concava, velut concavum ſpeculum objecta repræſentat plerumque umbroſa, itaque & margo vitri ſupremus convexus umbroſus quoque eſt, vel lucidus: quam obſervationem primùm debeo ingenioſiſſimo Johanni Schiccardo Prof. Matheſeos, amico integerrimo, quem ideo honoris & gratitudinis ergo hic laudo. Monſtrabimus ſecundò privativè. Nam ſi oleum vel liquorem atrum non permiſcibilem affundas in copia, deprimet ille hujus ad latera adhæſionem, ita ut circulus planè evaneſcat, & ſuperficies ſit ſibi æqualis: vel ſi, ut olim monſtravi in Obſerv. citatæ Fig. VI. & VII. injectis paucis ponderibus, eousque ut urina in lateribus ſiccis vel ad lineam æqualem ſuperficiei vel etiam ſupra iſtam ſuperficiem ſeſe elevet colliculo aliquo.

Reliquum eſt ut oſtendatur, cur circulus hic diverſus ſit colore à liquore ſubdito, umbroſus plerumque & obſcurior, aliquando & lucidus, aliquando coloratus appareat: plures enim Medici, circulum, lineam umbrâ depictam definiere ſolùm. Hic primò præſupponimus in circulo hoc fluido & reflecti & refringi objecta tanquam in ſpeculo aqueo aut vitreo:

quod ut demonſtretur apponere liceat Clariſſimorum aliquot virorum Reſponſa prolixa quidem, ſed legi digna 1. Elegantisſ. Joh. Chriſt. Sturmii de 31. Dec. 1691. his verbis. De corona verò urinaria, ejusque colore diverſo à liquore ſubdito (quod eſt præcipuum tuorum argumentum) meam dum exquiris ſententiam, en tibi eam ſequentibus comprehenſam articulis.

1. Non eſſe hanc coronam aliquid urinæ proprium, ſed eandem obſervari in quovis alio liquore pellucido intra vaſculum aliquod vitreum recepto, adeò ut nec ab aqua limpidiſſima abſit, & in amygdalarum oleo cumprimis elegans ſpectetur. 2. Rectiſſimè à Doctiſſimo Bellino aſſertum eſſe, nihil ſolidi in ſe continere limbum iſtum urinæ ſupremum, h. e. à reliqua urinæ ſubſtantia illum re ipſa nihil differre, indeque nihil etiam ſignificare poſſe, ſed eſſe inane quoddam & merè emphaticum phænomenon, à varia luminis fractione per vitrum, & ſummum illud urinæ velum proveniens: Rectiſſimè adeo 3. Te quoq; in Obſerv. allegata concluſiſſe, nihil aliud illam eſſe, quam refractionem in priſmate illo circulari horizontali aquæ ſuperficiem ſupereminente &c.

Sed enim cum illud præcipue deſideres, quomodo à refractione aut reflexione circulus ille oriatur, ac præterea exoptes à Borelliana lanugine, non excluſa tamen aëris preſſione, circulum iſtum demonſtrari poſſe; ideò 4. certiſſimè tibi perſuadeas, ipſum illud priſma circulare, cujus memineras liquoribus vitro comprehenſis ſupereminens ab aëris preſſione, & aliquali partium lanuginoſa viſcoſitate unicè pendere; ſiquidem aëris columna, vitro A. F. e g. in Fig LI. incumbens æquali quidem vi liquorem ſubjectum

pre-

premere conatur, ſed ramoſis & implicitis aliquatenus ſui particulis interioribus vitri marginibus, quodammodo aſperis A B & F E hærens & impedita, ipſo facto tantillo minus premit inter D E & B C, quam in medio inter C & D, ubi preſſio eſt liberior & ſine hæſitatione: Unde fit ut preſſus magis in medio liquor circa margines undique aſſurgat. Longa verò res foret, hoc loco refractionis & reflexionis, indeque provenientis colorationis fundamentum plenius prolixiusque exponere. Sufficiat igitur 5. hoc notaſſe. Colores nihil aliud eſſe, quam luminis modificationes quaſdam ac debilitationes, & varietatem colorum in variis hujus debilitationis gradibus conſiſtere, neque vel refractionem vel reflexionem luminis abſque ejus debilitatione unquam futuram, vel pilæ è pariete reflexæ motum ſenſibiliter imminutum, aut ejusdem ex aëre per aquam vel aranearum telas transmiſſæ retardationem valde notabilem abunde docere. Speciatim verò 6. Reflexionem ordinariè fieri, in politioribus præſertim ſuperficiebus, per æquales incidentiæ reflexionisque angulos; ita ſc. ut radius C D in Fig. LII. obliquè incidens in ſuperficiem politam A B ſub angulo C D B (reſpectu lineæ Horizontalis A B) vel C D F (reſpectu perpendiculi F G) verſus D E reflectatur, angulus E D A vel E D F, prioribus iſtis planè æqualibus, ſaltim ſenſibiliter, refractionem verò ejusdem radii C D ſuperficiem pellucidam A B penetrantis, unâ parte tertiâ circiter anguli incidentiæ C D F à via recta C H verſus perpendiculum F G deflectere (ſiquidem ex rariore medio in denſius, e. gr. ex aëre in aquam penetret, oppoſito contra in caſu oppoſito contingente) & à D verſus

ſus

ſus I pergere, non ſine ſenſibili ſui diviſione (quia ſuperficies AB non eſt ſummè pellucida, ſed ex parte ſaltem opaca, ideoque portionem radii ex D in E reflectens) indeque conſequenti debilitatione: quemadmodum nec reflexio ulla fit ſine diviſione ſimili, cum nulla ſuperficies ita ſummè ſolida & polita ſit, quin aſperitatibus quibusdam ſuis, etiamſi minutiſſimis, aliquas radii incidentis C D portiunculas aliorſum quoque diſpergat, & poris ſuis, licet exiliſſimis, aliquid ejus abſorbeat, reſidua inde portione ordinariè reflexâ D E debilius oculum ex ea regione poſitum afficiente. Quibus ita breviter expoſitis, evidens eſſe
7 Radios E D in Fig. LIII. παραλλήλως in ſuperficiem liquoris planam C D illapſos, eodem modo reflecti aut refringi omnes; in ſuperficiem cavam ſive curvam B C eodem ſitu parallelo illapſum radium E d (quia perpendiculum hic è centro cavitatis f ducendum eſt) aliorſum planè ſuam vel reflexionem vel refractionem (illam ſc. in e, hanc in i) dirigere: id quod unũ ſufficit, ad percipiendum, vi ſuperiùs dictorum, quod alius ex priſmate circulari B C, alius ex planicie intermedia C D, ad oculum eodem ſitu poſitum, ſive reflectendo ſive refringendo color advenire debeat. Quin etiam
8. (ſi ratio hæc optica, quam ſatis explicatam dare in tanta brevitate vix licet, perceptu paulò videatur difficilior) faciliore quodam modo diverſitatem colorum in diverſis illis caſibus æſtimare topicè ſic licere, quod (cum experientia obvia doceat, eundem liquorem, quò copioſior aut majori profunditate, intra vas receptus fuerit, eò fuſci magis & obſcurioris apparere coloris, dilutioris contra ſi minus profundus & paucior in eodem vaſe ſpectetur) idem liquor, in

vaſe

vaſe medio majorem profunditatem D G, circa marginem verò in priſmate circulari B C multò minorem habens, alium ibi, alium hîc exhibere colorem debeat, & huncutrumque porrò multum variare neceſſum ſit, prout & lumen reſpectu vitri oculique poſitum fuerit, vel oculus utramq; liquoris partem aut intra vaſculum, aut extra illud adſpexerit.

2. Eruditiſſimum Stephani Spleiſſii Med. D. & Practici Schaffhuſani ex literis 8. Nov. 1692. datis, quod promiſit Rev. Pater nunc ἐν ἁγίοις. Confero me ad quæſtiones de corona ſeu circulo urinæ, Parenti meo propoſitas, quarum prior fuit. Cur color urinæ in circulo ſeu corona urinarii diverſus ſit à colore urinæ reliquæ ſubjectæ? poſterior hæc eſt: Cur circulus in urinario referat colorem chartæ coloratæ urinario ſuppoſitæ; cum tamen liquor ſubjectus id non faciat? Quæ ſingulæ, quantum aſſequi poſſumus, in eo conſiſtunt, 1°. Quid circulo urinæ naturaliter inſit? 2°. Quid circa eundem per artem fieri queat? Ad priorem, quam parens meus ſatis ſuperque jam ventilavit, nihil eſt, quod amplius in ſpecie dicamus, niſi comparationis ergo. Ante omnia quidem ſuppono, non mirandum eſſe, divinum Hippocratem de circulo urinæ nihil quidquam dixiſſe, dum æquiori judici conſtat, illum tanquam non ens, in prognoſi medica nullius eſſe momenti; quod ex rationibus modo ſequentibus colligi poterit. Primum itaque optime mones, Exc. Vir, ſtare ex Tuo arbitrio, circulum urinæ, totum aut dimidium vel fractum in partes ponere, aut tollere: Secundò eundem circulum formare, vel album, vel lucidum vel nigrum, vel umbroſum, vel coloratum. Omnes iſtas variationes Te jubente, ad examen revocavi, & rem in ſingulis

ad amuſſim ita ſe habere, deprehendi. Quanquam verò cuncta tetigeris acu, non tædebit, ſi meas inde natas particulares cogitationes, tuæ tanquam æquiſſimi judicis cenſuræ ſubjiciam.

In univerſum, diaphanorum corporum naturæ eſt proprium, admittere lucem, pro diverſa particularum corporum denſitate, vel copioſiorem, vel pauciorem. Hujusmodi res eſt urina ſani hominis, quæ naturaliter ſe habens, in urinario detenta, ac aëri libero expoſita, excepto ſedimento ac nubecula, ex ſe ipſa undique ſibi ſimilis eſt; ratione verò, vel vaſis, vel luminis incidentis, vel ipſius liquoris copiæ, varia redditur, ex. gr. â medio urinarii latere inſpecta urina, apparet unius coloris citrei, ſcilicet luminis radios rectos ſuſcipiens, oculoque communicans; in extremitate verò urinarii usque ad ſuperficiem urinæ horizontaliter jacentis, umbroſa videtur. Umbroſam voco, qua nihil aliud eſt, quam umbra, quæ ex defectu luminis, urinarii lateribus oblique tantum incidentis, viſui naturalem urinæ colorem communicare non ſinit. Corona verò urinæ ſeu circulus ipſe per ſe ſemper lucidior ac dilutior eſt, quam urina reliqua, ob liquoris ad latera vaſis ſupra communem urinæ horizontem aſcendentis paucitatem, quem ideo lumen liberè permeare, ac viſui urinam qualis ex ſe eſt, & quoad minimum, exhibere poteſt. Hic urinæ circulus, quo pacto vel totus, vel partim tollatur, in Anni III. Obſ. 288. Eph. Nat. Cur. eleganter demonſtraſti. Has itaque aliasq; variationes ejusdem urinæ, à vario ſitu ac motu, tam oculi, quam ipſius urinarii inſtitutas, variationi reflexionum duntaxat

ſuos

uos debere natales, cùm negari non queat, ſuapte vi adent falſa quorundam, & ut merito vocas, ridicula de circulo urinæ prognoſtica. Quæ cum ita ſint, non video, cur Medici, quatenus tales, magis ſuſpicere teneantur phænomena circuli urinæ, ratione rerum coloratarum urinario ſuppoſitarum; niſi id fiat pro animadverſione (quæ Tibi Vir Excelentiſſime laudabilis ſcopus eſt) ne adparentia pro eſſentialibus arripiamus. Nam præter id, quod locus inſpectioni urinæ deſtinatus ac proprius ſit aër liber, omnique colore deſtitutus, nihil inde quod myſterii nomen mereatur, elici poteſt, præter meram reflexionem. Aërem ſeu lucem ratione oculi vehiculum eſſe omnium colorum tam hypoſtaticorum, quam adparentium, nemo erit, in opticis quidquam verſatus, qui facile negaverit, Ut ita circulus urinæ, ſpeculi inſtar ſe habeat neceſſe eſt, objecta colorata reflectentis & ad oculum deferentis. Præter chartam albam, rubram, flavam, cœruleam; viridem, quibus Excell. Tua experimenta fecit, urinario quoque ſuppoſui chartam verſicolorem, quam Turcicam vocant; quæ haud adeo obſcurè eosdem colores, (prædominantem quidem magis, quam cæteros) in circulum urinæ reflectebat.

Cur autem circulus in urinario referat colorem chartæ coloratæ, urinario ſuppoſitæ, cum tamen liquor ſubjectus id non faciat, interroganti, reſpondeo: In omni reflexione requiri certum ac deſignatum aliquem terminum, ſeu punctum incidentiæ: liquor autem in urinario copioſus, colorum ſubjectorum illuminationem quaſi abſorbet, ut ita ſubmergantur potius radii incidentes, quam ut ad oculum

refle-

reflecti queant. Corona verò, conſtans ex tenuiſſima liquoris portione, (quæ, ut ipſe doces ſupra communem urinæ horizontem aſcendit,) ipſi urinarii lateri immediatè juncta, terminum deſignatum incidentiæ conſtituit, colores ſuppoſitos ſuſtinendi, & ad oculum reflectendi. Eodem modo

Cum Sol ardentes radios in nubila jecit,

fit iris; requiritur nempe locus fixus, ad depingendum verſicolorem hunc arcum; cùm aliàs radii ſolares in diffuſiſſimo aëris pelago ſubmergantur.

Pro hujus thematis concluſione, nihil eſt, quod ulterius addam, præter gratulationem, de indefeſſa Tua circuli urinæ phænomenorum indagine, quæ ſi aliàs nihil, certè hoc emolumentum habebit, ut illi Medicaſtri, qui nimium quantum in urinæ phœnomenis deſudantes, oraculi Delphici inſtar matulam ſuſpicientes, ac in idololatriam ejusdem fere dilabuntur, reſipiſcant, memores illius Horatii l.1. Serm. Sat.1. v.106.

Eſt modus in rebus; ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum,

3. Doctiſſimum Eliæ Camerarii in literis ſupra citatis in quibus pergit. Dum verò colorem circuli diverſum à liquore ex reflexione & refractione deducis, id ego ita concipio. Ubi lucis radii liquorem ſubeuntes æqualiter ubique & ratione copiæ & vigoris emergunt, ibi neceſſariò concolor eſt liquoris iſtius maſſa; at cum radii & copioſiores & magis vividè adhuc moti per circulum tenuem ad retinæ nerveas fibras penetrent, quam per reliquum liquorem craſſiorem atq; adeò & radios plures abſorbentem, & transeuntes

magis

magis debilitantem; hinc aliter fieri nequit, quam ut diſcolor à liquore ſuo ſit circulus.

In quibus Reſponſis ſubſiſtere & acquieſcere quidem poterit quisque curioſus, quamvis dubia quædam ſunt in Sturmiano, de obſcuriore colore in profundo liquore, dilutiore in minus profundo & pauciore, cum contra fiat in corona & liquore urinæ; in Spleiſſiano quod corona ſemper ſit lucidior & dilutior contra experientiam: quod reflexionem ſolam admittat: aërem liberum pro objecto, non feneſtras aliaque objecta umbroſa, lucida & colorata in hypocauſto, ubi plerumq; urina inſpicitur, ponat: urinam ſpeculo reflectenti comparet, quæ potius refractione agit: quibus ventilandis & dirimendis eſſet occaſio. Attamen, quia levia ſunt, placuit potius experimenta facere, litemque componere in ciſta chartacea alba cylindrica, ſeu tympano alto pedem unum & dimidium, totidemque lato per diametrum, in quo matula cum urina vel ſuſpenſa vel vitro alio ſuſtentata inſpiciebatur per foramen parvum: deinde in linteo aut charta alba oppoſita, in diurna aut lucernæ luce; oppoſitis denique & ſuppoſitis umbroſis, lucidis & coloratis objectis. Qua ſpeculatione obſervavi videri & apparere circulum hunc vel umbroſum, vel lucidum, vel coloratum, prout objecta apponuntur, opponuntur, vel ſupponuntur, ita ut radii illorum ſeu ſpecies ad oculum reflectantur vel refringantur.

Cogitabam igitur in circuli majore forma tam objectorum reflexionem quam refractionem, ſimul & in liquore ipſo ad oculum usque radiantem repræſentare figura aliqua. Sed ne nimiū lectores in re tam vili & quaſi fruſtranea detineam, abſtinui, cum in Sturmiana

delineatione refractio & reflexio ea evidenter monſtretur, ut nihil deſit, niſi quod oculus apponi debeat. Fortaſſis tamen non tædebit nec pœnitebit benevolum Lectorem has nimis effuſas meditationes nugis aliorum appoſitas perlegere, ut exinde vera urinarii circuli eſſentia, color diverſus & ſignificatio, denique definitio accuratior emergat, nempe quod ſit limbus extremus in circumferentia urinæ ſupremæ ad latera matulæ aſperæ & humidæ adhærens, ſupra ſuperficiem liquoris propter preſſionem leviorem aëris, colorem alium aliumque accipiens ex poſitu luminis & oculi, craſſitie matulæ, tenuiore mole hujus triangularis priſmatis (ſi ſeparaveris imaginatione vel linea colorata à liquore ſubdito) quam ipſe liquor eſt, quæ diverſitas à refractione luminoſorum, umbroſorum, vel coloratorum objectorum potius oritur, velut in lente vitrea concava, quam reflexione; nihil ſignificans aliud ſingulare, præter quod ipſius liquoris color aut conſiſtentia notat: adeoque non eſſentiale quid ſed accidentale, quod tolli ponique poteſt, dimidium vel totum, vel per partes in omni tam ſana, quam morboſa urina, velut in aliis omnibus liquoribus.

Quid denique ſtatuendum ſit de circuli ſolius coloribus & pinguedine, cum ab Autoribus notentur pluribus, difficile erit judicare: nam de urina tota nigra, rubra, alba, lactea, paleari, ſpicea, glaucea, praſina, Veneta, livida, cœrulea, rubra, flammea, lucente, crocea, viridi, oleaginoſa, viſcida, non eſt dubitandum, quia plurima exempla & hiſtoriæ proſtant. Nollem enim tot & tam claris ſcriptoribus denegare experientiam, quamvis ego per quadraginta annorum praxin nunquam offenderim ſolum circulum aut ſuper-

perficiem pinguem natantem, vel in ipſa phthiſi & morbis colliquativis.

Fernelius enim cap. 16. de Urinis, de Corona dicit. Sæpe multa vel colore vel ſubſtantia ſubjicit oculis, quæ nondum in reliquo urinæ humore cerni poſſunt. Idem ibidem diſtinguit tenuem & albam, craſſam & albam, citrinam, croceam, rubram & ardentem, viridem, cœruleam & lividam cum ſua ſignificatione. Actuarius de differ. urinar. ex variis coloribus conſtare circulum aſſeverat, qui videatur ipſe.

Heurnius puniceam ex virore anxietatis & malignitatis in febribus ſignum, & poſt ipſum. J. D. Horſtius pronunciat Bartholinus Cent. 4. hiſtor. 26. tremulam recenſet, veluti quoque Cnoefelius Eph N C. Dec. I. Ann. IV. Obſ. 56. urinam tremulam vel ſaltantem conſpexit per ſex horas, admiratione dignam: Joël albam & tenuem, albam & craſſam, croceam tenuem, rubram & flammeam, purpuream, lividam, Venetam ſive plumbeam & cœruleam, nigram, viridem, trepidantem cum prognoſticis enarrat, quas Joh. Munnicks quoque enumerat, additque diſcolorem in modum iridis, vertiginis & quandoque epilepſiæ notam, itemque arenulas in circulo, vertiginis quoque aut in ſenioribus paralyſeos prognoſticum, violaceam denique & lividam epilepſiæ, & aliorum cerebri morborum prænunciam. Auderem tamen mentem meam hîc proponere. Si circulus urinarii liquoris colori ſimilis fuerit, judicium erit idem, quod de tota urina dici poteſt. Si ſine objectis variè coloratis reflexis, refractisve appareat, & liquori citrino atque pellucido minusque colorato diſſimilis fuerit, referatque alium colorem, conſideratu

 dignus

dignus erit. Sin verò ab objectis coloretur & refringatur, in promtu cauſa eſt, & facilis prognoſis. Sed miſſis coloribus circuli, ſola pinguedo & oleum aut in circulo ſolò, aut in ſuperficie tota urinæ natans attendi meretur, quippe quæ ſæpius adducitur, & morborum colliquativorum, ipſiusque phthiſeos & hecticæ ſignum creditur, ita enim intelligi videntur Auctores plurimi.

Nam totam urinam dari pinguem & oleoſam, teſtes ſunt fide digniſſimi. Fernelius lib. 3. de Urin. notat pinguem & oleaceam, non eam cui pinguedo telis araneorum ſimilis innatat, ſed eam cujus ſubſtantia lentore & craſſitie oleum adipemve liquefactum repræſentat, & quæ commota gravis lentaque ut oleum apparet. Hæc vel phthiſi vel hectica febre, vel hydrope corpus liqueſcere demonſtrat. Plempius Inſtit. fol. 370 obſervavit in ſeptuagenaria poſt febrem, pinguedinem aliquot ſeptimas emictam, à renibus profectam non à toto, quia non facta macilentior. J. D. Horſtio Manud. ad Med. p. 186. oleaginoſa urina, quæ ad craſſas ſpectat, quandoq; nullum detrimentum ægro affert, ſæpius prodit cum commodo in morbi concoctione, notante Galeno l. 3. epid. ſect. 3. comm. 72. & 74. Jacobus Schmid Eph. N. C. Dec. II. An. II. Obſ. 123. oleaginoſam per plures annos vidit ſine ſanitatis detrimento una cum Schenkio & Foreſto & Obſ. 124. lethalem in febribus malignis. Wedelio Theorem. Med. part. 3. ſect. 2. ſſ. 23. oleaginoſa quoad ſubſtantiam rara eſt, & colliquationem notat malignam: viſcida, mucilaginoſa & ſine ſibilo exiens, frequentior. Idem Diſſert. de urin. earumque ſignificationibus cap. 3. oleaginoſam triplicem facit 1. à colore & ſubſtan-

tia, 2. tantum à conſiſtentia unguinoſa, 3. à ſtridoris & ſonitus in matulam carentia. Horlacher Urinoſcop. c.6. viridem ſeu oleaginoſum colorem phthiſeos, conſumtionis & maciei corporis ſignum, ex certa experientia laudat, quem ab acido quodam, colliquativo ac putrefactivo credit. Muñicks Diff. de Urin. c.4. inquit. Urina alba quæ ſpiſſa & oleaginoſa eſt, atrophiam univerſalem indicat. De cauſa verò hujusmodi urinæ cum auctores non conveniant, miſſis aliorum opinionibus ex mente Malpighii de Omento, pingued. & adip. ductibus atque ipſis illius verbis ſcribit, talem urinam excerni, quando pinguedo naturaliter in ſanguine existens aliqua de cauſa cum latice ejus ſeroſo excernitur, cum pinguedinis inſignis uſus occurrat in ſanguine, ſc. ut ſanguineis ſalibus, aliisque acribus particulis ligamen & vinculum impertiatur, quod evincitur experimento. Lixivium enim acre, quod fuſa ſalia continet, ſi oleo miſceatur, ejus acredo evidenter remittitur, & fit miſtura inſtar lactis.

In tali pingui & oleaginoſa urina, circulus quoq; pinguis reperietur facile. Aſt de ſolius circuli aut ſummæ ſuperficiei pinguedine audiendi quoque ſunt ſequentes Medici præclari. Hippocrates Prænot. c.12. ita prædicit: ſed & pinguedines ſupernè inſtantes araneorum telis ſimiles, damnare oportet. Sunt enim colliquationis ſigna, Ad quæ Fernelium de Urin. c.16. addit. Niſi enim renum colliquatio & fuſio quædam in cauſa ſit, corpus univerſum vel Febre ardente, vel phthiſi, vel hectica febre liqueſcit. Idem Hipp. aph. 35. ſect. 7. ait. Quibus in urina adipalis ſuperficies eſt conferta, iis nephriticum & acutum morbum ſignificat. Quem Jo. Ligæus in Annotat. illuſtrat ita: inſi-

dens & ſupernatans aliquid pingue & telis aranearum ſimile. Bruno in notis ad Jeſſenii de ſangu. V. S. dimiſſo verba: Pingue quiddam ad implicatioris araneæ telæ formam ſuper extenſum, id quidem in obeſis, ſanguinis in adipem tranſitum; in gracilibus verò, ob colliquationem, marcorem portendit, ſic commentatur pag. 190. Obiter & hoc attingendum, talem telam pinguem etiam reperiri urinis hecticorum & febricitantium ſupernatantem, vel latera vitri nebula albicante obfuſcantem, quæ tamen non eſt confundenda cum tela vel cruſta albicante etiam in urinis tabidorum ſæpius obſervatâ. De utraque egit ſolidè & diſtinctè D. Willis Exerc. de urinis c. 5. illam oriri dicens, quando urinæ liquor ſulphure diſſoluto plus ſaturatur, & nimium imprægnatur. De hac verô prolixius diſſeruit, cap. 6. ſic. Interdum urinis cum aliquandiu ſteterint, cremor quidam ſupernatat, veluti tartarus aquæ incoquitur: hujusmodi cruſta albicans in ſuperficie lotii concreſcens vulgo pinguis & adipoſa creditur, ac pro ſolidarum partium deliquamento habetur: quare talem urinam excernere ſoliti ſtatim tabidi & quaſi deplorati pronunciantur. Veruntamen iſta concretio tantum ſalina eſt, quæ ſi igni admoveatur, minimè liquatur, ſed in ſubſtantiam cruſtaceam obdureſcit. Quæ verba Munnicks cap. 5. Differt. de Urin. mutuatur. Qualia quoque Willis in Diſſert. Epiſtolica affert. Quod vulgo receptiſſimum habetur, ſcil. urinas quibus cremor innatat, (velut in aqua cui tartarus incoquitur) phthiſin denotare, plerumque incertum eſt, quippe ſignum hoc hypochondriacis magis proprium. & familiare eſt, quam tabidis: & quamplurimi ſine hoc intabeſcentes moriuntur. Quibus

Bru-

Bruno addit hæc. Quorum omnium veritatem propria ſenſuum fide, examinatis & obſervatis fideliter urinæ mutationibus, aliquoties comperimus. Sed de his forſan alio loco dicendum.

J. D. Horſtius Manud. ad Med. Si pinguedo innatet, colligimus calorem æſtuantem adeſſe, qui adipem colliquet. Joël quæſt. 34. Pinguedo inſtar telæ aranearum in ſuperficie urinæ innatans, renum & pinguedinis circa renes abſumptionem & colliquationem monſtrat. Et quæſt. 33. Tela aranearum ſuperficiei urinæ obducta, variis & viridis coloris cœnoſum & putrefactum ſanguinem adeoque morbum Gallicum capitisque dolores ſignificat. Willis de ſcorbuto c. 1. Obſ. 1. p. 316. Urina fuit pauca & rubicunda, in cujus ſuperficie pellicula inſtar caudæ pavonis variegata, accreſcebat. Et mox. Urina lixivialis & coloris variegati ſanguinem dyſcraſia ſulphureo-ſalina correptum plane indicabat: cujusmodi lotium eo ritu inſignitum in pluribus aliis, ſimili modo affectis, annotavi. Capivaccius l. 7. Conſ. 73. in muliere quadam cum pluribus ſymptomatibus. Dum delirium durat, cuticulam urina capit deſuper, quæ inſtar glaciei ſupernatat, colore quaſi iridis. Hinc Henr. Martini in Anat. Urinæ c. 10. duplicem pinguedinem facit. 1. Quando inatat Urinæ, inſtar telæ aranearum, de qua Hippocrates, quam & Cardanus ſingulis diebus per 40. annos ſine ulla noxa in ſe, nec non in pluribus aliis vidit, veſicæque acceptam fert, qualem quoque Martini vidit in hypochondriaco, cæteroquin ſano, cum renum manifeſta temperie. 2. Quando concreſcit in urinæ ſuperficie cruſtularum inſtar, quales videl. in lebetibus conſpiciuntur, cum jus à frigore concreſcit, quam docuit

Gale-

Galenus, & in magnis hecticorum colliquationibus ſæpius invenit, prodire autem ait cum urina vel ſenſim in febre, & tunc totius corporis colliquationem ſignificare, vel confertim, & cum calore, dolore ac renum laſſitudine & tunc renum vitio contingere, adducitque hanc rationem. Nam quia renes copioſa pinguedine præditi ſunt, à qua exſudans oleoſus humor, meatus, ne à ſeri acrimonia lædantur, oblinit, facilè fieri poteſt, ut calore partem ejus peculiari modo attenuante & ſubtiliſante virgulæ pingues in urina oboriantur, quæ à ſero transfluente diviſæ, atque ſeſe iterum, qua datur, unientes, feneſtratam ejusmodi ſpeciem ac aranearum telis ſimilem repræſentent. Sed ſufficiat ſic diu & ſerio luſiſſe circa urinæ coronam inutilem quaſi & inanem, atque tempus triviſſe, vel perdidiſſe potius, niſi me excuſaverit oppugnata aut citata defenſio aliorum, juvet potius minimorum & viliſſimorum laborioſiſſima perſcrutatio Malpighii, Grævii, Swammerdammii, Hookii, Lewenhoekii, aliorumque cum & ipſe DEUS in minimis maximum ſeſe oſtendat.

OBSERVATIO CLI.

Dn D. SALOMONIS REISELII.

De Ano imperforato cum ventris tumefacti ſacco.

PLurima exempla quidem ani imperforati proſtant, etiam in Ephemeridibus noſtris. Sed ſingulare fuit conjunctus cum ingenti ſacco ab urinæ ſerique collectione nato. Chriſtophori Treibers uxor in Thermis Ferinis peperit primo partu 14. Julii 1697. filio-

filiolum non ſolum cum ano imperforato, ſed & monſtroſi aliquid præ ſe ferentem, ut ab obſtetrice ſpargebatur in vulgus, atque immaturum, ut credebatur, quia ante octo dies lapſa, ſeptimanis ſex vel ſeptem citius peperit ante nonum menſem. Itaque propter ſuſpicionem, quod ante nuptias fœtus conceptus fuerit, non tantum, ſed & an monſtroſus eſſet, Rever. Dns. Superattendens Zeller inſpectionem à me tum præſente poſtulavit. Vidi ergo una cum Exc. Domino Gerlachio Phyſico Calwenſi & Inſpectore Acidularum Deinacenſium, Thermarumque Ferinarum & Cellenſium, & inveni fœtum perfectum quidem, ſed lividum fere ubique & præſertim in collo, ubi & cuticula rupta fuit circum circa; niſi quod venter valde tumidus fuit à tuberculis ſeu globis multis intus latentibus, in quo umbilicalia vaſa brevia erant, quod in partu rupta fuerint, cum & ſecundinæ laceræ & ſemiputridæ apparuerint. Penis in præputio concluſo veſiculam oſtendit; teſticuli valde parvi; anus vero imperforatus, & cuti integræ ſimilis, ſine ullo ſigno aperturæ cicatriſatæ vel concluſæ. Ventre aperto occurrere videbatur primo intuitu veſica magna & inflata, ſolutâ vero illâ à diaphragmate & inteſtino recto, ſtomachus ſpectabatur vacuus & parvus, inteſtina fæcibus nigris impleta, usque ad ingentem ſaccum aliquem, quem pro veſica initio accipiebamus, ad cujus ingreſſum vacua erant & penitus concluſa ſeu impervia inteſtina. Apertus ſaccus ſeri copioſi lacteſcentis effudit magnam copiam, intus multis rugis & ſacculis repletus, unicoq; ampliori, quem pro veſica adhærente judicabam, quia exterius adnatus fuit urachus. Ex ſeri ergo & urinæ retentione ſac-

cus iſte potuit oriri & repleri, præſertim quando mater tempore graviditatis multum ſitiit, potavitque.

OBSERVATIO CLII.
DN. D. SALOMONIS REISELII.
De Hydrode curato Euporiſtis.

EOdem tempore referebatur à balneatore ibidem, quod pauper puer ab hydrope tumefactus varia fruſtra quidem ſumſerit, denique cum decocto cynosbati ſuccum ſempervivi affatim biberit feliciſſimo ſanitatis reſtitutæ eventu. Quæ ſit virtus in ſempervivo ad aquas dicutiendas, non video cum refrigeratio & adſtrictio ei attribuatur: cynosbati vero virtus hydragoga ſit ſatis experta, ut aliorum diureticorum, inprimis lixivii ex cineribus herbarum, cui meritò laudem tribuere debemus, quo pauperes plurimos ſolatus ſim.

(*Anno 1698. d.6. Januar. Stuttgardtiâ Auguſtam Vind. miſſa.*)

OBSERVATIO CLIII.
DN. D. ANDREÆ LÖW.
De Fonticulo aut potius Paracenteſi abdominis, à Natura Aſcitica inſtituta.

IPſam ſæpè Naturam in remediis poſcere, quæ ſentit profutura, quibusque in libertatem ac ſanitatem priſtinam aſſerere vult homines deſperatè decumbentes, præter alios ferè innumeros, teſtis eſt Aſcitica confirmata, ſolo potu Cereviſiæ ſanata, apud Pechlinum

num Obſ. Med. 63. l. 1. p. 153. Et ſæpius, ubi Medicus jam deſinit, ibi demum incipit agere natura, quæ ſibi relicta, morborum ſemina quandoque felicius expedit, quam medelis coacta; imò ſæpiſſimè juvat humanâ ope jam deſtitutos, & prognoſticis relictos: Nihil quippe ipſi invium, quin præclusâ viâ ſuperiore, decurrat inferiores, excretionique dicatas, iisque impeditis, quærat inſenſibiliores, transſpiratorias, quibus ſimiliter obſtructis, abditiſſima loca, quæ ne ſomniaremus quidem, ut per illa ſarcinam ſuam copiosè deponat, ſeque à præſentaneo mortalis periculo vindicet. Veritatem hujus aſſerti, atque admirandam naturæ energiam, ac conatum efficaciſſimum videre licuit in Illuſtriſſimâ Matronâ, Viduâ, ſeptuaginta aliquot annorũ. Hæc in Matrimonio plurium liberorum Parens, tandem in puerperio malè tractata, acquiſivit motus convulſivos, qui tractu temporis in habitualem degenerarunt epilepſiam, quotidiè ferè, inprimis noctu, & imminentibus lunæ mutationibus recurrentem, ſed brevi transeuntem, quâ finitâ, ſurrexit, ambulavit, benè comedit, in publicum prodiit, mente tamen vacillante, alias ſana. Anno 1695. incidit in dolorem colicum, quem adhibitis adhibendis, clyſteriis nempe frequentioribus, potionibus laxativis mannatis, inſecuta eſt largiſſima diarrhœa, duas ſeptimanas continuans, cum Illuſtriſſimæ Comitiſſæ levamine; hâc ceſſante, rediit dolor cum levi abdominis tumore, atque febricitare cœpit. Prædixi hydropicam diſpoſitionem, ſi non præſentem jam Aſciten. Hydragogis, ob diverſos affectus, viſcerum tonum labefactatum, ob ipſum ſenium, cùm nihil hîc tentandum, cordialia ſolùm & abſorbentia,

v. g. magiſt. Perlar. Smaragd. ſpec. cord. temp. de gemm. frig. pulv. analept. lap. 69. præp. unicorn. mar. ſl. nitr. pulv. hepatic. &c. adhibui. Continuarunt nihilominus calores, dolores acerbiores facti, ſitis intenſior, vigiliæ continuæ, acceſſit gravitas pectoris, ſpirandi difficultas crevit abdomen, indicia aquarum in corpore creſcentium, adeoque mortis indubiæ propediem adventuræ. Rebus ita jam conclamatis ſupervenit tandem natura, ſollicita vitæ conſervatrix, aperuit poros quosdam in abdomine, ſub epigaſtrio, à parte ſiniſtrâ umbilici, inſtar acupuncturæ, ex quibus exiliit dies noctesque non aqua pura, ſed ſerum lentum, turbidum, pituitoſum, coloris fuſci, recrementis variis remixtum & in pelvi ſubſiſtens gelatinam aliqualem in fundo relinquens, copioſum. Evacuatis jam hac ratione liquoris hujus aliquot libris natura longè patentiorem ſibi formavit viam, dilatando non ſolum poros, ſed & eosdem erodendo, inſtar ulcuſculi à fonticulo recens facti, quod foramen indies excavatum fuit, ut interanea nobis videnda dederit, & maximum digitum admiſerit, adeoque Chirurgi deligationem poſtulaverit. Crevit effuſio ſeri turbidi quotidie in quartam usque ſeptimanam, quo tempore demum decreſcere, abdomen ſubſidere, ſymtomata ſupra recenſita remittere cœperunt. Per duos menſes apertum remanſit foramen, antequam conſolidatum fuit, ex quo ad minimum manarunt triginta libræ materiæ ſeroſæ. Toto verò fluxionis tempore, vix aut rariſſimè epilepticis ſuis convulſionibus quas forſan eradicatas voluit natura, tentata fuit, metaſtaſi ſine dubio facta, deductisque humoribus ſuperfluis, acribus, ſalſis, ad locum hunc paracenteſi naturali reſeratum, & evacuatieni

tioni deſtinatum. Sic Aqualiculus nimium quantum tenſus, cum toto abdomine ſubſedit, & Illuſtriſſima Comitiſſa ab omnibus morti jam adjudicata delinitis omnibus ſymptomatibus convaluit, vixitque ſana & incolumis, ultra biennium, exceptis ſuis convulſionibus, poſt morbum redeuntibus, & à natura pro remedio ac ſigno ſanitatis habitis. Anno demum 1697. quieſcentibus iterum ex improviſo convulſionibus, ſenſit gangrænam in femore ad muliebria ſerpentem, quâ accedente Sphacelo, placidiſſimè obiit. Paracenteſin artificialem in debili hoc, ac ſenio jam confecto, nec non tot tantisque miſeriis enervato, morti jam proximo, ſubjecto, diarrhœâ prægreſsâ, adeoque viſceribus minus benè conſtitutis, quis auſus fuiſſet applicare, aut quis hic loci, rebus ſic ſtantibus, proſperum ſucceſſum, multò minus ejusmodi eventum planè admirandum ſibi polliceri, nedum experiri potuiſſet, quin maturaſſet magis, quam diſtuliſſet mortem. Aſt natura optima medendi magiſtra, cùm ſimul temporis ſit ſervantiſſima, & ſola omnium optimè noſcat horarum momenta, varia excogitat inventa, quibus tempeſtivè ſatis diſſolvat morborum nodos, arti Medicæ planè indiſſolubiles. Similes fonticulos aut paracenteſes in abdomine & thorace hydropicorum obſervarunt Spindlerus, Cent. Obſ. Med. 52. p. 96. Cæſo Gram. M.A.N.C. Dec. 1. Ann. 2. Obſ. 257. p. 383. & An. 3. Obſ. 18. p. 23. Simon Schultz. Ann. 4 & 5. Dec. 1. Obſ 97, p. 128.

OBSERVATIO CLIV.

Dn. D. ANDREÆ LÖW.

De Hydrope pectoris.

LEctiſſima quædam filiola medium quintum ætatis annum nondum egreſſa, temperamenti ſeroſioris, pituitoſi, poſtquam menſe Nov. 1697. maculas in toto corpore, inprimis abdomine, rubras, latiſſimas ac denſiſſimas, in unam ferè maculam coëuntes, aut univerſale eryſipelas præſentantes cum pruritu, levidenſi calore, quas alias Roſſalias nominare ſolent, impunè & quaſi ſtando, ſine adhibitis medicamentis, intra tres vel quatuor dies ſuſtinuiſſet, menſe poſt, incidit in inflationem faciei, manuum, pedum, hypochondrii ſiniſtri, poſt ſomnum graviorem, tuſſim vehementem, catarrhum mentientem, ſiccam. Præſumentes adeſſe vermes, dedimus pulverem ſem. cynæ cum CC. uſto, adjectis 5. granis diagrydii, externè Topica ex unguento deoppilativo martiato, contra vermes, Ol. cappar. tamariſc. Carminat. Mynſ. Spir. ſalis armoniaci. Elapsô triduo, præter omnium opinionem, gravitatem in pectore ſentit ſummam, tuſſim frequentiorem, inanem, ſitim immodicam, calores auctos, ſpirandi frequentiam, dyspnœam, magnam inquietudinem, & corporis jactationem; his acceſſerunt cordis palpitatio, crebra animi deliquia, vires unô quaſi momento penitus proſtratæ, adeoque deambulandi hucusque conceſſa, impotentia, pulſus perturbatus, debilis, facies, manus pedesque pallidi, ſupra modum inflati, ſemper frigidiſſimi. Adhibui ſudorifera, clyſteres frequentiores, expectorantia, ex

Sirup.

Sirup. pectoralibus, cordialia, volatilia, non omiſſis Topicis, ſine ullo levamine, imò poſt uſum clyſterum ſymptomata magis exacerbata deprehendi, reſpirium difficilius, ut vix per momenta in lecto manere conceſſum fuerit, gravitatem ad ſuffocationem usque laborioſiorem. Quotiescunque aſſumſit Sal volatile oleoſum, cum elix. pectoral. levius quidem ſeſe habere ſenſit, ſpiravitque facilius, ſed brevi poſt rediere ſymptomata, iminentis ſuffocationis prodromi. Oculi tandem obſcurari cœperunt, mens tamen & loquela nunquam defecit, ſed ſibi præſentiſſima, inopinatò quintâ morbi die, ſine ullis convulſionibus, placidiſſimo fato, animam Redemptori ſuo reddidit. Hydropem pectoris parvulæ noſtræ filum vitæ inſidiosè abrupiſſe docuiſſet avtopſia anatomica, ſi conceſſa fuiſſet. Recordor me ante aliquot annos ſecuiſſe puerulum 5, annorum, qui pari faciei, manuum pedumque pallore & intumeſcentiâ, tuſſi ſiccâ, dyſpnœâ ſuffocationem minante, pectoris gravitate, pleureſin flatulentam ſimulante, ſiti immodicâ, caloribus p. n. cordis palpitationibus, frigore extremorum, animi deliquiis &c. laboravit, & huic in omnibus ferè ſimilis quartâ morbi de, ſine ullâ mentis aut vocis offenſâ, morbo hoc inopino, omnem hactenus opem ac operam eludente, extinctus eſt. Interaneis detectis, inveni cavum thoracis illuvie ſeroſâ repletum, atque in illo viſcera quaſi ſubmerſa, pulmones molles, variegatos, lividos, cor ſaniſſimum, pericardium itidem aquâ oppletum, ductus bronchiales, aſperam arteriam ſine ulla purulentâ materiâ; hepar, lienem, ullius labis expertem; adeoque ſolùm pectus formidatas retinuiſſe aquas, non adeo limpidas, turbidas

magis

magis, albas, nullo ſanguine mixtas, fuiſſeque hydropem pectoris, aut affectionem ſimplicem huicque regioni peculiarem ac primariam.

Quare cùm utrumque ſubjectum, præter omnium exſpectationem, quartâ jam & quintâ morbi die mors è medio viventium ſuſtulerit, non immeritò violenta ductuum lymphaticorum ruptura hic accuſanda. Impoſſibile enim humores hos copioſos in cavum thoracis, ſpecie vaporis, intra tam paucos dies exhalare, ibique in aquam condenſari, multò minus ſerum ſub propriâ formâ ex arteriarum oſculis reſeratis ad tantam copiam exundare potuiſſe. Potius ſtatuendum in priori ſubjecto, cùm præceſſerint maculæ; (quæ ſine dubio ab exæſtuante ſanguine in cutem detruſæ, & progenies ſunt fermentationis paulò vehementioris, materiam ad habitum corporis evomentis deducendæ, ſed neglectæ) maſſam ſanguineam tunc temporis non benè fuiſſe depuratam, atque inde quisquiliis retentis, ſerum craſſius ſpiſſiusque humores acriores, & in coagulum pronos redditos: hinc vaſis inprimis lymphaticis thoracis lateralibus obſtructis, à Lympha minus volatili, in motu ſuo lenta & in pleura, aut mediaſtino, aut pericardio, aut glandulâ thymi, aut lymphaticis pulmonum accumulata, ac copiosè ſecretâ, ductus lymphaticos ob ingentem molem diſruptos, atque cavum thoracis colluvie ejusmodi ſeroſâ fluctuante repletum extitiſſe. Tuſſis ſicca atque dyſpnœa, quæ obſervabatur, fuit ab aqua aut mole, aut acrimonia ſua, extima pulmonum vellicante, nihil enim reperiebatur in eorum bronchiis, quod ad validam tuſſim ſtimulare potuiſſet. Et illuvies hæc ſeroſa enervationem cordis procul dubio multum

multum promovit, ut tandem propulſando ſanguini minus par fuerit; quin potius eo in ventriculis ſtagnante exſolutis jam, aut potius ſuffocatis Spiritibus, nec non ſufflaminatis microcoſmi actionibus ſuccumbere debuerit. A ſero lento, pituitoſo, viſcido, frigus, inflatio ac pallor in extremis; ſerum quippe, nec non lympha, præcipuè in extremis, volatilitate & Spiritibus ſuis deſtitutum, more ſolito circulare nequit, ſed lento paſſu remeans aut retardatum tubulos valde diſtendit, vaſa mirum in modum expandit, valvularum tonum ac conſtrictionem non parum lædit, adeoque obſtructiones in vaſis, inflationes ac frigus poſt ſe relinquit. Quare non mirum, remedia adhibita, ſudorifera nempe, expectorantia, clyſteres, cordialia, nil hic effeciſſe, cum morbus in abditis delituerit partibus; finem verò vitæ tam citò impoſuiſſe, cum præcordiis, viſceribus nobiliſſimis, occultas ſtruxerit inſidias. Unde jure deploratus cenſetur hic affectus, & ex opinione vulgi pro incurabili habetur. Quis enim modus reſorbendi humores copiosè effluxos? Ac poſito, ſectionem hic invenire locum, quomodo prohiberi poteſt, ne ex ruptis vaſis illuvie ſeroſa jam exhauſta, alius latex ſuccedat, cavumque pectoris repleat? Potius obſervatum eſt ſectione ſuavem procuratam fuiſſe mortem, vid. Willis Pharmat. Rat. p 2. c. 13, p. m. 134. Barbette Chirurg. c. 15. p. m. 76 Spindl. Cent. Obſ. Med. 33. cum Schol. Raygeri, p. 57. Pechlin. Obſ. Med. 60. l. 1. p. 146. inprimis Hippocratem, qui accuratè l. 3 .de morb. § 59. vol. 2. p. m. 84. Signa & eventum hujus morbi deſcripſit, Fr. le Boe Sylvium, Prax. Med. l. 3. §. 186. c. 7. p. 551. Ettmüll. Oper. c. 6. p. m. 418. Bartholin. Epiſt. Med. 78. cent. 3. p. 327. Theod. Craanen

nen de homine c. 28. p.m. 244. Sic Helmontius tit. ignotus hydrops §. 5. p. 484. Borrichius in Act. Med. Haffn. Vol. 1. Obſ. 89. p. 173. Kölichen. & Brechtfeld, ibid. Vol. 2. Obſ. 16. & 118. p. 37. & 297. Th. Bartholinus, hiſt. Anat. 7. & 66. cent. 2. p. 163. & 263. Tulpius Obſ. Med. l. 2. c. 16. p. 122. Blancardus in Anat. Pract. Ration. Obſ. 98. & 48. cent. 2. p.m. 189. & 265. Wepferus Obſ. Anat. de apoplex. p. m. 286. notarunt quandoque pulmones, ſi compreſſionem exceperis, ſine ullo vitio, quandoque flaccidos, parvos, ſemiputridos, ſideratos & peſſimè affectos, aquis fœdis innatantes, cavitatem pectoris illuvie ſeroſâ inundatam, pericardium ampliatum, diſtentum, quandoque aliquot libris acris turbidique liquoris refertum fuiſſe.

OBSERVATIO CLV.
Dn. D. ANDREÆ LÖW.
De Podagra capitis.

PRænobilis hujus loci Vir, annorum 39. temperamenti ſeroſioris, bilioſi, perpetuò valetudinarius, etiam à quindecim annis podagricis ac nephriticis doloribus miſerè agitatus, menſe Aprili 1697. non redeuntibus jam doloribus podagricis, aliàs ordinariè circa æquinoctium Vernale & Autumnale obſervatis, pilulis antipodagricis ſæpiſſimè jam adhibitis, materiam podagricam in corpore ab ulceribus ani diuturnis adhuc relictam infringere tentans, incidit derepente in acutiſſimam Cephalæam, totum caput, quandoque cervicem, quandoque collum occupantem, ut immobilis decumbere debuerit, cum vigiliis, ſine ulla febrili alteratione, aut pulſus mutatione, ſine ſiti. Acceſſi-

cerſitus, præſagiens materiam podagricam ſeroſam hactenus per conſuetam ad articulos viam non egreſſam, jam petiiſſe partem corporis nobiliorem, caput, ordinavi clyſteres domeſticos ipſi familiares, ſudorifera cephalica ex C.C. philoſ. pulv. epilept. alexiter. ſpecif. cephal. M. &c. potum Theæ frequentiorem; tertiâ die in ſiniſtrâ manu rediit dolor podagricus, leniſſimus, ſine ulla Cephalææ remiſſione, quin potius dolorum exacerbatione, quintâ die veſperi acceſſit ſenſuum abolitio, apoplexia, brevi poſt vehementiſſimi motus epileptici totiusque corporis concuſſiones, finem vitæ eodem die imponentes. Suſpicabantur quidam, funeſtum hunc capitis dolorem præſupponere abſceſſum intra cranium deliteſcentem; aſt pulſus naturali ſimillimus, ſine ullâ alteratione, dolores ad cervicem & collum deſcendentes, (cum alias abſceſſus nullus ſine febrili alteratione, ſine frequentiori aut celeriori pulſu, imò in uno ſolùm locô obſervetur,) dolores podagrici in manum derivati docebant contrarium.

Anno quippe jam ætatis ſuæ 25. podagricus factus, eaque tunc per tres menſes graviter decumbens, dolorumque impatiens, ſollicitus fuit de medicamentis antipodagricis, quibus inordinatè & exceſſivè adhibitis, materiam podagricam acerbiorem & copioſiorem, viſcera verò, tendines ac articulos debiliores reddidit, ut majori cum impetu ac frequentia dolores ad pedum manuumque articulos redierint, aliquando naturæ ordine turbatô, aut podagrâ in extremis remittente, ad interiores partes, inprimis lumborum regionem tranſierint, ac ſæpiſſimè Nephritidem ſimulaverint, ſerò nempe podagrico ad plexus meſenterii

aut ſpinam dorſi effuſo. Et licet deinceps nephritidem adeſſe firmiter ſibi perſuaſerit tractarique pro calculoſo voluerit patiens, imò medicamenta ab Empiricis transmiſſa, aut á prudentioribus pro ſecretis & panacæis jactitata, quotidiè ferè aſſumſerit, promovit quidem quandoque materiam ſabuloſam, utplurimum verò pompam horum remediorum inanem, aliamq; mali cauſam incredulus comperiit. Cùm verò medicamentis ejusmodi fortioribus calculum frangentibus & pellentibus natura in opere ac intentione ſuâ impedita, peculiari determinatione, ſanguinis texturâ evolutâ, per conſuetam ad articulos tendinesque viam, circa æquinoctiale tempus materiam peccantem tartaream, aut ſalinam aciditatem, à partibus nobilioribus amandare non potuerit, fluidum illud bilioſum acre peccans diffudit ſurſum, ſacramque Palladis arcem ſero illo podagirco vitioſo oneravit. In quâ ſine dubio perioſtium, inprimis circa ſuturas, primò, utpote glandulis innumeris repletum occupavit, ibiq; ſpiculis ſuis rigidioribus, & fermentatione quaſi igneâ nerveas membraneasque fibrillas tantum non dilaniavit acerbiſſimumque capitis dolorem excitavit. Regurgitans inde ſerum, aut lympha podagrica, per vaſa lymphatica ad cerebrum & nervos delatum, acidis acrioribus particulis refertum non modò ventriculos cerebri replevit, ſed & Spiritus animales fixit, eorumque influxum in nervos inhibuit; unde ſensûs motûsque cum aphonia & ſtertore, abolitio, apoplexia non diu durans, quin evolutis brevi particulis elaſticis, nitro ſulphureis, priores cum impetu diſcutientibus, ſubſecuti motus epileptici, totum corpus graviſſimè concutientes, & elapſis ſeptem horis, mors.

mors. Adeoque non mirum, occubuiſſe hominem, tot calamitatibus circumventum, ac per decennium, & quod excurrit lecto quaſi affixum, imò medicamentorum, etiam præpoſterè adhibitorum, frequentiâ ac multitudine, irâ cui valdè indulſit, nec non inordinata diæta jam deſtructum. Podagrici igitur diu ſupereſſe diſcupientes, Topica repellentia, frequentiora purgantia & vomitiones, fortiora Antinephritica, pellentia nec non copioſiora ſudorifera cane pejus & angue fugiant; cocta enim, non cruda, teſte Hippocrate, ſunt medicanda, imò ſæpiſſimè repellentibus aliisque ſubleſtis atque indebitis medicationibus naturæ conatus in expellenda materia podagrica ad exteriora impeditur, reditque tandem materia ad interiora, ibique colicum inducit dolorem atrociſſimum, teſte Krügero, Obſ 42. M. A. C. dec. 2. ann. 6. p. 111. aliquando pleuritides & peripnevmonias lethales, annotante Bonetto Med. Septent. collat. part. 2. l. 7. Obſ. 15. p. 574. quandoque aſthma, teſte Raygero M. C. ann. 6. & 7. dec. 1. Obſ. 208. it. centur. Obſ. Spindl. Med. 77. p. 143. A repellentibus Topicis in podagra adhibitis, ichoribus nempè acribus malignis ad interiora & nobiliora viſcera retruſis, epilepſias lethales notavit Welſchius hecatoſt. 2. Obſ. 11. p. 7. ex regurgitatione ſeri podagrici dolorem acerbum quaſi ſpaſticum lateris dextri in dorſo & lumbis ſubortum in ſeipſo obſervavit Spindlerus, vid. ejus cent. Obſ. Med. 77. p. 143. Ex repercuſſa materia podagrica, palpitationes cordis, lipothymias, dyſpnœas, epilepſiam & apoplexiam lethalem refert Simon Pauli Quadripart. Botan. §. Anagallid. p. m. 197. A Catharticis materiam ſeroſam podagricam ad extremitates corporis jam protruſam, denuò in

maſſam ſanguinis revocatam, aliquibus fatalem factam, in aliis ad inteſtina ablegatam, atque loco doloris in juncturis, quem vel nullum habent, vel certè perexiguum, ventriculi ægritudine, alvi torminibus, lipothymiis, & longô anomalorum ſymptomatum agmine miſeros quaſi enecaſſe notavit, optimus podagræ Arbiter, Thomas Sydenham in tractatu ſuo de Podagrâ p. m. 561.

OBSERVATIO CLVI.
DN. D. ANDREÆ LÖW.
De Arthritide Univerſali Salivatione curata.

HOneſta fœmina, vidua, in Oppido Ruſt, annorum 38. Rheumatiſmis, inprimis in pedibus obſervandis valdè obnoxia, jam à longo tempore conqueſta eſt de doloribus lancinantibus, ſive punctoriis, aliquando tenſivis in manibus & pedibus, utplurimum cum horrore, à flatuoſâ ventoſitate, muſculoſas corporis partes occupante, easque frigefaciente orto, ſine ullo tumore conſpicuo. Ordinavi, præmiſſis univerſalibus, venæſectione ſcilicet in brachio & purgatione ex aq. laxat. mannâ ſolut. crem. tart. aq. cinam. bugloſſ. decocta ſudorifera ex lign ſanct. raſp. rad. chin. reſinos. aa. ℥j. Sarſæparill. conc. ℥iß. Santal. omn. aa. ʒj. antimon. crud. fruſt. in petia ligat. ℥iij. in aq. ſimpl. ℔vj. ad remanentiam ℔ij. coquendis, & deinceps ſuperinjiciendis lign. ſaſſafr. conc. ℥j. cinam. opt. ℥ß. nec non benè filtrandis, parata, quotidie bis, & pro doſi ad ℥iv. ſumenda atque 3. hebdomadas continuanda ſuda-

vit

vit egregrie, humorumque Orgasmo ſedato, nec non acrimonia contemperatâ, dolores remiſerunt ægraq; videbatur reſtituta. Aſt elapsô trium menſium ſpatiô, dolores in omnibus ferè membris ac articulis longè acerbiores prioribus, à biliosâ & ſerosâ colluvie moti redierunt, atque muſculoſa occuparunt interſtitia, in quibus ne veſtigium affluentis humoris aut tumoris apparuit. Patiens hæc, domeſticis, nec non empiricis remediis per annum ferè integrum in caſſum jam adhibitis, dolorum verò de die in diem ingraveſcentium impatiens meum repetiit conſilium. Venulæ ſine dubio acri, acidô & biliosô ſerô impræguatæ, virus ſuum acerrimum ac tenuiſſimum jam in ambitum corporis evomuerunt, quod ad perioſtia usque penetrâvit, ea læſit, imò nullam ferè corporis partem exteriorem intentatam reliquit, quin & oſſium medullas dolere fecit, tanti cruciatus atque doloris noctu vehementioris, ejulatus quaſi perpetui, contabeſcentiæ totius corporis autor. Humores igitur vitioſos, quandoque deſultorios atque erraticos, quandoque immotos, membrisque omnibus pertinaciter adhærentes, ac partes ſuas acriter fodicantes, ſomnum & appetitum remorantes, adeoque jam radicatos expellere, crudasque impuritates attenuando emendare tentavimus, ſudoriferis ex decocto lignorum cum euphoria ante ſesquiannum adhibitis. Optimè quidem per 2. ſeptimanas manavit ſudor. ſpem tamen dubiam reconvaleſcentiæ, aut recuperandæ ſanitatis omnimodæ reliquit, quin potius interſtitia muſculorum, quæ in ſecunda valetudine, teſte Hippocrate de arte, Spiritu plena ſunt, nunc ichoribus repleta confirmavit. Dolores quippe continui cum ulcerosâ laſſitudine,

vario

vario ac miſero modo ac motu excruciarunt Noſtram ut jam tota quaſi emaciata, ærumnarum ſuarum pertæſa, annuerit vehementibus hiſce rheumatiſmis, aut arthritidi univerſali, remedio æquè vehementi obviam venire. Devenit hinc ad Mercurium, utpote optimum rebellium morborum ῥιζοτόμον, dedique prævio laxativo, prima die, Mercurii præcipitati, affuſione Spiritus Vini probè ad mentem Sorbait Prax. Med. p.m. 256. correcti, atque à ſulphure ſuo arſenicali liberati, gr. iij. cum conſerv. roſar. adſcendendo quovis die á grano uno ad ℈ß. Tertiâ jam die incepit ſalivatio, decimâ à Mercurialibus abſtinui, & benè, inprimis 13. 14. die, ſuccedente, imò large profluente ſalivatione 15. dedi laxativum. Quamprimum collum dolere & gingivæ intumeſcere cœperunt, os decocto calidiuſculo gargariſare, idque quâvis mediâ horâ per ſyringam toto ſalivationis tempore injici curavi. Materia, quæ copioſè effluxit, fuit acerrima, corroſiva, inſtar aquæ fortis, linteamina erodentis. Pro ſiſtendo ulteriori & jam ſufficiente ſalivatione poſt purgationem veſperi dedi Theriacam cum fol. auri, aquâ ex rad. biſtort. ℥iij. fol. ſalv. rorismar. myrtin. aa. Mj. fl. balauſt. ʒiß. cort. granator. ℥iß. alum. crud. ℥ij. maſtich. ʒj. bull in aqu. plantag. & fol. quercus aa. q. ſ. colat. addendo Tinct. lacc. ℥j. Os ſæpius gargariſare, linguam tumidam decocto rad. pimpinell. aqu. ſcabios. Spirit. theriac. ſæpiſſimè de die abluere juſſi. Cibus toto hoc tempore fuit humidus, juſcula conſummata, potus, decoctum ex lignis ſecundarium. Obſervatis hac ratione obſervandis, intumeſcentia linguæ, eroſio gingivarum, ceſſavit, & dentes omnes ſine ulla labe aut nigredine in alveolis ſuis remanſerunt. Ne verò quicquam

quam Mercurii, aut viſcidi, tenacis, acidi, concreti, impacti humoris in corpore remaneret, autor aliàs dolorum recidivantium, decoctis lignorum ſudoriferis ordinariis ad 14. dies continuatis eos diſſolvimus, & per emunctoria expulimus, jubentes, ſudoribus finitis, per octiduum balneum aquæ dulcis. Quibus abſolutis, Patiens noſtra acerbiſſimis hactenus & profundiſſimis ad deſperationem ferè omnium, doloribus, afflicta non ſolùm convaluit, ſed & appetitu ſomnoque redeunte, ab omnibus, etiam minimis doloribus libera pancraticè jam vivit, vireſque deperditas brevi reſumſit. Reperiuntur multi magni nominis Medici, disſuadentes in Arthritide uſum ſalivantium, inter quos Ter Rhyne de Arthritide p.70. proſcribens uſum hydrargyri in arthritide, it. Fernelius Pathol. c. 6. p. m. 374. non ſolum crudelem, ſed & inanem, irritam ac infidam pronuncians hanc curam. Poterius Obſ. & Curat c. 84. p. 194. Hildanus centur. 4. Obſ. Chirurg. 82. p. m. 145. in epiſtola ad Deodatum exarata, mercurialia in arthritide & articulorum doloribus improbans. Cùm tamen probè penſitaverim rheumatiſmum hunc diuturnum, jam altas egiſſe radices, deponendo non ſolùm ſerum excrementitium, pituitoſum, viſcidum, ad interſtitia muſculoſa, ſed & vapores acres, acidos, flatulentos ad oſſa eorumque perioſtia transmittendo, adeoque non amplius ſolis ſudoriferis, etiamſi in ſtupha cum Spiritu Vini ad mentem Muys, vid. ejus Podalir. rediv p.m. 89. ſudor eliceretur, obtemperaturum, non dubitavi, corpore prius benè diſpoſito, atq; præmiſſis præmittendis, inprimis ſudoriferis, humorum efferorum orgasmo ſedato, ſalivatione Mercurio, & quidem felici ac exoptato ſuc-

ceſſu, inſtituta immedicabile hoc malum aggredi, non immemor loci illius à Wedelio in Amœnit. Mat. Med. p. m. 207. notati, Mercurialia interius & exterius eſſe Arthritica. Sic Rolfincius ord. & Meth. Comment. p. 590. arthritidem indicare ſalivationem arte factam ſcribit, & Deodatus Hildano optimè reſpondet, Mercurialia, ſi benè ſunt præparata, in arthritide non eſſe contemnenda, vid. Hildan. l. c. nec non Sylvii Prax. Med. p. m. 787. §. 172. ſeq. & Hünerwolff arthritidem ptyalismo ſolutam inſeruit Miſc. A. N. C. ann. 9. dec. 2. p. 173.

OBSERVATIO CLVII.

DN. D. ANDREÆ LÖW.

De Quadrigeminis uno partu excluſis.

GEmellos naſci, haud rarò hic loci auditur, rariùs Trigeminos, rariſſimè quatuor ſimul fœtus uno partu edi. Accidit Anno 1697. in Oppido Ruſt ad Lacum Piſonium, vulgò Neuſidler See / quod ſecundo abhinc lapide diſtat, Trigeminos uno partu prodiiſſe. Anno 1694. mulier quædam robuſta ejusdem loci, 20. annorum, primipara, jam ſextum, poſt ingravidationem, menſem emenſa, circa initium ſeptimi, nullis prægreſſis erroribus, aut caſu, qui partum accelerare potuiſſent, difficili partu puellam mortuam, & elapſo horæ ſpatio tres puellos vivos eodem partu enixa eſt, quæ à mulieribus baptizati, brevi poſt obierunt. Membra aliàs benè fuerunt conformata & proportionata, ſinguli ſesquiſpithamam longi, ſingulisq;

pla-

placentis ac ſecundinis præditi. Anno ſequenti enixa eſt iterum puellam robuſtam, vegetam, quæ adhuc in vivis. Æternæ igitur veritatis non eſſe, quod Hippocrates lib. de ſuperfœtat. ſcripſit, gemellos pluresve fœtus uni placentæ in utero eſſe adnatos, diviſis solùm funiculis, confirmat noſter caſus, nec non obſervatio 39. Rivæ ab Elsnero Miſc. Cur. an. 1. dec. 1. inſerta, qui in cadavere puerperæ duas ſecundinas cum ſuis funiculis invenit, quorum ſingulis annexus fuit puerulus p.m. 110. Sic Dn. D. Lucas Schröckius Sen. Obſ. 162. ib. añ. 9. dec. 1. p. 356. gemellos modò unicâ, modò diverſis placentis incluſos vidit. Stalpartius van der Wiel cent. 1. Obſ. 75. p.m. 329. ſeq. geminos, quorum uterque ſuâ concludebatur membranâ, propriâ donatos placentâ notavit. Cosmus Viardel in Anmerckungen von der Weiblichen Geburth c. 17. l. 2. p, 82. gemellos extraxit vivos cum binis placentis. Thomas Bartholinus Anatom. l. 1. c. 36. p. 304. it. Epiſt. Med. 62. cent. 3. p. 250. ſeq. gemellos unicâ ſecundinâ, ſed amplâ, natos vidit, atque concludit, unicam placentam uterinam pluribus embryonibus ſufficere. Blancardus Collect. Med. cent. 3. Obſ. 55. p. m. 427. gemellos in una ſecundina reperiit: Idem tamen fatetur Anatom. Reform. part. 2. c. 29. p. 178. in pluribus ejusdem, vel diverſi ſexus, fœtibus, plures quoq; occurrere placentas. Fr. Mauric. gemellis unicam tantùm placentam concedit, vid. tract. der ſchwangern Frauen Hülffleiſtung/ p. 300. Isbrandus de Diemerbroek in oper. Anat. & Med. fœtus, modò unum hepar uterinum, utriusque umbilicum excipiens, modò ſingulos, diverſam & peculiarem placentam habere ſcribit, p.m. 200. c. 30. & p. 209. cap. ſeq. quare, & in quibus caſibus una vel duæ dentur,

cauſam prolixè tradit. Ideoque natura nunquam certæ regulæ adſtricta manet, modo enim gemelli aut plures fœtus uni, modo ſinguli ſingulis & propriis gaudent placentis, vid. Bohnii Circul. Anat. progymnaſ. 2. p. m. 24. Numeroſi partus exempla apud Hiſtoricos & Medicos proſtant varia. Sic Trigeminorum ſucceſſivè editorum, meminit Raygerus M. C. ann. 2. dec. 3. obſ. 27. p. 36. Bierlingius in Adverſ. Curioſ. 46. p. 82. Blancardus Collect. Med. cent. 5. obſ. 13. p. 19. Trigeminos & Quadrigeminos refert Helwigius obſ. Phyſ. Med. 144 145. p m. 387. ſeq. Quatuor fœtus unico partu natos vidit Neapoli Lucas Tozzi Med. Theoret. p. m. 33. Georg Francus Miſc. Cur. dec. 2. ann. 3. obſ. 201. p. 402. Hagendorn. ibid. Obſerv. 69. ann. 4. p. 146. Lucas Schröckius, Senior, ibid. ann. 2. obſ. 9. p. 26. 27. ſeq. Viardel. l. c. p. 68. Joh. Nic. Pfüzer tract. von der Weiber Natur und Gebrechen/ cap. 28. p. 268. ſeq. ubi ſimul aliquot exempla & hiſtorias numeroſiorum partuum ex Autoribus allegat. Partum 5. filiorum recenſet Clauderus in Miſc Cur. ann. 4. dec. 2. obſ. 151. p. 286. Trigeminos, Quadrigeminos, imò plures fœtus uno partu editos, memorat. Joh. Rhodius, cent. 3. obſ. 56. p. 149. Sennertus l. 4. Prax. ſect. 4. p. 2. c. 5. p. m. 306. ubi ſimul ex variis Autoribus fide digiſſimis plures fœtus uno partu excluſos citat. Borellus hiſt. & obſ. Med. cent. 2. obſ. 44. p. m. 146. nobilem quandam, unico puerperio, octo fœtus probè conformatos, aliam, quatuor ſimul viventes pueros, enixam eſſe tradit. Thom. Barthol. de inſolitis partus humani viis, c. 19. p. m. 180. ſeq. ex Ariſtotele, Gellio, Chronico ſeptem ætatum Pignorii & Rhodii, quinos fœtus uno partu excluſos, ex Joh. Fabro ſeptem, ex Petro, Paulo Pereda novem,

ex

ex Plinio duodecem, ex Alberto Magno 150. & â Comitiſſa Margaretha trecentos ſexaginta quinque puerulos puſillos uno partu editos &c. quod poſtremum tamen pro plebis commento habet Paullini Lagograph. Curios. p.m. recenſet. Hieron. Velſchius mentionem facit cujusdam puellæ, quæ 26. annorum ſpatio quinquaginta quatuor, aliquando uno partu duos, aliquando tres, ſemel unico partu ſeptem, in lucem tulit liberos, vid. ejus Epiſagm. 75. p. 48. Sic Strabo: τετράδυμα τίκτει, loquitur verò de Mulieribus Ægyptiis, quod quadrigeminos edant fœtus.

Plura qui deſiderat, præter jam citatos Autores, adeat Joh. Schenckii Obſ. Med. l. 4. p.m. 561. Eiſenmenger Epiſt. apud Strauſſ. de fœt. Muſſipont. p. 228. ſeq. Foreſt. l. 28. Obſ. 45. p.m. 743. Sed rarò partus ejusmodi numeroſi, gemellis exceptis, ſuperſtites obſervantur, cùm teſte Tozzi, l. 1. ob uteri anguſtiam nec poſſint ſatis nutriri, nec adoleſcere.

OBSERVATIO CLVIII.

DN. D. ANDREÆ LÖW.

De Excreſcentia carnoſa in uno, & pterygio in altero oculo ex eryſipelate faciei.

Fœmina 42. annorum, temperamenti bilioſi, atque oculorum inflammationibus nec non defluxionibus obnoxia, incidit in ingentem ſyncipitis, inprimis circa frontem, dolorem, cum inflammatione & tumore ſummo. Hæc cum ſollicita fuiſſet tollere remediis domeſticis aliisque, in cujus finem Medicaſtram in

auxilium vocavit, ſub cujus curâ pejora ſentiens ſymptomata, me accerſiri curavit, mihique dolorem capitis amplius vix tolerabilem expoſuit, prægreſſam autem Medicaſtræ curam reticuit. In morbi ſtatum curatiùs inquirens, exquiſitum deprehendi capitis, imprimis circa frontem & oculos, eryſipelas, cum inflammatione, tumore, ardore & dolore ſummo, calòrem p.n. pulſum celerem, ſitim immodicam, vigilias, ob immanem Cephalæam, diuturnas, aliquando, inprimas veſperi, deliria. Adhibui ſine morâ, epilepticas convulſiones metuens, diaphoretica, cum antepilepticis & cephalicis mixta, v. gr. pulv. epilept. alexiter. Sal vol. c.c. antimon. diaphor. cc. philoſ. ſpecif. Cephal. Mich. unicornu mar. &c. Oculorum inflammationi ſuccurrere tentabam, aquis Ophthalmicis refrigentibus, guttatim, quantum licuit, oculi cantho inſtillandis, ex aqu. plantag. euphraſ. chelidon. ſieff alb. Sacch. Saturn. Provocatô inde ſæpiſſimè (nam ultra novem dies prædicta continuavimus, non omiſſis cordialibus, diaphoretica) ſudore, & caloribus abactis, immaniſſima Cephalæa ſuperſtes, & veſpertinô inprimis tempore ingraveſcens, quæ vix non bulbos oculi ſummè tumidos & cranium diſſiluiſſe fecit, præmiſsô veſicatoriô nuchæ applicatô, frequentioribus clyſteriis, cum ante nominatis ſudoriferis, Laudanum de Tribus ex deſcriptione Zvvelfferi parcè miſceri poſtulavit; quibus ad 14. ferè dies continuatis, dolor tandem remittere cœpit; unde pilulas Cephalicas ex MP. Luc. maj. aur. de ſuccin. Crat. ad ſcr.j. extr. lign. aloës, gr.ix. eſſent. roris-mar. ſcr.j. diagryd. ſulphur. gr. xxv. ol. lavend. gtt. I. ſir. betonic. q.ſ. F. Pilul. N. Lxx. ſeptem pro doſi quotidie

tidiè ſumendas & per decem dies continuandas ordinavi, tantumque effeci, ut materia peccans copiosè educta fuerit, tumorque faciei receſſerit. Nunc demum Oculos hactenus clauſos inſpicere potui, quos hucusque refrigerantibus aquis demulcere atque defendere tentavi, illosque inveni totos quaſi flammeos, rubedine nempe totum oculi album occupante, nihilque de nigro oculi apparente, turgidis venis, quaſi rubrâ carnosâ pelliculâ intecti fuiſſent. Reiteravimus veſicatorium nuchæ appoſitum, continuavimus aquas Ophthalmicas per aliquot ſeptimanas, nec non pilulas laxantes ordinarias, ex MP. Luc. maj. aur. ad gr. xiii. diagryd. ſulphur. gr. vi. ol. fœnic. gutt. 1 ſir. de betonic. q.ſ. pro una doſi, ſed ſedatâ, hâc ratione, ferè penitus oculorum inflammatione, ut album oculi in conſpectum jam ſeſe dederit, bulbique oculorum ad ſtatum naturalem tetenderint, relicta manſit in ſiniſtro oculo Tunica, ex palpebra ſuperiori incipiens, ſuperficiem adnatæ cooperiens, coloris rubri, carnoſa, in corneam circa pupillam terminans, ſatis lata, à tunicis, excepta radice, aut principio & fine, ſeparata, ut ſtylo apprehendi, & ab oculo elevari potuerit. In dextro oculo, inflammatione jam diſcuſſa, alboque oculi reſtituto, Tunica nova reperiebatur, ad nigredinem vergens, totumque oculi nigrum obtegens, & adnatæ pertinaciter adhærens, omnemque viſionem impediens, ſine dubio producta ad corneam, intra quas Tunicas materia aquoſa & ſeroſa jam collecta & detenta manibus comprehenſa, quaſi diffluens animadverti potuit. Cauſam hujus mali rejeci in ſummas oculorum inflammationes, albumque oculi, nigro penitus ſubſidente, in eminentiori gradu occupantes,

pantes, ibique quaſi hiatum relinquentes. Cùm verò extra controverſiam ſit, in ejusmodi inflammationibus majorem eſſe ſanguinis fervidioris per arteriolas affluxum, quam per venulas refluxum, non mirum, inde ſanguinem ſtagnare, acriorem fieri, ob abundantiam Venularum & arteriolarum tunicam adnatam, ex facili diſtendi & lædi, nutrimentum hâc ratione, ſub formâ laticis ſeroſi, tenacitatem ob nimiam moram jam adepti, tranſudans in membranæ indumentum, ſecundum partes minimas diſponi, & tandem ſuccreſcendo, Tunicam ipſam membraneam, adeoque pterygium formari, ad corneam usque aut profundius adhuc produci atque radiorum ingreſſum prohibendo, viſum aboleri. Et quis negabit, intra Tunicas adnatam nempe & corneam, denſas quippe, & copioſis arteriis venisque præditas, materiam aquoſam & ſeroſam facilè colligi, ibique detineri poſſe? Pannus ſive Panniculus carnoſus oculi dextri ex eodem principio deducendus; niſi quòd ſerum nutriens circa palpebras copioſè, exſudans & ſtagnans magis craſſescens cum arteriolis venisque coaluerit, adeoq; carnoſa, in pupillam terminans, evaſerit. Modum generandi pterygii & panniculi carnoſi vid. apud practicos, inprimis Sennertum in Pract. Med. l. 1. part. 3. ſect. 2. p. m. 794. Ettmüllerum in Oper. Med. c. 11. de viſ. læſion. p. m. 475. Dolæum in Encyclop. Chirurg. Ration. l. 1. c. 10. p. m. 146. Bonetum in Polyalth. in Jonſtoni Syntagma, tom. 1. lib. 2. c. 37. p. m. 949. ſeq. Bartiſch Augendienſt/ p. m. 217. 239. ſuperſtitem adhuc Inflammationem leviſſimam, etſi aquis illis refrigerantibus & modicè repercutientibus, ex ſiccantibus ſuperius notatis removere tentaverim, panniculum

lum tamen carnoſum & pterygium altiores ac firmiores radices agere videns, ad generoſiora, extergentia nempe, deveni remedia, atque ordinavi pingvedinem Viperarum & aſc. piſcis ægræ in lecto ſitu reſupino collocatæ, aliquoties de die inſtillandam. Quoties immiſſa fuit pinguedo, toties brevi poſt exiit materia purulenta, ſine dubio fermento hujus pinguedinis ſalino præcipitata. Notavit ex hoc Wedelius, pinguedinem nempe hanc humores aceſcentes & acres in oculo præcipitare omnemque amurcam abſtergere & educere, vid. Miſcell. A. N. C. decur. 1. ann. 2. obſ. 125. p. 207. Inde oculi lumen, quod jam penitus amiſit, recepit, ut colores intenſiores dignoſcere potuerit. Panniculum carnoſum circa pupillam, quousque nempe ſtylô pervenire potuimus, abſcindi curavi, ubi venulas ſanguinem fundentes in abſciſſione obſervavi; pterygium ſi medicamentis, nutrimentum imminuentibus, cedere recuſaret, Chirurgis, & ex profeſſione Ocularibus committi, ſimulque brachio fonticulum apponi, obſervatis obſervandis, ſuaſor fui. Aſt ſurdis narrabatur fabula; ægra enim & meæ, & Medicaſtræ, à qua hactenus, & jam à longo tempore, me inſcio, varia quotidiè adhibuit, neſcio quæ Topica ophthalmica, curæ pertæſa, & à quodam Chirurgo perſvaſa, pinguia, inprimis hoc oleum, oculis ſumme eſſe nociva, imô malum hoc in ſiniſtro oculo non eſſe pterygium, ſed uveæ dilatationem, meum rejecit conſilium, ſeque Chirurgo commiſit; cujus ſucceſſum triſtiſſimus docet eventus. Miſera quippe ab illo novem ſeptimanas tractata, ſeduloque neſcio quibus illita tantum abeſt, ut viſum receperit, quin potius elapſis deſubitò oculorum humoribus etiam veſtigium luminis, quod jam ſub meâ curâ habuit, penitus

nitus amiſerit. Suppoſuit autem, humores exundaſſe, & tunicam uveam & adnatam fuiſſe eroſam, cùm obſervaverit veſtigia eroſionum ſeu cicatricularum in uvea & adnata. Sed ſciendum, ſtatim poſt inflammationem graviorem, adhibitis ſolùm refrigerantibus & exſiccantibus medicamentis, me animadvertiſſe hiatum longum ſuper totum oculi nigrum membranâ jam obductum, qualis in Ophthalmia κατ' ἐξοχὴν ita dicta aliquando notatur, ubi tamen uvea non eſt dilatata. Et ſi tantus hiatus indicaſſet eroſionem Tunicæ uveæ nil abfuiſſet, quin una cum humoribus, cryſtallinus humor, utpote qui ipſi foramini Tunicæ uveæ incumbit, procidiſſet; unde impoſſibile fuiſſet, ægram tàm citò, uſurpatâ ſolum pinguedine viperarum, veſtigia luminis acquiſiviſſe. Probabilior igitur ſententia eſt, ſalvo tamen aliorum judicio, ſanguinem copiosè allabentem, & in vaſculis diſtentis ſtagnantem, acidum ab Eryſipelate relictum continuiſſe, extravaſatum jam tàm extra, quam intra tunicam & corneam, priorem tunicam, cum contexta ſit ex copioſiſſimorum vaſorum texturâ arteriolarum, & venularum, læſiſſe, forma roris nutritii evaporaſſe, in concrementum abiiſſe, atque ſenſim ac ſenſim tunicam membranaceam conſtituiſſe, totiusque oculi nigrum obduxiſſe. Pinguedinem viperarum rejecit Chirurgus & cum eo Doctores quidam, exiſtimantes inde inflammationem fuiſſe exaſperatam, carnem ſuperfluam in ſiniſtro oculo nutritam, dolorem auctum. Aſt conſiderent hi boni Viri, pinguedinem hanc non fuiſſe adhibitam durante inflammatione eryſipelacea, quo tempore ſolis refrigerantibus & exſiccantibus medicamentis oculos defendi; ſed demum cum aliquale adhuc veſtigium ſimplicis inflammationis remanſerit,

ubi

ubi nulla exaſperatio, quin potius alleviatio ſecuta, ut tunc faciliùs, quam antea oculos aperire, atque lumina admittere potuerit. Carnem inde nutritam quis cordatiorum credet? ſi probè attenderit, materiam poſt hujus uſum, inſtar butyri aut puris, copioſè ſemper egreſſam. Potius præcipitavit humores acres, aceſcentes ab inflammatione eryſipelaceâ relictos, atque amurcam abſterſit & eduxit; non appoſuit, pannumque ſive excreſcentiam carnoſam imminuit. Et licet in applicatione hujus pinguedinis dolorem quendam aut morſicationem ſenſerit patiens, ille tamen non huic medicamento, ſed acribus humoribus tunicæ adnatæ, quæ exquiſitiſſimi ſenſus eſt, inſidentibus, cum & ante hujus uſum, graviorem, & extra hujus uſum, ſimilem, ſi non majorem, perpeſſa fuerit, adſcribendus? Imò ſi nocumento fuiſſet hæc pinguedo, unde quæſo venit, quod patiens ab hujus uſu aliquale luminis veſtigium, antea penitus denegatum, ut colores diſtinguere potuerit, receperit? Olea & pinguia, oculorum bulbos obviſcare, adeoque oculis minus convenire, regula Medicorum eſt, quæ de calidioribus pinguibus & emplaſtris intelligenda. Etenim unctuoſa-aquea & unctuoſa quædam oleoſa oculis amica ſunt, exemplo pinguedinum viperarum & huic ſuccedanearum, vid. Wedel. de Med. comp. p. m. 209. 210. & Amœnitates Mat. Med. p. m. 135. Idem de Med. Facult. p. m. 84. pinguedinem viperarum ponit inter ophthalmica, non ſolùm Tunicæ adnatæ, ſed & Corneæ, ſpecies viſibiles non intromittentis, obfuſcatæ, ulceratæ, vulneratæ, morbis dicata, tanquam abſtergens acriuſculum. Demulcet acrimoniam, reſolvit, abſtergit, ſanguinem ſtagnantem reddit fluxilem, acidum corrigit, conſolidat, ut nil ſupra, vetuſtior

magis diſcutit, vid. Wedel. de Med. Compoſ. p. 210. Dolæi Encyclop. Chirurg. Ration. p. 171. Experientiam ulteriorem ſi deſiderias, evolve Danielis Ludovici Pharmaciam, ubi, teſte Sempronio Gracho Maſſilienſi, nil fucati, nil falſi continetur, ſed omnia uſu probata, ratione confirmata, & promiſſis reſpondentia, qui diſſertat. 1. de diaphor. animal. p. m. 300. ſeq. maximè commendat pinguedinem viperinam non adulteratam, etiam citra alia quorundam olim, ut linimentum exiret, acceſſoria, in oculorum etiam rubentium puſtulis profundisque vulneribus, ſi bis vel ter guttula in die inſtilletur, eamque omnibus collyriis, ſief ac mixturis ex antimonio infuſisque ex venere & reliquis ophthalmicis præfert, ac pro remedio ſingulari habet. Ettmüllerus, rariſſimæ experientiæ Practicus, in Commentario Ludoviciano ſuper hunc locum p. m. 104. pinguedinem hanc in affectibus oculorum nobilem pronunciat. Et Thomas Bartholinus in Actis Haffniens. ſuffuſioni valde utilem dicit axungiam viperinam, ſi eâ oculi linantur. Mercklinus in Medicinischen Thierbuch p. m. 638. nec non Schröderus in Pharmac. Med. Chym. tit. de ſerpente & viperâ, aſſeruit, axungiam viperarum oculorum rubedini, maculis & exulcerationibus mederi, viſum acuere, ſi imponatur oculis quantitas lenti formis. Joh. Dolæus in Encyclop. Chirurg. Rat. p. m. 171. pinguedinem hanc, ubi diſcutiendi fuerit intentio & reſolvendi, v. gr. in unguiculis & aliàs conducere aſſerit, imò inter palmaria remedia ponit, & in ipſa ſuffuſione balſamum ex pinguedine viperina oculo illinendum ſuadet, vid. ibid. p. 174. nec non Strausſii palæſtram Med. part. 1. gymnaſ. 19. pag. 130.

Mar-

Marcus Aurelius Severinus in Viperâ Pythiâ part. 3. c. 7. prolixè commendat axungiam viperarum in affectibus oculorum ex Galeno, Aetio, Plinio, Vincentio &c. Experientiſſimus Wedelius, ſe Tunicæ adnatæ cuticulam totam circumcirca pupillam manifeſtè elevatam ſero fluxili turgidam, pupillam verò & iridem, depreſſam in profundo ſubſidentem, adeoque ſuffuſionem Tunicæ adnatæ, in paſtore inveniſſe, & balſamo ſuo Ophthalmico ex pinguedine viperina ex voto curaſſe, ſcribit Miſcell. Acad. N. C. ann. 6. & 7. dec. 2. obſ. 124. p. 162. Hypopyon, quod ſicut vulgò deſcribitur, magis inter Corneæ lamellas enaſcitur, facilè curandum, vel ſolâ pinguedine viperinâ, idem ſtatuit obſ. 183. ann. 2. dec. 2. p. 395. Et ibid. obſ. 125. dec. 1. ann. 2. p. 206. fatetur, pinguedinem viperinam conſtituere ſingulare Ophthalmicum, imò medicamentum eſſe divinum & ſecretiſſimum in oculorum affectibus pleriſque, inprimis unguiculis, ſuffuſione, Ophthalmia, ulceribus & vulneribus oculorum, ſi gutta una vel altera in ipſum oculum derivatur. Et pergit, ſe poſſe plurima citare experimenta, niſi crederet, tam apricam veritatem, luce meridiana emicare clariorem. Neque ipſe crediidiſſem, quenquam in hac materia repertum iri contradicentem, niſi aut præconceptis opinionibus, aut faſtuoſo præjudicio occœcatum, aut ſiniſtrâ informatione præoccupatum, aut ſolâ libidine contradicendi illectum. Oculos enim citra ullam noxam acriora ferre, cum tamen pinguedo noſtra, tanquam acriuſculum & abſtergens medicamentum, etiamſi vetuſtior fuiſſet, in hunc cenſum nondum venerit, apud omnes in confeſſo eſt, de quibus præter alios vid. Jungken.

Med. præſ. ſecul. accommod. p.m. 559. Bonet. Polyalth. tom. 1. p. 951. ſeq. Fel. Platerum, l. 2. obſ. p.m. 350. ſeq. & tract. 1. de viſus læſione p.m. 265. inprimis Paulum de Sorbait. Prax. Med. p.m. 57. Et refert Franciſcus Arioſtus, ſe quendam duodecim annos luce oculorum privum olei montis Zibinii, ſive Petrolei agri Mutinenſis, frequenti immiſſione reſtituiſſe, vid. ejus libell. de Ol. Mont. Zibinii p.m. 51. 56. Roſinus Lentililius axungiam Leporinam in oculorum pannis & Leucomate ſæpiſſimè profuiſſe teſtatur, vid. Bonet. Med. Septent. Coll. p. 1. l. 1. c. 59. p. 257. Imò pinguedinem coturnicum in oculorum affectibus ſummè proficuam norunt hic loci ruſtici, quo linimento frequentiſſimè optimo cum ſucceſſu oculos malè habentes, illinere ſolent.

(*Sopronio Auguſtam Vind. d. 15. Januar. A. 1698. miſſæ.*)

SCHOLIUM.

QUanquam hæc Obſervatio ſuâ luce radiet, ut tamen Exc. Dn. Autoris petito ſatisfaciam, fateor & ipſe, â pinguedinis viperinæ uſu quenquam fuiſſe læſum, neminem hactenus qui conqueſtus fuiſſet, deprehendere me potuiſſe, qui ſingulares potius ejusdem effectus in morbis oculorum vidi. Pterygium autem inprimis curare valet, non ſaltem lympham viſcidam ſtagnantem, dum tunicam palpebræ internam & carunculæ oculi diſtendendo adfectum hunc producit, reſolvendo, ſed fibrillas etiam tunicarum tenſas emolliendo, ſicque lymphæ exitum faciliorem conciliando, vel ejusdem in venulas regreſſui patrocinan-

binando. Notari meretur, viperæ adipem contra ſuffuſionem efficacem à *Dioſcoride lib.2. cap.* 28. pronunciari. Licet parum opis ab ea in vera ſuffuſione ſperari poſſe, non tantùm experimenta facta me edocuerint, ſed ratio etiam perſuadeat, cum ad concretionem illam membranoſam intra oculi cameram enatam pinguedo hæc, ob tunicarum corneæ & albugineæ denſitatem, penetrare haud valeat; ut adeo ſenſu hoc *Galenus* mentitos comperiſſe ſe lib. 11. de ſimpl. medicam. facult. non adeo malè ſcripſiſſe videri queat, qui initia ſuffuſionum ab ea ſanari referunt; quo ipſo *Dioſcoridem*, in quem paulò priùs animadverterat, hic quoque eum reprehendiſſe, ipſamet verba perſuadent: Quamvis, cum ſuffuſionis nomen latiùs quibusdam extendatur, ipſumque etiam pterygium ita denotet, *Dioſcoridem* vera ſcripſiſſe, ex ſuperius allatis ſufficienter ſic eluceat.

(Dn.D. L.Schröck.)

OBSERVATIO CLIX.
DN. D. THEODORI CHRISTOPHORI KRUG.
De Serpente in os dormientis ſe ingerente per vomitum iterum rejecto.

IN Pruſſia Ducali in Oppido Neydenburg prope fines Poloniæ vigeſimo ſeptimo Junii Anno 1696. die Saturni à meridie juvenis femina venatoris ibidem degentis Jurck Czarneuski dicti, ancilla, in horto ſub dio ſomno obruitur, inter ſomniandum per os patens repit in corpus hujus miſellæ anguis, excitata ex levi

levi ſtrepitu ancilla ſentit in faucibus aliquid hærere, ſine morâ ergo hoc quicquid eſſet, erat autem anguis cauda eminens, extrahere nitebatur, ſed nequicquam, ſerpens enim jam delapſus interiora corporis occupare cœperat, ubi inſimul in ſtomacho varios eosque inuſitatos motus experta fæmella, ita ut præ magnis anxietatibus nec non & doloribus continuò verba retta retta Pruſſico idiomate exclamaret: his commota hera propinavit ipſi hauſtum Spiritus Vini cum pipere, quo aſſumpto, dolores quodammodo ceſſarunt, aſt brevi poſt redierunt, hinc ex conſilio prædictæ heræ ſumpſit quantitatem ſalis culinaris in aquâ communi ſoluti, quoniam per experientiam hujus remedii effectum in ſimili caſu cognitum habebat, ſimul ac autem fœmella ſupra dicta hunc potum ſalſum deguſtaſſet, ſe melius habuit & tertio die, lunæ quæ erat, ante prandium, ſerpentem ſemiputrem ſine noxæ veſtigio adſtantibus hero herave reliquisque domeſticis vomitu rejecit, indicarunt hoc ſtatim Magiſtratui publico loci, femella autem Dei beneficio per aquam ſalſam ſervata, jam bene vivit, iſtiusmodi autem curdos averſatur.

OBSERVATIO CLX.
Dn. D. THEODORI CHRISTOPHORI KRUG.
De Ictero Magnetice curato.

Matrona Nobilis, juvencula veneri aſſueta, maritata quippe erat Duci militari ſtrenuo, poſtmodum vidua facta in mœrore tranſegit vitam, elapſo

tandem

tandem annuo ſpatio incidit in icterum quem vocant flavum, cum febre continuâ, aderant ſimul truculentiſſima ſymptomata ſic dicta hyſterica, omnia medicamenta lubentiſſimè aſſumebat, ſtatim ac verò iterum vomitu laborioſo rejiciebat, hinc tanta apud ægrotam exorta nauſea ut ad nomen medicaminis conatus vomendi horrendi adeſſent, ſic ut Medicus peſſimis licet urgentibus ſymptomatibus, ſiti intensâ, anorexia, inquietudine, proſtratione virium, vigiliis, deliriis, ſpasmodicâve artuum contracturâ tantummodò triſtis hujus hiſtoriæ eſſet ſpectator, nulloque medicamentorum genere liberari nec levari ægra poſſet. Vocatus, author ſum, ut ex urinâ ægræ hujus hyſtericæ recens emiſsâ & farinâ triticeâ placentulas conficiant, quas blandè exſiccatas cani eſurienti maſculino offerant, quo facto vix elapſis aliquot horis ſymptomata remittebant, nox inſequens erat quieta & altero mane ægra ſe melius habebat, morbusque de die in diem recedebat, ita ut illa, quæ jam credebatur mortua, ſexto die menſæ ordinariæ accumberet non ſine admiratione omnium; hunc in diem athletice jam vivit, nec ſi honeſtum ipſi offeratur matrimoniũ recuſabit. Rariores ſunt ejusmodi curæ, imò à plurimis niſi experientia quæ ſemper ſancta & indubitata eſſe debet, reclamaret negarentur, optandum igitur ut à Practicis crebrius adminiſtrarentur, quò ſic circumſtantiis vel temporis vel modi vel alius conditionis cognitis poſſint ſine omni dubio in medicina vulgari quod eſt mutilum & in praxi mancum hâc methodo medendi extraordinariâ reſarcire & plurimis tædioſis ſuperſedere; fortaſſis modò alia negotia aulica non fuerint impedimento plura de arte hâc balſamica per metaphyſicam

 magne-

magneticam juxta activitatem mumiæ microcoſmicæ in ratione & experientiâ naturæ & artis fundata & propriis plurimis curioſis experimentis exculta ad uſum mortalium & cognoſcenda Dei Magnalia per ulteriores huic operi inſerendas obſervationes publica faciam.

(Miſſæ Berolino Auguſtam Vind. d. 25. Januar. Anno 1698.)

OBSERVATIO CLXI.

Dn. D. JOHANNIS BENEDICTI GRÜNDELII.

De Odoratu depedito.

HUjus materiæ curioſas obſervationes communicat Clariſſimus Dn. Francus de Franckenau Regiæ Majeſtatis Daniæ Archiater in miſcellaneis curioſis dec. 3. ann. 4 obſerv. 3. quibus & meam addere volui. Presbyter quidam Marpurgenſis, D. Joannes Georgius Bartelot, vir litteris & pietate inſignis, à juventute nullum odorem in ulla re expertus eſt, niſi in braſſica muriata, & fimo, dum pro ſtercoratione agrorum vehitur, in quibus aliquid naribus moleſtum ſe animadvertere ait; Curioſitate ductus, dedi ipſi diverſa objecta, tam grati odoris, uti oleum cinamomi, moſchum, ambram &c. quàm abominabilis fætoris, uti ſal volatile urinæ ad odorandum, quod naribus planè intruſit, nihil tamen exinde olfacere faſſus eſt; horâ elapsâ de dolore ſtomachi, & nauſea conqueſtus fuit, quod ſymptoma ego à particulis urinæ volatilibus & ſumè penetrantibus originem trahere ſtatui.

SCHO-

SCHOLIUM.

FEliciori ſucceſſu atomi volatiles urinoſæ Viri cujusdam illuſtris nares intrarunt, cujus Celeb. *D. Robertus Boyle exercitat. de inſign. efficac. effluv. cap. 3.* mentionem facit, cui nempe penetrante ſalis ammoniaci Spiritu olfaciendi facultas, quam multis ante annis amiſerat, reſtituta fuit. Simile quid etiam A. 1689. in Illuſtriſſimo quodam Legato, qui ad Aulam Auguſtisſimi noſtri Cæſaris tum Auguſtæ commorantem acceſſerat, expertus ſum. Is etenim à febre tertiana reſtitutus, de olfactu jam per ſedecim annos abolito, quem fruſtra remediis variis reparare hactenus tentaverat, adeoque de eo reducendo omninò ſe deſperare conqueſtus eſt; cui cum ſimplicis ſalis ammoniaci Spiritus uſum, commendaſſem, ejusque effluvia per diem ſæpius idem naribus inſpiraſſet, paulò poſt ſenſum illum gratiſſimum ſibi rediiſſe expertus eſt, medicamentique virtutem miratus, aliquot ejus uncias ſecum poſtea Raguſam detulit. Quòd verò urinoſa hæc volatilia non ſemper vires illas exſerant, tum intermiſſam fortaſſe crebrioris uſus adplicationem, tum nativam aut morboſam organi olfactorii repugnantem conſtitutionem pro cauſa allegare licebit, cum viciſſim, ubi craſſior aliqua lympha, nervos tunicasq; narium internas obſidens, Spiritus animales ab influxu excludit, ſimulq; auram externam odoriferis particulis fœtam non admittit, eadem obicem hunc perrumpere, impactam viſcoſitatem reſolvere, atque ita viarum libertatem reſtituere valeant.

(*Dn. D. L. Schröck.*)

OBSERVATIO CLXII.

Dn. D. JOHANNIS BENEDICTI GRÜNDELII.

De Hydrope uteri thermis curato.

ILLuſtriſſima Domina Comitiſſa de Keglewich Hungara ſuppreſſis menſtruis ſenſit tumorem in abdomine, qui paulatim augebatur, unde ſe gravidam eſſe exiſtimabat: cùm autem ſucceſſu temporis fœtûs motus non adverteretur, imò color cachecticus, viriumque languor ſuperveniret, ſuadente Medico ordinario, Thermas inferiores Styriæ in Neuhaus, balneando juxta methodum adhibuit, & quidem cum tam exoptato effectu, ut octavo balneationis die, uti mihi ipſa Illuſtriſſima Domina patiens retulit, meatus fuerint reſerati, & magna humoris fœtidi ſaburra unà cum copioſis flatibus ex utero evacuata, unde omnimodam ſanitatem adepta, duarum prolium poſtmodum fæcunda mater facta eſt.

(*D. ult. Januarii 1698. Marpurgo-Styriæ Norimbergam miſſæ.*)

OBSERVATIO CLXIII.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Carcinomate latente, deliberato conſilio, ſed infauſto ſidere, dexterâ ſatis manu, dubio diu ſucceſſu, funeſto tandem exitu extirpato.

MAtrona è refugarum numero Gallica, non infimæ ſortis, annorum circiter quadraginta quinque, mam-

mammoſa admodum, cancro prægrandi nondum exulcerato, ſed exulcerationem brevi erupturam indiciis ſatis manifeſtis prodente, in ſiniſtrâ mammâ (ab alliſione capitis pueruli paulò graviori, ſuccuſſu carpenti factâ, dum gremio ſuſceptum teneret, nato) oborto primum exiguo tuberculo indolente, ſenſim poſtea accreſcente, ſed absque moleſtiâ inſigni, adeoque tolerabili ſeptennium integrum laboraverat; Verùm occaſione exilii é Patriâ ſubeundi calamitoſi, perfidiæque mariti improbi, ollas Ægypti Cœleſti Canaan præferentis, ac uxore deſertâ in patria manentis, aliarumque infinitarum afflictionum, acefcentibus, ob mœrorem & melancholiam, aucta plus ſatis acrimonia, humoribus, malum ab aliquot menſibus exacerbari, ac ſex jam & plures ſeptimanas immenſum dolere cœperat. Imò ſummo tandem & intolerabili dolore dies noctesque excruciabatur. Quare convocato 21. (11.) Auguſti, anno præterito 1697. plurium Medicorum ac Chirurgorum tam Germanorum, quàm Gallicorum concilio, plurimorum utriusque nationis accurato conſilio, expenſis probè ſuadentibus utrinq; & diſſuadentibus rationibus, & argumentis tam pro extirpatione, quam contra illam militantibus, illis præponderantibus, accedente præſertim proprio ægræ inſtinctu, utpote quæ doloris illius horrendi impatiens, mori, quàm tam miſerè vivere & torqueri mavolens, dubium ac periculo non vacans, præ nullo remedium præoptabat. Hinc empirici cujusdam, tum temporis Berolini agentis, quâ encheireſin non inepti, ac uno alterovè, in parili caſu, jam edito ſpecimine, famam aliquam adepti, manuſe ſubmittere conſtituebat, & ſectione inſequentis 22. (12.) Auguſti horam

decimam matutinam, eò, quod medicamentis aliquam diu jam adhibitis, corpus quadantenus præparatum ac prædispoſitum eſſet, decretâ, maſculè illam, utut infracto diutinis illis tormentis & vigiliis pauliſper corporis, nullatenus tamen animi, robore ſubibat, ac fortiter & conſtanter tolerabat. Ille ſatis promtè, vix quadrantis horæ ſpatio, à margine ſuperiori mammæ prægrandis, & ob tumorem cancroſum immane turgentis, ducta utrinque deſuper novaculæ acie, carcinoma illud ingens, plus ſpithamâ longum ac palmum & ultra latum, libras duas demtis ſemunciis tribus pendens, totum ad ipſos usque muſculos pectorales, nullo relicto, ſaltem apparente, ullius malignitatis reſtantis veſtigio extirpabat; Verum operationis Chirurgicæ, quam deligationis ac ſanationis methodicæ magis peritus, hæmorrhagiam paulò largiorem, indeque Lipothymias ac virium haud parum jam exhauſtarum jacturam nimiam, non abſque omni ratione, horrens, maturiùs fortè debito labia vulneris contrahendo & combinando, ſanguinem ob præcedentem mœſtitiam & animi ægritudinem acoreſcatentem, adeoq; mali ſubſequentis fomitem, nondum ſatis exhauſtum, nimis feſtinanter, compeſcebat, & injectis acu] & filo quinque fibulis, relicto quidem cruori ac puri in inferiori vulneris parte aliquali, ſed haud ſatis patulo exitu, refrenabat, ſicque ægram inſigni levamine ab atroci illo & inſupportabili dolore ex parte beabat. Sanguis in cavitate ſuperiori coërcitus, ſtagnans & ob acorem latentem grumeſcens, non exiguam curæ remoram mox ab initio faceſſebat, qua tamen laxatis inferioribus duabus fibulis, non ſine difficultate tandem remota, per octiduum & ultra cura

ſatis



Fig. LIV.
pag. 372.




Fig. LV.
p. 376.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

ſatis expedite procedebat, ac ſpem haud exiguam proſperioris ſucceſſus aliquamdiu alebat, nam & labia vulneris in ſuperiori parte fibulata coaluerant, & vulnus ſatis laudabile aliquousque pus fundebat; ſed neſcio quo ſiniſtro fato ægra, dum ſeceſſum parat, in animi deliquium lapſa, ac femina illi miniſtrante improvide illam, compreſſo duriùs ſauciæ mammæ vulnere, erigendo tractante, malum hactenus non adeò immorigerum, hoc errore ac læſione inſigniter exacerbatum, inflammatione primum mox & tumoribus quibusdam, tum in cavitate vulneris, tum ad illius labia & latera, hinc inde ſucceſſive obortis, ut & fœtore gangrænoſo, ac ſanie & ichore cruori mixto, puris laudabilis loco affatim profluente, anguem in herba latentem arguebat. Dolor præterea gravis ac contumax humeri ſiniſtri juncturas & glandulas ſub alâ, unâ cum tumore duriuſculo, tandem & brachium totum ad carpum usque occupabat, ac præter inſomnes plurimas noctes, quas ægræ, inſignes moleſtias tam Chirurgo quam Medicis creabat; qui tamen variis adminiſtratis tam internis quam externis remediis, tandem utut ægrè cedebat, & ſpem hucusque in lubrico poſitam, eatenus redintegrabat. Verum fallaces erant induciæ, malo clanculum ad interiora ſerpente, nam ob ſanguinem pure inquinatum, tandem & febris hactenus clandeſtina, apertè ſe prodebat vulneraria, appetitu penitus proſtrato, agrypniâ, aliquali delirio, aliisque ſymptomatis ſtipata. Viribus itaque ob inediam febrim ac vigilias magis magisque fatiſcentibus, auctaque indies malignitate cruoris corroſivâ, ulcus contractis ac prætumidis labris ſanationem ulteriorem & medelam omnem reſpuebat, icho-

rem

rem potius cum ſanie fœtidâ acrem & virulentum copiosè ſpuebat, eoque partes etiam vicinas infectas ex parte depaſcebat. Adeò ut recrudeſcentibus identidem doloribus horrendis, ad anodyna fuerit tanquam ad ſacram recurrendum anchoram, quæ his aliquantiſper ſopitis ac ſomno procurato Halcyonia illi ſubinde ac poſt exanthlatos decem ferè hebdomadum graviſſimos cruciatus 29. (19.) Octobris viribus planè ſuccumbentibus evthanaſiam ac placidiſſimam analyſin conciliabant. Aperta, ægræ beatæ, dum adhuc viveret juſſu & rogatu, utraque poſt obitum mamma, carcinoma muſculos intercoſtales infeciſſe, ac non tantum ad interiora penetraſſe, ſed & transverſim ſuper oſſe ſterni ad alteram quoque mammam virus ſuum propagaſſe, deprehenſum eſt.

OBSERVATIO CLXIV.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Ovo Gallopavi, ut raro, ſic monſtroſo.

GAllos quandoque eſſe oviparos, etſi hoc pro portento habitum, ac Baſiliſcos inde naſci vulgo creditum, noſtro ævo non adeo inſolitum, non unâ nos vice docuit tam aliorum, quam curioſorum Germaniæ experientia, de qua conſulere poterit, cui volupe, præter alios plures paſſim citatos Ephemeridum Naturæ Curioſorum Dec. 1. Ann. 3. Obſerv. 177. p. 332. Dec. 2. Ann. 1. Obſ. 145. p. 359. & ſeq. Item Anni 5ti Obſ. 211. p. 435. & ſeq. unà cum Scholio Magnifici atque Excellentiſſimi Domini Præſidis à portenti ſuſpicione

& ſu-

& ſuperſtitione ova illa vindicantis. De Gallopavis res, quantum conſtat, non æquè obvia: Specimen tamen annus præcedens 1697. tulit Cüſtrini, quod Neo-Marchiæ propugnaculum eſt longè munitisſimum. Ubi gallus Indicus paucos retrò dies in foro emptus, colore, pennis nimirum nigricantibus, figurâ, magnitudine, geſtibus, voce glocitando, omnibus denique indiciis, Gallapavum ſe præſtans, in areâ domus ſartoris cujusdam, cui nomen Prentzlow, hoc ipſo ædis Domino aream transeunte, ac rurſus â poſtico paulò poſt revertente, ac intuente, ſuper aſſere humi ſtrato ſedens, & concuſſis gallinam inëuntium & coëuntium Gallopavorum ritu, alisgeſtiens deprehenſus, quo in loco poſtmodum ovum repertum, ejus quam ſchema additum exprimit, figuræ. Poſt ovi partum, Gallopavus narratur quietus ac à labore partus quaſi laſſus, colorque capitis è rubro ac glauco in pallidum mutatus fuiſſe. Cum ovi effigies à pictore quodam rudi ſatis minervâ adumbrata hîc Berolini circumferretur, ac in manus quoque meas tandem incideret, dignam apographo, ac cum curioſis communicatione cenſui, de veritate tamen rei adhuc dubius, ſciſcitandi ergò Virum Nobiliſſimum atque Doctiſſimum Dominum Philippum Sigismundum Stoſchium, Medicinæ Doctorem, Archiatrum Electoralem atq; Conſulem Cüſtrinenſem digniſſimum, Amicum affinitate mihi junctum literis interpellavi, ut quid rei actum, referret. Qui non modò enarratis plerisque circumſtantiis rem reverâ geſtam confirmavit, ſed inſuper reſcripſit, nullum in eadem areâ præter illum ſolum, vel gallum vel gallinã, nec domeſticam nec Indicam illo temporè fuiſſe; prætereaque uxorem ſartoris asſeruiſſe, ſe cum quibusdam aliis teſtem oculatam

fuiſſe illius partus, ovumque non modò cum admiratione ſuſtuliſſe, ſed & accurate contemplatam eſſe, fuiſſe illud malacodermon, teſtâ nimirum molliori, qualis eſſe ſolet ſubventaneorum, aliquatenus translucidâ rectum, adeò, ut ante quoque quam frangeretur, vitelli ab albugine ſeparati non uno loco transparerent veſtigia, quæ & teſtâ, poſt delineationem fracta, reipſâ patuerint, ac juſſu ſuô terrâ, ne quid inde mali (Baſiliſcus fortè, juxta vulgi credulitatem) oriretur, obruta fuerint; Gallum autem à ſe, ab eſu illius abhorrente, aliis donatum, qui illum mactatum ac aſſatum absque ulla noxâ comederint, Superaddidiſſe quoque relationi ſuæ, aliud Galli Indici ovum haud ita pridem in ædibus cujusdam Dominæ Grünebergæ repertum fuiſſe. Scriptum mihi aliquod ſimul typis excuſum cujusdam Magiſtri Hänfleri Diaconi Cüſtrinenſis de ovo illo Gallopavi Cüſtrinenſis judicium continens, haud usque quaque ineptum communicavit. Fig. LI.

(*A.1698.d.15.Febr.Berolino Auguſt.Vind.miſſæ.*)

OBSERVATIO CLXV.

DN. D. JOHANNIS MICHAELIS METII.

De Singultu ridicule curato.

NOtiſſimus quidam mihi eſt, qui quoties ſingultu ex crapula corripiebatur, vittam coriaceam coccineo panno ſubtectam capite depoſuit, in terram projecit, calcavit pedibus, & quamprimum eam inverſam denuo capiti impoſuiſſet, ecce illico ſingultus ceſſavit, quod multoties ipſemet vidi.

Utrum verò cauſa quærenda ſit in mera ſuperſtitioſa imaginatione, ſive in mente ſeriò directa ad vitam humum projectam & conſtanti, aut in motu materiæ

teriæ infeſtantis per μετάςασιν facto, aut in Spiritu inſpiratorio retento, quo tunicarum ventriculi fibræ comprimuntur, ut acidum enormiter nervoſam ejusdem compagem prius contundens, nunc refrænatum ex agenti in patiens fuerit mutatum, vel in alio quopiam (nam unius rei poſſunt eſſe cauſæ plures,) Doctioribus examinendum relinquo.

OBSERVATIO CLXVI.

Dn. D. JOHANNIS MICHAELIS METII.

De Partium obſcœnarum exulceratione & fiſtuloſo ſinu poſt partum difficilem.

Vietoris aulici in Pretſch. oppido in Saxonia, conjux 26 annorum. πρωτοτόκος cum laborioſiſſimo partu detineretur, & quicquid medicaminum expertorum exhibitum, nil proficeret, ipſa partueriens ab adjuvantibus naſutulis, partim verò ab adſtantibus otioſis mulierculis admonita eſt, ut ad dolores partus pleno hiatu vociferaretur, cujus deinceps os ſacrum natesque ad genua ſua firmiter comprimendo miſerè miſeram torſerant, donec tandem fœtus quoad caput conſpicuus, vitâ defungeretur, Ego accerſitus cùm fætum jam viginti quatuor horas mortuum & colorem ut in ſphaceloſis fieri aſſolet, animadverti, periculum in mora. Vinum ſuaſi pro duabus vicibus propinandum, cui incoqui juſſi herbarum pulegii, rorismarini, ſabinæ aa. Mj. cinnamomi ℥ij. myrrhæ ℥iij. In hujus vini menſura circiter dimidia Saxonica folior. Sabinæ pulveriſat ℥j. & Zingiber. alb. gr. iiij. exhibui, à cujus uſu intra ſemihoram enixa eſt puerulum mortuum. Aliquot diebus poſt, in vagina uteri ulcus eſt animadverſum, eloto aquâ plantaginis, myrrhæ pul-

verem & radicis conſolidæ maj. nì fallor inſpergi juſſi. Pariter fiſtuloſo ſinui in nate ſiniſtro, ſine dubio à compreſſione muliercularum naſutularum & obſtetrice clam conſentiente, exorto, proſpectum eſt medicamentis & injectionibus vulnerariis, ita ut ab hisce binis malis, quibus ſex ferè hebdomadas vexata eſt puerpera infelix, feliciſſime D. b. ſit curata reſtitutaque priſtino vigori.

(*Jena Auguſtam Vind. d. 16. Febr. A. 1698. miſſæ.*)

OBSERVATIO CLXVII.

DN. D. JOH. HEINRICI STARCKII.

De Salutari uſu veſicatorii in febribus petechialibus & delirio.

ANno 1683. die 27. Jul. hic Regiomonti ad ægrum quendam, nomine Münzgroſchen (cujus nominis duo ſunt fratres, hic autem eſt frater natu minor) fabrum ærarium in ſuburbio Sackheimenſi, ea in regione, quæ vulgò auf den Steegen/ habitantem, vocatus, eum febri malignâ laborare inveni. Nam ſine cauſa manifeſta inſignis aderat debilitas virium ſecunda morbi hujus die, qua vocatus eram, & quidem major, quam pro febris & febrilis caloris naturâ, pulſus valdè celer, frequens & ſatis apparenter robuſtus, urina ſanorum ſimilis quoad colorem, quoad ſubſtantiam vero ſolito tenuior, & quidem ſine notabili ſedimento. Extrema, ſcil. manus & pedes ardebant valde: Lingua erat valde ſicca, aliquantulum aſpera, paulumque ad nigredinem vergens. Uxor ejus conquerebatur, maritum ducere noctes inquietas & pervigiles: ad interrogata vix ob ſummam virium debilitatem mihi ipſe reſpondebat. Hinc cum judicarem, gradum corruptionis & putredinis ſanguinis & ſpirituum eſſe ſolito majorem & intenſiorem, & à ſtatu naturali, ob latentem in

cor-

corpore pravam cacochymiam nimis recedere, ſtatim neglectâ venæſectione, ipſi ſequentem pulverem alexipharmacum præſcripſi:

℞. Pulv. Bez. Senn. alb. radic. Scorzoner. Hiſpan. contrayerv. aa. ℈ij. Saxon. pannon. rub. è chelis cancr. A. c. in gutt. aa. ʒß. Spec. liberant. Lapid. Bezoar. Bez. mineral. Unicorn. foſſil. aa. ℈ß. Fol. Sol. nro iij.

M. F. P. l. a. ſ. Kräfftiges Hertz/ Fieber und Kühl-Pulver/ davon alle 5. Stunden zwey Meſſerſpitzen voll auf 2 mahl.

℞. Aq. Scord. ulmar. Cardui. Bened. Angelic. acetoſell. aa. ℥iß. ſucc. cit. rec. expr. ℥ß. Syr. rub. id. acetoſ. citr. aa. ʒvj. Spir. nitr. dulc. ʒß. M. S. Waſſer zum Pulver.

Tertia die morbi ſcil. 28. Jul. cum mane ægrum viſitarem, inveni ipſum valde debilem, inquietum, & de inſigni ſiti conquerentem, noctem duxiſſe planè inſomnem uxor ejus conquerebatur. Pro ſiti ſedanda ſequens decoctum, quod ſimul ebullitioni & putredini, imò & malignitati reſiſtere aliquoties in praxi obſervavi præſcripſi:

℞. Radic. Scorzoner. Hiſpan. ℥ß. Coq. in aq. ſimpl. Colat. ℥viij. Add. aq. ſcord. Card. Bened. roſar. aa. ℥j. cinam. ſ. ʒiij. borrag. ℥ß. ſyr. granator ℥iiij. rub. id. berber. ac. ℥ß. Confect. Alkerm. c. ℈ij. Clyſs. Antimon. g. vij. M. S. Stärck- und Kühlungs-Tranck/ davon nach Belieben zu nehmen.

Interim injunxi, ut adhuc ſingulis 5. horis uteretur pulvere pridiè præſcripto. Hora quarta pomeridiana cum ægrum rurſus viſitarem, eum inveni minus apte ad interrogata reſpondere, hinc judicavi ex motu ſpirituum animalium in cerebro perturbato, delirium inſtare, & pro interceptione humorum ad cerebrum cum impetu aſcendentium, primo clyſterem emollientem ordinavi, cujus formulam hic brevitatis cauſa omitto, & poſtea juſſi, ut Chirurgus in cervice ægri veſicatorium ſtatim applicaret. Uxor ægri mandatis meis obtemperans Chirurgum, nomine von Sooſten

accerſit, qui me abſente hora ſexta veſpertina veſicatorium cervici applicavit. Die 29. Jul. manè cum venirem ad ægrum, inveni eum ſatis aptè ad interrogata reſpondere, uxor affirmat, maritum noctem habuiſſe ſolito quietiorem, nec amplius poſt duodecimam nocturnam deliraſſe, & cum ſemper inquirerem, annon maculæ purpureæ in cute erupiſſent, poſt adhibitum veſicatorium in pectore, collo & brachiis ſtatim quasdam pulicum morſibus ſimiles animadverti, Chirurgusque præſens dixit: Veſicatorium magnam in cervice veſicam excitaſſe, & humores ubertim adhuc ex ea partim diſſecta, partim ſua ſponte rupta, deſtillare, ac tanta quidem copia, ut induſium iis infectum & induratum, æger diutius ferre nolit. Juſſi igitur, ut uxor illud recenti probe ad foculum calefacto mutaret, quod etiam me & Chirurgo abſentibus factum. Præterea ſuaſi ægro, ut præſcripto pulvere frequenter adhuc uteretur, ſed decocti prioris reiterationem hac nocte diſtuli, quod ſitim ægro non admodum moleſtem eſſe ſentirem. Die 30. Jul. manè ægrum aliquantulum firmiorem inveni; ipſe ajebat ſe noctem habuiſſe placidiorem, & faciliorem ſolito ſomnum. Confirmabat uxor veſicatorium illud marito multum profuiſſe: tam virulentos enim humores per iſtud extractos eſſe, ut duo mures, qui ex induſio mariti, & ea quidem parte qua cervicem tetigerat, aliquid abraſerant, mortui inde eſſent: ſe enim manè cum induſium ſub fornacem abjectum tollere vellet, extinctos, in ipſoq; induſio jacentes inveniſſe. Oſtendebat hinc mihi & Chirurgo tam mures mortuos, quorum utriusq; abdomen ita erat diſtentum ac tumidum, ut ruptionem metueret ægri uxor, quam corroſum induſium, multis humoribus fœdatum. Æger ſtatim poſt adhibitum veſicatoriū melius

habe-

habere cœpit, ut ſeptimo die poſt priſtinæ fermè reſtitutus ſanitati, me & Chirurgum dimitteret: nihil enim inde præter tincturam Bezoardicā ægroto præſcripſi 30. Jul. Ex his ergo videre licet, quanta ſit vis veſicatoriorum in febribus petechialibus, pervigilio & delirio, dum non ſolùm humores venenatos ad caput aſcendentes intercipiunt, ſed & eos è corpore prorſus educunt, ut maculæ maturius in cute die critico appareant, promovent, & venenum à corde ad peripheriam trahunt.

OBSERVATIO CLXVIII.

DN. D. AMBROSII STEGMANNI.

De Hydrope ex obſtructione & induratione Meſenterii.

GEneroſus Dominus Wulff Æſche à Wulff, Hæreditarius Dominus in Nauendorff & Adendorff, Capitaneus ſub vexillis Cæſareis, in Hungaria militans, annosque ætatis ſuæ 43. agens, ad me ſub initio hujus anni venit Islebiam, conqueſtus (ob accuſatum & commiſſum in diæta errorem, inſalitorum & ipſorum vitrorum devorationem) de crudorum revomitione, ſæviſſimoque abdominis dolore. Propinabam illi varia, præmiſſis univerſalibus, ſtomachica, carminativa & anodyna, poſteaque ob ſuſpectam Meſenterii obſtructionem & exinde enatos atrociſſimos dolores, ſelectiſſima aperientia & alia quævis in Affectu hoc proficua, ſed omnia irrito cum ſucceſſu. Hinc me relicto, ad alium fugit Medicum & ex illius conſilio poſt varia quoque fruſtrà tentata remedia, acidulas Piermonticas pleno hauſit gutture, ſed loco ſanitatis hydropem reportavit Aſciten. Quæſivit itaque periculoſo ſuo morbo celeberrimos hinc inde Medicos,

tan-

tandemque d. 3. Auguſt. ſummè quoad ſuperiora emaciatus, facie Hippocratia jam jam inſignitus, & prioribus adhuc ſymptomatibus, continuâ nimirum crudorum revomitione, vehementiſſimo meſenterii dorſique dolore comitatus, redibat ad me Islebiam, ibique tertium poſt diem vitam commutabat cum morte: Aperiebam, ex nutu uxoris, corpus demortuum.

I. Ex ejus diſſecto abdomine ſerum quoddam citrinum ultra Lxx. ℔. effluebat.

II. Omentum omni pinguedine privatum, ruptum & ob glandulas obſtructas induratum conſpiciebatur.

III. Inteſtinum duodenum diverſis in locis tam arctè coalitum erat, ut gyrata ejus anguſtia vix calamum ſcriptorium admitteret.

IV. Inteſtinum jejunum, nigro calore ab extravaſato & diſtributo inter tunicas cruore totum: cæterorum verò inteſtinorum glandulæ & venæ lacteæ ſaltem ejusmodi nigro colore tinctæ erant, ut jucundiſſimo ſpectaculo exinde cognoſci & ſecerni poſſent.

V. Meſenterium grandinoſum, induratum, & ferme cartilagineum conſpiciebatur, ita ut copioſiſſimæ ejusdem, tum exiles, tum majores glandulæ, verrucarum ad inſtar, nigro colore tinctarum apparerent.

VI. Pancreas itidem p. n. durum & veluti ſemine milii conſperſum videbatur.

VII. Ventricul⁹ in fundo corroſus, pituita mucoſa, variisq; medicamentis ante aliquot dies ſumtis refertus erat.

VIII. Renes ſani, ſatis magni, ſuoque quisq; loco (poſiti erant.

IX. Veſica benè conſtituta, nullo ſero, multis verò recrementis rubris tartareis, in vita ſæpius per urinam excretis, repleta videbatur.

X. Epar nullâ labe, qua colorem, tunicam, magnitu-

gnitudinem, & parenchyma vitiatum, nullisque hydatidibus præditum erat.

XI. Cyſtis fellea optimâ & copioſâ bile repleta erat.

XII. Superficies Lienis omni ex parte lævis ad albicantem vergebat colorem, ac in utrâque parte luſu quodam Naturæ VIII. fiſſuris partim inter ſe hiantibus, partim coalitis, inſignita conſpiciebatur.

XIII. Cordis pars dextra marcida & planè depreſſa, læva verò ejus pars tota ſine vitio annotabatur.

XIV. Pulmones omni ex parte ſani & integri exiſtebant.

In toto Corpore, ejusque vaſis, excepto Capite non ℥j. ſanguinis deprehendebatur.

Obſervatio itaque hæc falſam illorum hypotheſin, qui Epar unicam & primariam Hydropiſeos cauſam ſemper præſupponunt, rejicit, & aliorum annotationes, qui ab Omenti & glandularum Meſentericarum obſtructione & induratione Hydropem quandoque inductam pronunciant, ſtabilit, ut annotatum *in Miſc. N.C. Ann. 3. Obſ. 180. Dec. 3. Tulp. l. 2. Obſ. 33. Hœchſteterus Decad. 10. Obſ. 7. &c.*

OBSERVATIO CLXIX.

Dn. D. AMBROSII STEGMANNI.

De Morbis Canum Epidemicis, aliisque rarioribus Phænomenis.

NUllum Animalium, quod ſcio, Affectus tùm Animi, tùm Corporis exactiùs communicat cum Homine, quàm Canis. Vidi canem, qui quosvis Heri ſui

Affectus Animi adeo exprimebat, ut triſtem affectata triſtitia, hilarem hilaritate, iratum iracundo quodam latratu imitaretur Herum, & quod mirandum, falſas etiam lachrymantis mentiretur lachrymas. Alios duos etiam memini canes, ex morte Heri non longè poſt mœrore conſumtos & mortuos, quorum unus, cum ægrotanti Hero aliquando vomitorium propinarem, ad quamvis rejectionem itidem vomebat, & anxiis ſuſpiriis Heri ægritudinem ſociabat. Affectus Corporis quod attinet, eosdem fermè Canibus familiares eſſe ac Hominibus, Medicorum hinc inde atteſtantur Annotationes, quas jam non faciam meas, ſed ſolummodò adducam in ſcenam, quas ipſus annotavi: Canem nimir. hæmoptoicum, ab exulceratione Pulmonum phthiſicum, hydropicum, podagricum, paſſione iliacâ, herniâ inguinali, multos calculo laborantes, aliosque peſte in- & interfectos meis vidi. Epidemicam Canum Anginam Anno 1690. d. 13. Mart. Aendæ, ad Illuſtrem Viduam â Schulenbourg vocatus, obſervavi, ubi præteritâ nocte â delapſo nebuloſo aëre canes, tùm domeſtici, tùm catenarii, præter tres, omnes in toto pago perierant, de quibus ex curioſitate ultra XX. unum in locum apportari curavi, quorum colla externe intumefacta, internæ fauces verò, gutturisque muſculi inflammati conſpiciebantur. Menſe, hujus Anni 1697. Februario, hinc inde Canes epidemica quadam lue, & febre veluti ardenti extincti viſi ſunt, in quorum diſſectis corporibus, præter ſanguinem grumoſum, & bilem copioſam aduſtam, nihil reperi notatu dignum. Quanta, inſuper, Canum ſit fidelitas & celeritas, ex ſequenti Amici cujusdam relatione videre licet: Viſitavit,

ſitavit, inquit, quidam ex Lanionibus noſtris Sangerhuſanis nundinas Zerveſtanas, & domum reverſurus canem ſuam fœminam interim temporis novem catulos ibidem loci enixam derelinquere coactus eſt. Quid factum? Cum Lanio altero die poſt à ſomno expergiſceretur, in ædibus ſuis Sangerhuſanis ante cubile, canem una cum IX. ſuis catulis jacentem & dormientem vidit, hinc partim terrore, partim admiratione extra ſe quaſi poſitus, me fortè fortuna ædes ejus pererrantem, altâ voce vocavit, & quod factum, recenſuit. Incredulus ego recenſita falſa habebam (cum Sangerhuſa à Zerveſta ultra XI. milliaria germanica diſtet) hincq; majorem in modum Lanionem rogabam, ut per literas à me ipſo ſcriptas canis abitum ex Hoſpite Zerveſtano recognoſceret, & rei veritatem exinde demonſtraret. Receptâ igitur reſponſione, & facta computatione, Canis cum novem ſuis catulis, unum poſt alterum vel ad ſummum duo in ore deportando, & Albim, Salamque fluvios pernatando, intra XXVI. præter propter horas XI. milliaria novies, vel minimum quinquies dimenſa eſt.

OBSERVATIO CLXX.
Dn. D. AMBROSII STEGMANNI
De Lue Pennatorum Epidemicâ.

EOdem, hujus Anni, menſe, Gallinæ Indicæ & domeſticæ, columbæ itidem & Anſeres diverſis in locis lue quadam Epidemica perierunt, ſub quarum nonnullarum axillis puſtulas exulceratas, in corporibus verò apertis, Epar planè exſiccatum & torridum reperi.

OBSERVATIO CLXXI.

DN. D. AMBROSII STEGMANNI.

De Piſcium morbis Epidemicis.

Luem Piſcium Epidemicam certiſſimum dare Peſtis futuræ prognoſticon, Annalium atteſtantur paginæ, & ſequens exhibet Hiſtoria. Ante ultimam Peſtis invaſionem, Anno nimirum 1680. piſces in lacu dulci Mansfeldiaco, (Süſſe See) piſcinis Langenbogianis, & aliis (minimé verò in lacu amaro vel ſalſo, Saltzen-See) lue quadam epidemica, magnâ perierunt in copiâ, maculas habuerunt variorum colorum ex nigro rubentes, flavas & virides per univerſum hinc inde corpus ſparſim expanſas, gravem ſpirarunt odorem, & nauſeabundam ſapuerunt putredinem, à quorum eſu pauperioris ſortis homines inſignem præcordiorum anxietatem, ſubitaneam virium proſtrationem, nauſeam, vomitum, putridas malignasque febres ſunt paſſii. Medici Hallenſes, Islebienſes & alii mirum hoc Phænomenon curioſâ mente indagantes, illud ad unum omnes malignis, tunc temporis aquam inquinantibus nebulis adſcripſerunt, utpote qui aër nebuloſus tantæ fuit corroſivitatis & malignitatis, ut piſcatorum aquis innatantium facies exulceraverit, aquasque cuticula ex flavo cœruleâ obtexerit. Hinc factum opinor, ut miaſma quoddam aëris nebuloſi malignum, ſeu Sal volatile acre extraneum per odoratum, inſpirationem & nutrimentum maſſæ Piſcium ſanguineæ, ac ſpirituoſioribus ejus particulis communicatum ſit, quod fermento ſuo acri peregrino ebullitionem & efferveſcentiam inſignem

ſignem in illis conciliavit, compagem ſanguinis in ichorem & putredinem reſolvit, partim ſulphureas ejus particulas igneas fecit, partim effluviis craſſis exteriorum pororum oſtiola obſtruxit, & occluſit, ut efflorescentia quædã ſive maculæ petechiis non abſimiles à Sale volatili ſanguinis ceu flores quidam protruſæ ſint, cum Natura reſolutionem ſanguinis totalem averſetur, & ſolummodò particulas ſalinas volatiles ſulphureis impurioribus implicatas ad extimam cutis veſtem protrudat & expellat. Si quis dubium moveat, & objiciat: Quòd ad expellendas Petechias ſummus calor p. n. requiratur, cùm ex praxi medicâ conſtet, Partes rariores & calore fotas, magis ſubjici Petechiis, minus verò illas, quæ aëri expoſitæ ſunt: In piſcibus autem ſub aura humidiore degentibus ac aquis frigidis immorantibus, calorem ejusmodi p. n. minimè præſupponendum eſſe, utpote quorum particulæ ob aquæ frigiditatem & humiditatem minùs mobiles, hincque ad exagitationem calorificam excitandam neutiquam idoneæ exiſtunt. Cui objectioni brevibus reſpondeo (1) Talem quidem calorem tàm naturalem, quàm præternaturalem piſcibus non ineſſe, qualem in Hominibus, aliisque animalibus aëri inexiſtentibus deprehendimus, tantum tamen adeſſe, quantum illorum vitalitas requirat, ita quidem, ut quemadmodum interiora Hominis ab aëre calidiore, ſic piſces ab humidiore, & frigida aqua incaleſcant. Aër enim Elementum Hominis, Aqua piſcium, licet & aërem una cùm aqua ſimul pro nutrimento hauriant piſces; Cùm teſte *Helmontio Diſcurſ. Paradoxal. p. 7.* in piſcinis libero aëri expoſitis magis creſcant piſces, quam in illis, qui ſolem averſum habent.

(2) Nec ipſam aquam prorſus calore eſſe deſtitutam experientia docet: Licet enim humiditas & frigiditas Elemento aquæ propria ſit, attamen calor propter connexionem partium in illa magis continetur, quàm in terra. (3) Piſces inſuper multo Sulphure ſeu calore interno, ſpiritu & ſanguine gaudere, evincunt *tùm* velociſſimæ, & continuæ illorum jactationes ex impetuoſiſſima atque celerrimâ humorum exagitatione, harumque particularum ſubſaltationibus haud moderatis provenientes, *tùm* circulationes manifeſtæ, quia mediantibus microſcopiis in piſcibus ſquamis deſtitutis rapidiſſimum ſanguinis per caudæ fibrillas morum peridromum circulari videmus, *tùm* Chymicæ reſolutiones, qui deſtillati piſces plus olei, quàm ſalinæ ſubſtantiæ fundunt. Hinc ſulphureas piſcium particulas ab extraneo quodam maligno fermento inflammari poſſe, & igneas quaſi fieri, quivis facilè videt. Quòd autem Aqua malignis Aëris nebuloſi miaſmatibus, ac impuris aliarum rerum moleculis poſſit inquinari, contagiique tanti vehiculum fieri, ut piſces exinde pereant, nullus forſitan negabit, qui curioſas Medicorum obſervationes diligenti volvit & revolvit manu. Nam quòd (1) Aër miaſmatum parens non ſolùm ſua malignitate ſuperiorem regionem, & ex illo viventia Animalia variis morbis epidemicis, ſed & ipſam aquam, ejusque incolas contagioſa quadam lue poſſit inficere, teſtes ſe ſiſtunt *Hippocr. l. de aëre, aqvâ & loc. Bontekoe in lib. Diætetic. Cornar. hiſt. admirab. 21. Diemerbroek de peſt. l. 2. c. 3. & 6. Foreſt. lib. 6. Obſ. 9. Schol.* (2) Conſtat: Quod piſces à fulminibus & tonitru æſtatis tempore non raró interficiantur, & maculis variis exinde inſignian-

gniantur, quam interfectionem vulgus ſibi perſuadet fieri, quod ſonum exaudiant piſces, aut quòd fulgure ipſorum corpora perſtringantur. Sed cum Auditus piſcibus propter organorum auditui neceſſariorum defectum nullus ferè ſit, nec fulgura ſub aqua degentibus nocere poſſint, credibilius eſt à fulmine noxam fieri, & mortem inferri piſcibus ab effluviis, & atomis ſulphureo-nitroſis aquæ communicatis, quos ſpirant fulgurata omnia, vid. *Senec. l.2. Nat.c.21. Plin. l. 35. c.15. Caſp. Schott. l.11. Mirab. Meteor.c.17.* qui ibidem corruſcationes has fulminum Nitro-ſulphureas, floreſcentibus arboribus etiam nocivas dicit, ut exinde flores veneno veluti tacti areſcant, & decidant.

(3) Ex maceratione lini aquam, & ex illa Homines ac piſces infectas annotarunt, *Avenzoar. l. 1. Theiz. Tract. 9. c. 9. Athanaſ. Kircher. in Scrut.* Med. *Phyſ. de peſt. S. 1. c. 3. p. 22.* Rolfinck. Meth. Med. ſpecial. *l. 2. S. 3. c.77. Briet. Parallel. Geog. vet & nov. Tom. 2. p. 2 l. 1. c. 6. p. 1046. Boſ. in Hiſt.* Melitenſ. *Wedel. in Analect.* Melitenſ. *Par. de Peſt. c.3.*

(4) Aquam ex Subterraneorum ſ. mineralium malignitate inquinatam, & ex hac piſces interemptos, adducit *Agricol. l. 1. de* Metall. *p. 6.* quatenus mineræ, vel in aqua lavantur, vel ſub ſpecie halitus ſeu vaporis ac tincturæ mediante ſcil. contactu corporali ac Spirituali aquam conſpurcat ac inficit juxta Poëtæ verba:

Hæc terræ occultas prolabitur unda cavernas,
Et fluit ac reſtuit ſemper variumque ſaporem
Accipit: Ut varia eſt tellus, per viſcera cujus
Tranſit, ſulphureumque à Sulphure mittit odorem.

(5)

(5) Aquam ex Tabaco, & ex illa Piſces in & interfectos, Ephemerides & Novellæ Gallorum Ann. 1679. exhibebant ſequentibus: Aliquot nimirum naves Tabaco onuſtas circa Inſulam St. Chriſtophori everſas fuiſſe, & à copioſa illius Tabaci ſubmerſi ne aquam iſtius loci adeò malignam & venenatam extitiſſe, ut piſces exinde perierint, & ad littus projecti aërem miaſmate quodam maligno inquinaverint, Hominesque febre peſtilentiali infecerint.

(6) Quid quod Aqua malignitate ſua acquiſita, non ſolùm Homines, piſces, aliaque viventia, ſed & inanimata & ipſas plantas inficere apta nata eſt, quippe quale contagium Rodericus Diacius Inſulanus Hiſpalenſis lib. de Morb. Gallic. hiſpanicè conſcripto annotavit & ſequentibus verbis latinè redditis ita deſcripſit: Primis, inquit, quindecim annis tàm contagioſus extitit morbus Venereus ut etiã in plantis fuerit obſervatus. Bäeſæ enim in hortis, ubi ſtagna, vel vivaria erant, in quibus veſtimenta morbo hoc infectorum lavari ſolebant, aquâ ejusmodi irrigatæ ſtirpes, maximè caules, puſtulis inficiebantur, quæ poſtea albeſcebant, ut admodum ſimiles eſſent puſtulis Venereorum exulceratis. Si conjecturæ reliquus locus, idem fortè judicandum de Leprâ Judæorum contagioſâ, quæ exhalationibus ſuis acribus & ſummè venenatis tùm parietes ædium, tùm veſtes infectorum non ſecus inquinavit, ac ventus humidus vaporoſus, & ex illo enati Vermes (Motten) conſumunt veſtes, vid *Levit. c. 13. v. 3. & 6. c. 14. v. 34. ſeq. Franciſc Valleſ. Philoſoph. Sacr. c. 19. Th. Bartholin. de Morb. Biblic. n. 8. Sennert. l. 5. P. 1 c. 27. Pract.* Ad priora inquirenda ut redeam: Cur nimirum piſces non

æque

æque in lacu ſalſo, ac dulci piſcinisque, in medio tamen harum ſito, lue hac contagioſa infecti ſint. Hoc, ut brevibus me expediam, ob denſitatem ſalium accidiſſe arbitror, quæ miaſmata aëris maligna, non tàm facilè admiſit & imbibit.

(*Miſſæ Islebiâ Norimbergam d. ult. Febr. An. 1698.*)

OBSERVATIO CLXXII.

DN. D. GEORGII FRANCI de FRANKENAU, De Mercurio vivo è vivo Hominis Corpore emanante.

MEmini me olim legere in *Ephem. Germ. Cur. Dec. II. Ann. III. Obſ. CLIX. p.m. 307.* ex obſervatione Exc. Viri DD. *Schelhaſii*, in Camera Imperiali Wetzflariæ Medici Ordin. Celeberrimi, quod obſervarit feminam, quæ ſancte conteſtata ipſi fuerit, ex filii ſui cadavere Mercurium vivum largiter emanaſſe. Comemini in mortuis fuiſſe illum repertum. D. Georgius Garnerus de *Obſſ. propriis apud Joh. Schenk. l. VI. Obſ. 221. f. m. 489.* in cerebri ventriculis utentis inunctione mercuriali, & mortui, multum Mercurii collegit, & illud ipſum care reſervavit. *Noſocomium eſt, referente* Eraſmo Bartholino, *in Celebri* Medicorum *metropoli Florentia, ubi ſolis inunctionibus curantur infecti lue Venerea, quorum defunctorum cadavera idem unus tumulus excipit. Hinc per intervallum aliquod temporis, collectam, ex demortuorum oſſibus non exiguam hauriunt argenti vivi copiam*, ceu ſcribit CL. Vir Joh. Theod. Schenckius *diſp. doctiſſima de Poris* §. 34. Produco

in Scenam quoque virum curioſum laborioſumque maxime P. Athanaſ. Kircherum de *Magnet. l. III. part. V. cap. III. p. m.* 637. inquientem: *Hinc patet quoque cur ſubinde inter cortices arborum copioſus* Mercurius *reperiatur. Siquidem per ſubterraneum æſtum rarefactus ☿ per ſubtilisſimas rimas ſibi viam evaporando faciens, inter roſcida folia arborum conſtrictus, ſuæ naturæ reſtituitur inter corticem arboris receptus. Qui hanc rationem bene percepit, rationem quoque intelliget cur ſubinde in Sepulcris, in craneis mortuorum Argentum vivum reperiatur. Ii enim artifices, qui in extrahendo aut præcipitando* Mercurio *multum occupantur; ſæpe non exiguam vaporis partem per nares excipiunt, qui in frigidas cerebri cellulas receptus, ibi denuo congelaſcit, ubi & poſt mortem, tanquam in vaſculis, perennat. Non ut nugantur quidam Philoſophaſtri, quod intra hominem ubivis, ut materiam lapidis ſui hoc prodigio jactent, inveniatur. Docuit hoc ſatis ſuperque hic Romæ non ita pridem aurificis anatomia, qui cum heteroclitos capitis dolores multo tempore paſſus, tandem obiiſſet, in aperti capitis cerebro plus quam libram* Mercurii *repererunt ex vapore hauſto ibi coagulatum.* Conf. plura *in Schol. ad Dec. I. Ann. I. Obſ.* LXXXI. *Ephem. Germ. Cur. p. m.* 197. *ſeq.* ſtudio indefeſſo incomparabilis noſtri P. I. Sachſii obſervata. Verum hæc in mortuis, de quibus etiam vide ſis *Cardan. l. V. de ſubtil. Nic. Fontan. in Conſult. Exemplo* XXXVII. *p. m.* 105. *Alex. Trajan. Petron. tr. de morbo Gall.* & cum primis *Matthiam Unzerum in Anat. Spagyr. Mercurii l. 2. cap. XI. p. m.* 468. *ſeqq.* Aſt in vivis etiam hominum corporibus talia fuere obſervata. Audiamus Πολυμαθέςατον Thom. Bartholinum, Virum Candidiſſimum, cujus Fama & per

Orbem

Orbem volitat, & heic Hafniæ in recentiſſima adhuc eſt memoria. Ille *Cent. I. Hiſt. VII.* ſcribit: *In feminæ cancroſam mammillam imponebatur lamina plumbea, incuria adſtantium nimium Mercurio oblita, quem mamma ita attraxit, ut tandem rupto ex ſe tumore, ex eodem Mercurius ſenſim, & ſatis magna copia exſtillarit, qui vicinas partes ſuo ſplendore inumbravit, immo ex ſcapulis integra cute exſudarit.* Hujus rari exempli recordabatur Vir Ampliſſ. & Excell. Dn. Henr. à Moinichen, Conſil. Juſtitiæ & Archiater Regius, Vir optimus & doctiſſimus, conjunctiſſimus mihi Collega, ceu mihi faſſus eſt non ita pridem. Joh. Rhenanus *in Præf. ad Lect. diſſ. Chymicotechn. p. m. B. 2. b. ſeq.* hæc habet: *Ipſe vidi apud Parentem meum, qui non infimæ nobilitatis Virum olim priſtinæ ſanitati reſtituebat, vivum immo vivum argentum ex vulnere leni cauſtico, ubi cutis aperiebatur effluere, quo ablato tandem morbus abiit. Levin. Lemn. l. 2. de O. N. M. c. 52.* obſervatum ſcribit ex eorum, qui inunctione mercuriali uſi erant, inciſa vena aliquot Mercurii drachmas effluxiſſe. E meo addo penu exemplum, quod ante biennium Hafniæ obſervavi, in morbo Vice Chiliarchæ rei tormentariæ D. Ludovici Chriſtophori Engel, Luſati. Ille LII. annos natus, cacochymicus, olim Arti Chemicæ & Pyrotechniæ operam addixerat, multumque circa Mercurium occupabatur. Præterea ante hos XX. annos Philippsburgi ad Rhenum per inſidias ab homine nequiſſimo toxicum propinatum accepit, quod itidem ex Mercurio ſuſpicabatur confectum, ab eoque paralyticus ægerrime decubuit, conſilio Excell. D.D. Joh. Dan. Widtii, Conſil. & Archiat. Trevir. & Cameræ Imperialis Spirenſis, Amici,

dum viveret, ſuaviſſimi, reſtitutus in tantum fuit, neutiquam in totum. Ab illo tempore homo cetera robuſtus, non bene valuit, ob ſanguinis dyſcraſiam, & generis nervoſi imbecillitatem; à ſpirituum animalium jactura, cum oblivione & vertigine. Denique arthritide modo vaga, modo fixa, Podagra nimirum & Chiragra laborabat ſubinde. Tandem incidit in hæmorrhagiam narium contumaciſſimam, unde ſæpe ex trachea thrombos ſanguinis exſcreavit cum ſuffocationis metu. Superveniente vero febre maligna, beate obiit d. XXVII. Julii cIↄ Iↄc xcvi. Hoc autem maximè notatu dignum erat, quod ex ejus dextræ manus indice digito circa apicem exulcerato, ipſe Mercurius vivus non ſemel prodierit crudus: Sicuti & eundem ipſemet opſervavi in eodem è crure ſiniſtro ulcerato effluxiſſe An. 1696. d. XIV. Junii per tres ſequentes dies, quod curavit impoſitis herbæ recentis Chelidonii majoris foliis. Ceterum de argenti vivi tranſitu per meatus inſenſibiles, legatur Petrus Roſtinus *tr. de morbo Gall. p. m. 116. in 8.* Nec tantum carnis, membranarum, humorumque ſubſtantiam, ſed ipſa oſſium quoque interiora permeat, uti obſervavit Fallopius, qui ipſe in apertis crurum oſſibus corruptis, in gummatis, ut vocant, Gallicis minas argenti vivi puriſſimi invenit, ut refert I. T. Schenck *l. a. §. 33.* His addatur Matthias Unzer, *c. l. l. 1. c. XI. p. m 466.* ubi ſcribit: *Vis Mercurii penetrativa inſignis conſpicitur quoque in corpore microcoſmico, ad cujus ſane centrum tanta celeritate penetrat, ut ſeu intro adhibitus, ſeu foris adplicitus, momento quaſi cutim, membranas, muſculos, vaſa ac viſcera perreptando, non ita multo poſt, vel per os, vel veſicam aut*

anum,

anum, vulnera exteriorum partium, aliave naturæ loca rurſus egrediatur, exitumque ſibi moliatur. Hoc pluribus ibidem poſtea confirmat experimentis, quæ poſſunt videri. Obiter addo inſignem Mercurii uſum in anatome, ad detegenda vaſa minutiſſima, cujus rei artificium egregie callebat Collega Oculisſimus in Alma Electorali Heidelbergenſi Vir Illuſtris Joh. Conr. Brunnerus, hodie Conſil. & Archiat. Elect. Palat. Duſſeldorpii. De uſu Mercurii in cognoſcendo vacuo vide Iſaac. Voſsium de Lucis natura & proprietate, & Rob. Boyle, Magnum illum Naturæ Conſultum in novis experimentis Phyſico-Mechanicis §. 1. p. m. 40 ſeqq.

OBSERVATIO CLXXIII.

DN. D. GEORGII FRANCI de FRANKENAU.

De Phthiriaſi.

Ἰατρικώτατος Vir Petrus à Caſtro, Bayonas, Veronenſium Aeſculapius, & cui multi Celeberrimi Medici intra & extra Germaniam debent plurimū, ob inſignem eruditionem & Praxin feliciſſimam, in aureo libello de Febre maligna puncticulari, (cujus iteratam editionem debemus candidiſſimo pectori, Magno Joh. Georg Volcamero, nobis olim, dum viveret, amiciſſimo & adhuc poſt fata colendo,) Sect. IV. de ſignis prognoſticis febris puncticularis §. 39. p. m. 94. ita ſcribit: *Horrenda phthiriaſis, ante ſeptimum præſertim adparens, majorem partem ægrotantium miſere ſuſtulit: Nec protracto morbo ſemper eſt ſecura, niſi coctionis ſigna apparuerint. In declinatione ſalubriter ſolent germinare conſumtis per ea animalia impuris ſuccorum reliquiis,*

quæ ad cutem natura detruſerat, non ſatis valens propter putredinalem viſciditatem ab eis ſe expedire, alioquin pernicioſas effecturis recidivas. Idem ibid. *Sect. IX. §. LIV. p. m. 26. ſeq.* pergit: *Fœda Phthiriaſis non raro etiam hunc morbum comitatur, malo certe omine, ut dictum eſt ſupra, ſi in principiis appareat, niſi purgatione debelletur, remedium non habet, ut contigit famulo pharmacopolæ ad D. Zenonem, qui quarta die apparente Phthiriaſi, ſexta miſere extinctus eſt &c.* Commodum verò accidit, ubi librum hunc elegantiſſimum in Antiquiſſima totius Germaniæ Heidelbergenſi Academia, Auditoribus meis proponebam, jubente ita tempore A. M IↃC LXXIV. quando hæc maligna febris & in Caſtris & in urbe ſæviebat; ut occurreret talis caſus, qui certe inter rariores numerari meretur. Venerandæ Canitiei Vir, Conſil. Intimus & Præſes Sereniſſimi cujusdam Principis, ad juſſum Domini, Caſtra Cæſarea, tunc temporis prope Spiram Nemetum metata, ſecutus, incidit in morbum caſtrenſem ſeu febrem vulgo dictam Hungaricam cum ſuetis, hoc eſt, vehementiſſimis Symptomatibus. Ingraveſcente malo deportatur Heidelbergam ad Generum ſuum Dn. G. A. de M. Centurionem ibi in præſidio commorantem. Hic me vocat & urbis Phyſicum Ordin. D. D. Andr. Steigerum; invenimus ſenem promiſſa canaque barba, quam ſæpius ſolebat interplicare & nodis conſtringere; cetera proceri & robuſti corporis, munditiæque ſtudioſiſſimum. Exhibemus ex Artis præſcripto remedia. Sed ecce circa undecimum morbi diem ſubito & ex improviſo pediculi copioſi agminatim per caput, collum, pectus reliquumque corpus oberrantes conſpiciuntur, cum ægri horrore & adſtantium. Vires violentiſſime diſcedunt, optimusque ſenex die morbi XIII. circa veſperam placide exſpiravit. Exemplum hoc communi-

municavi cum CL. Viro Joh. Gottofredo Zeiſio cum me Rectore Univerſitatis & Præſide An. 1678. d. 17. Junii Heidelbergæ non ſine laude proponeret Diſp. Inaug. de Phthiriaſi, in qua magno labore, docta diligentia, rem exacte enucleavit, qui poteſt videri. Hic noſter caſus mihi revocat in memoriam aliud exemplum quod non ita pridem legi apud Erud. Virum D. D. Franc. Blondel in Thermarum Aquisgranenſium & Porcetanarum Elucidatione & thaumaturgia c. XIV. §. 2 p. m. 158 ſeq. Edit. Aquisgr. A. 1688. in 4. ubi inquit: *Unus reſtat exoticus morbus, quem referre debeo. Prima Aprilis acceſſit ad thermales Prænobilis Hollando-Friſius N. N. ſingulariter in omnibus aulis Regum & Principum Europæis, immo & Turcarum notiſſimus. Navigans in mari cum Judæis, ſuſpicabatur ſe ab illis, fœdo illo Herodiano morbo pediculari intoxicatum fuiſſe. Quidquid fuerit, ita ejus cutis illis repleta fuit, ut undique ex vola Manus, ex Naribus, Auribus, Oculis, Mente, Barba, Pectore, Ano, Pene &c. Innumerabiles extrahere poſſet, viventes & in Charta ambulantes & currentes, quod vidimus una cum Chirurgo M. Henrico. Perſonam habebat conductam, quam ſecum ducebat pro hac venatione, quæ tota die ferme operam illi impendebat, & quæ ad milliones forte mactabat &c. Huic caſui medelam adhibuit circiter per duos menſis potu & fotu thermalium, cauſſam morbificam ſuſtulimus, exſtinximus &c. mutatis veſtibus ivit Francofurtum, ſanatus rediit, curamque anteriorem pro majori certitudine aliquantiſper repetiit, & abivit liber & incolumis.* De morbo hoc qui plura deſiderat, adeat Joh. Schenk. Obſ. Med. l. V. f. m. 699. ſeq. Ephem. Germ. Cur. Dec. II. Annus. V. & VII. in App. Fabrum Buchneri per Cellarium f. 1798. Conr. Dietericum in Analyſi Evangel. Dom. poſt Circumciſionem Domini p. m. 148. b. Sennert. de Infant. cur. p. 2. c. V. Holler. ad l. 1. de comp. med. Perioch. 1. p. m. 13. De pediculis horumque ſeminario, & quod etiam ſint in arboribus vid. Joach. Camerar. in utriusque Linguæ Comment. f. 410. Reuſner

nerObſ. XXXI. & plures Auctores in Moroni Directorio per Sebaſt. Scheffer. p. m. 355. & præcipue apud laudatum Zeiſium ſupra.

OBSERVATIO CLXXIV.
DN. D. GEORGII FRANCI DE FRANKENAU,
De Clyſtere Frigido.

DE tali clyſtere mortis cauſſa, ex incomparabili Th. Bartholin. Cent. 1. hiſt. 76. refert Vir præſignis D. D. Franc. Chriſt. Paullini, Fautor & Amicus honoratiſſimus in Append. Obſ. 83. p. m. 53. ad Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. V. Hinc Godofr. Mœbius Diſp. de natura & uſu Clyſterum Jenæ Anno 1649. §. 38. ſcribit: *Frigiditas in enemate activa nunquam docetur; frigus enim nervoſis & membranoſis partibus inimicum.* Huic concinit ingenioſiſſimus & Candidiſſ. Vir D. D. Elias Rudolph. Camerarius, Tubingenſium quondam lumen, & amor meus Diſp. de Clyſmatibus §. 12. Tubingæ Anno 1688. inquiens: *Clyſmi calentes valde ſunt infeſti. Nec minorem committunt errorem qui in febribus & aliis morbis calidis, actu frigidos adplicant clyſteres, omnia ſiquidem frigida omnibus membranis nervisque ſunt inimica, & ano, veſicæ juxta Gruling. de tripl. evac. gen. p. 2. p. 291. nocent, flatusque gignunt. Ex enemate actu frigido Sereniſſimum Infantem brevi poſt applicationem, convulſum obiiſſe, meminit Celeb. Wedelius de Comp. Med. p. 92. Ne dicam Archeum in febribus ardentibus jam tum exorbitantem ad præſentiam medicamenti cujusdam actu frigidi magis ad iram concitari, Sanguinis orgaſmum*

mum hinc augeri &c. Clysmi tamen potentia frigidi, qui ex medicamentis refrigerantibus & humectantibus ſunt compoſiti, in dictis caſibus non improbandi. Cùm hac de re Sermones miſcerem cum Viro Illuſtri & Excell. D. D. Henr. à Möinichen &c. Collega meo plurimum Venerando, ſene optimo, recordabatur rei olim factæ & paullo poſt plenius eam ad me perſcribſit ſeqq.

Vir Perilluſtris, Ampliſſime, Domine & Collega honoratiſſime.

,,Ne perhumanæ Tuæ petitioni à ſcribendo alie-,,nus, moroſius deeſſe videar, brevem frigidioris E-,,nematis obſervatiunculam offero, ſcripturientis ſe-,,culi genio vel palato forſan non arridentem, cujus ,,dum ſtudiorum cauſa Patavii commorarer, primam ,,mentionem fecit Celeberrimus Johannes Rhodius, ,,quam tandem & Romæ 1659. inter alios iſti cœlo u-,,ſitatos Clyſteris frigidi ſales corroboravere Antonius ,,Maria de Rubeis, Gabriel Fonſeca, Johannes Trullius, ,,aliique magni Romanorum Medici, addentes tam ,,præclarè de re medica promeritum Hieronymum ,,Mercurialem, inter æmulos tum degentem, tan-,,tum non de ponte dejectum fuiſſe, ob frigidioris ,,enematis in Febri ardenti uſum, inter conſultandum ,,ab ipſo propoſitum. Oblivionem loci, ubi habita ,,fuerat conſultatio, nuper emendavit fortuita lectio ,,Magni noſtri Hippocratis Lugduni in 8vo An. 1564. e-,,diti, quem ex liberalitate Perilluſtris Domini & Ve-,,teris Amici poſſideo, ſuccinctis at eruditis hinc inde ,,in margine ſcriptis notis & obſervationibus Textui ,,adaptatis à Philippo, ni fallor, Montalto, Medico ,,olim Gallorum Aulico, poſtea Profeſſore Piſano ad-

„ornatum. Hippocratici Textus verba ſunt edit. Lin-
„dani in 8. Tom. 2. libr. de affection. p. 167. n. XI. §. 9.
„*In cura cauſi ſivè febris ardentis, ſi quidem ſubeant, quæ*
„*inſunt, frigidiſſima per Clyſterem immittantur, aut quo-*
„*tidie aut alternis* & pag. 169. n. XIV. §. 5. *Curato autem*
„*frigefacientia adhibendo & ad alvum, & ad reliquum cor-*
„*pus*; addit in margine: Ex hoc loco Clyſterem actu
„frigidum, & aquæ ſolius in æſtuantibus viſceribus
„dandum conjiciebet Mercurialis, quod ſuaſit 1594.
„Aprili, Sylvio Piccolomineo febrienti acutè Piſis.
„Idem addit ad hiſtoriam Oneſidemi famulæ in Lariſ-
„ſa Lib. V. de Morb. Popul. Frigida actu dari & indi
„poſſunt in ſummo viſcerum æſtu, ut in cauſo acu-
„to licet morbo. Sic 1594. Piſis in Sylvio Piccolo-
„mineo Mercurialis conſuluit. Idem, quantum ex
„litterarum colligo ductu, in notis marginalibus ad
„Hieronymi Capivaccii Praxin lib. 6 de Febr. C. 15.
„pag 36. De Clyſtere ex melle, aqua & oleo, pau-
„lò durius, ut opinor, addit; *hoc uti poſſumus in Cauſo,*
„*loco aquæ frigidæ, ut olim Sylvio temere juſſerat Mercu-*
„*rialis*, ſi alia ejusdem commatis mihi porro inter le-
„gendum occurrerint, paucis, ſi placet, monebo, qui
Te Tuosque amo & æſtimo.

Hafn. 11. Julii 1696. TT.

Henr. à Möinichen mpp.

Quidquid demum ſit circa frigidum enema, manifeſtum tamen eſt ſæpius mortis cauſam præbuiſſe. Superioribus addo ex Celeberr. Paullino l. a. hoc unum exemplum de fœmina in ſummis doloribus Colicis conſtituta; cui nauci ſerva & penitus negligens frigidum Clyſterem injecit. Verum eapſe hora terribiles inſultus epileptici Colicæ auctæ superveniunt ac tan-

ac tandem ipſa mors. Hoc ſaltim facere videtur Clyſteri frigido, quod ejus prima inventrix & auctor Ibis, avis Ægyptiaca, aquam frigidam Nili vel Marinam frigidam roſtri ſui cornei procerique aduncitate ſibi ipſi in alvum obſtructam injecerit, atque inteſtina emolliendo eam proluerit cum emolumento. Legantur de hac ave & ejus invento Ariſtoteles IX. H. A. 27. Cic. de N.D. l. 1. c. 36. Plin. H. N. VIII. 27. Galen. l. de V. S. adv. Eraſiſtr. c. 6. & in præfatione Introd. Plutarch de Iſid. & Oſir. f. m. 381. & l. de ſolertia animal. f. m. 974. Piſides in Coſmurgia ℣. 1103. Solin. c. 41. Phile in Jambic. de Animal. c. XV. Alb. M. l. 23. de Anim. H. Bebel. de Abuſu LL. p. 30. b. Joh. Lang. in Epiſt. l. 2. Epiſt. 2. p. m. 488. & Epiſt. 60. p. m. 765. L. Mercat. & Croll. de ſignatur rer. int. Heurn. l. 1. M. M. c. 10. I. R. Camerar. Cent. I. memorab. ſyll. 7. p. m. 4. Beſold. in Theſ. Juris Pract. voc. Artzney f. m. 54. Neuhuſ. in Exam. Philol. p. m. 110. Moeb. in Fund. Phyſiol. c. 1. §. 10. p. m. 4. Alciat. Embl. 87. Chriſtian. Oſtenfeld in prodromo Exercitt. de fundamentis med. §. 17. Sed cui non dictus Hylas?

OBSERVATIO CLXXV.

DN. D. GEORGII FRANCI DE FRANKENAU.

De Struma Stomachi.

DE macula rubra, lutea & nigra in ventriculo diverſæ proſtant obſervationes apud Joh. Schenk l. 3. f. m. 336 a. de ventriculi hernia ab uſu antimonii Gvil. Fabric. in reſponſ. ad Epiſt. M. Döringii f. m. 915. a. & I. R. Camerar. memorab. Cent. X. Syll. 14. De calculis

in ventriculo genitis, quamplurima congeſſi exempla è variis auctoribus in *Lapicidina microcoſmi*, cujus curſum poſt tres publicas diſputationes intercepit funeſta & fatalis ἅλωσις Heidelbergenſis eheu nuper facta. De Ventriculi inflatione cum duritie magna Wolfg. Gabelchover Cent. 3. p.m. 80. de Ventriculi verruca legatur Zac. Luſitan. l. 2. de prax. adm. obſ. 2. & de Med. Princip. Hiſt. LXIV. f. m. 293. & Ephem. Germ. Cur. Dec. II. Ann. VI. Ex Avenzoar J. Schenk. l. 3. obſ. med. f. 380. Foreſt. l. 18. obſ. 18. & 30. Moebius in fund. Phyſiol. c. X. p. 153. De tumoribus aliis vero in ventriculo diverſiſque è Cabrolio, Zacuto, Schenkio, Benivenio, videatur Moroni Directorium per Seb. Schefferum p. m. 447. b. ſeq adde Ephem. Germ. Cur. Dec. II. Ann. VIII. Nos hac vice ſingularem dabimus hiſtoriam ramque, ſtrumæ nimirum ventriculi, ſeu tumoris glanduloſi ſatis magni. Nec enim ſtrumæ ſeu glandularum tumores ſcirrhoſi ſolum in collo, utut hoc ſæpius accidat, inveniuntur, ſed & in inguinibus, ſub alis, in coxendice, Ephem. Germ. Cur. Dec. II. Ann. VI. in dorſo, ib. in digitis, River. in obſervat. comm. in mammis, Riolan. in Enchir. Anat. & Pathol. & Joh. Schenk. l. 2. obſervat. in genu, id. l. V. Quin Celeberr. Bruno in Lex. Med. p. m. 819. a. herniam teſtium carnoſam vel ſcirrhoſam non dubitat referre ad ſtrumas. Dn. Goſchon, natione Gallus, atrabilarius mercator Celebris, è Belgio ante paucos huc veniens annos, anno ſuperiore 1697. m. Septembri, ſentiebat dolores in dorſo, maxime circa coxendicem, raro ſupra renes, cum anorexia & dyſpepſia, Alvus ſegnior ſemper enematibus provocabatur. Aliqui habebant pro calculo, pro iſchiade alii, maxime ubi ſtupor ad crus

crus dextrum dolorificus deſcendebat modo, modo ad ſiniſtrum. Urina clara, ſed plurimo ſabulo in fundo referta. *S*omnus admodum parcus, vires ſenſim deficiebant, nec quidquam niſi panem toſtum cum vino & juſcula poterat capere. Ubi ſedebat extra lectum, dolor erat obſcurior, ſeverior ubi lecto ſe dabat. Sub Decembris principium evomuit biliosa & amara. CL. V. Dn. D. Makelot, Anglus ipſum tractabat, meque in laboris partem vocabat. Invenimus ſub ſterno & coſtis ſpuriis circa ventriculi regionem intus latere magnam inſignemque duritiem quaſi lapideam, quam digitis probe explorare poteramus, d. VI. Decembr. mane excreando aliquid ſanguinis nigri ſimul excrevit; circa veſperam verò hora VII. ſubito evomuit multum ſanguinem nigrum, tenuem tamen inſtar picis liquidæ. Videbatur inde aliquod ſentire levamen. d. VII. Decembr. ajebat ſe nihil vel parum dormiviſſe; nec amplius vomuit, alvus vero leviter fuit aperta. Pulſus erat parvus & celer. Durities tumoris circa ventriculum hodie magis deprehendebatur; dolor præterea in iſchiade augebatur. d. IIX. Dec. circa veſperam per alvum ſanguinem nigrum tenuemq; dejecit, qualem antea vomuerat. d. IX. Dec. iterum ſedes cruentæ, ut & d. X. Dec. vires notobiliter minuebantur, Sentiebat ardorem ingentem in Stomacho. Halitus fœtebat; aderat Cephalalgia cum agrypnia. d. XI. Dec. ab enemate alvus quinquies ſolvebatur, feces uti hactenus ſubnigræ & cruentæ cum ſanioſis particulis, quas nudius tertius quoque obſervarant. d. XIV. Dec. videbatur habere meliuſcule; nec feces erant ſanguineæ ſed fere naturales, pulſus vero inæqualis. d. XV. Dec. clyſtere evacuabatur plurima ſaburra fœtidiſ-

 tidiſ-

tidiſſima. Ceperat à biduo iterum dormire, tumorq; ſupra dictus videbatur minui d. XVI. Dec. Clyſter iterũ profuit. Corpus erat. d. XVII. Dec. in madore blando. d. XXIV. Dec. admodũ languebat, & à continuo decubitu circa natem dextram cuticula adtrita; in dextrum enim latus neutiquam poterat recubare. Spina dorſi dolebat acriter; levamen ſemper à clyſteribus. d. XXVI, XXVII, & XXVIII. Dec. alvus citatior depoſuit excrementa ſummè fœtentia cum ſanguine. d. XXIX, XXX, XXXI. per noctem alterationem febrilem cum ſudore patiebatur; dolores quidem videbantur remittere, intendi vero debilitas virium. Tandem ad principium hujus anni omnibus ſemper in pejus ruentibus d. IV. Januar. h. X. noctu beate exſpiravit. Sequente die me præſente & D. D. Makelot, Auguſtiſſ. Reginæ Chirurgus Dn Preſcheur ſectionem inſtituit. Corpus erat penitus emaciatum, ſine omento, inteſtina livida & maxime graveolentia; hepar ſanum, ingens fellis folliculus, inſtar majoris ovi gallinacei, ſucco ſuo turgidus ſine lapillis; lien parvus & ſanus; ren ſiniſter apertus nil calculoſi monſtrabat. Verum ſtomachus alebat aliquid monſtri. Erat quidem tenuis admodum & flaccidus in fundo & lateribus, interne rubicundus & inflammatus. In dorſo ſeu ſpacio illo ſuperiore, quo cor ſpectat, inter utrumque orificium deprehendebatur Struma ſeu tumor gladuloſus, ſcirrhoſus ad duorum pugnorum magnitudinem majorum; fere inſtar ſteotomatis, niſi quod multæ eſſent glandulæ albæ diverſæ magnitudinis & figuræ irregularis, quarum quædam ad leviſſimum adtactum ſponte proſiliebant in cavum abdominis, inſtar amygdalarum, cortice ſuo ligneo adhuc tectarum; quædam

verò

vero firmiter connatæ ſibi adhærebant, ut vix novacula dividi poſſent per medium. Aliquæ erant ovales, aliquæ rotundæ, quadratæ alteriusve figuræ. Hic tumor pondere ſuo non ſolum aggravabat ventriculum, ſed & pylorum tam anguſtum reddiderat, ut penitus fere occluſiſſet. Similes glandulæ, ſed minores, deprehendebantur quoque in duodeno, itidem valde duræ. Reliqua inveſtigare conſanguineorum prohibebat religio & pietas.

(*A.1698. d.7. Martii Hafnia-Norimbergam miſſæ.*)

OBSERVATIO CLXXVI.
DN. D. GEORGII FRIDERICI FRANCI de FRANKENAU,
De Rene unico & inſigni in Homine.

DIvinam in Rebus Naturalibus ubique ludere potentiam, eamque raram & mirabilem ſatis ſe oſtendere, non unus confirmat dies vel numerus. Non inſudabo iis jam ſingulis recenſendis, aut operoſius corradendis, quorum raritas ſuos invenit olim æſtimatores, non minus quam hodie ſedulos illos fidosque Naturæ interpretes plurimos. Dicam ſolum, quod mihi nuper Regia hac in Hafnienſi ſede Medicinam facienti, videre contigit, exemplum ſine pari forte his in Ephemeridibus viſum, novitate tamen ſua & rei veritate commendatiſſimum. Curioſa inter alia Viſceris hujus prodigia, non infimum locum meretur ſibi ſequens hiſtoria, quam ſuperiori anno cum Nobiliſſimo & Clariſſimo *Dn. D. Reinholdo VVagnero,* Regiomontano Boruſſo, Fautore & Collega honoratiſſimo, ſimul & oculis & mente uſurpavi, communicavi,

&


& pro uberiori filiorum Artis indagine huic Annorum ſeriei cum aliis, ſi videbitur, inſerendum judicavi; aſt cum viderem nullibi tantam tali in viſcere ſimilitudinem, ſtructuram & conformationem nobis obvenire, præterquam illam à Clariſſ. Viris, *Caſpar. Bauhino in Theatro ſuo Anatom.* & *Thoma Bartholino, Hiſtor. Anat. Cent.2. Hiſt 77.* præclare exhibitam, *ceu in Appendice Gerardi Blaſii ad Tract. de Renibus* Doctiſſimi Viri, *Laurent. Bellini*, & alibi legere eſt. Confer. *Riolanum in Anthropogr.* Operæ pretium exiſtimavi,(non immemor ſimul *Obſerv. 50. Centur. 1.* quam *Cornel. Stalpart. van der VViel* inter rariores ſuas enumerat *Obſervationes Med. Chirurg. Anatomicas*, ſibique ejusmodi Renum combinationem olim in Theatro Anatomico Hagienſi oſtendiſſe Celeberrimum Diſſectorem *D. Anton. Nuck* in Cadavere quodam Virili asſerit) me recte facturum, ſi Renis inſigniter novi faciem & ſtructuram ſane mirabilem, ut res ſe habet, plenius edoceam; quoniam & alia adhuc ſunt, quæ ob ſingularem ſimul ſuam notitiam merentur expendi. Obierat menſe Julio præteriti 1696. Anni, apud nos miles præſidiarius, Annos natus 30. & ultra, robuſtus, toroſus, febre, ut audio continua, & mali moris, ad 3. usque ſeptimanam durante. In principio morbi eidem in brachio dextro tundebatur vena, & forte pertundebatur ab incauto Chirurgi ſervo; nam ſtatim dolore in eodem affectus multo inflicti vulnuſculi ſenſit exulcerationem ad mortis horam usque ægrum comitantem. Id quod dein anſam dedit dubiis animis poſt mortem rem diligentius perluſtrandi, cum non ſine ſuſpicione dicerent alii collectum intra vaſa ſua pus evacuari prius & ad maturitatis gradum perduci;

ci; non vero ſpirituoſis & exſiccantibus adhibitis magis retardari debuiſſe vel cohiberi; ſub primum enim quaſi cultri ductum læſi hac in brachii flexura, ubi venam ſecare communiter ſolemus, vas candicans, Cephalicæ venæ faciem dubiam fere reddens, chordæ inſtar tenſum, duriuſculum viſum eſt, & ab aliis pro tendine magis habitum, ab aliis pro arteria, ſed minus recte; tendebat enim maximus ejusdem ramus medianam verſus, & cum hac & aliis ſubinde communicabat venis. Ipſa Cephalica mero pure ſpiſſo, albo referta & candida apparebat; Hepatica ſive Baſilica contra magis turgebat cruore. Hæc brachium monſtrabat, curioſiori adhuc intra abdomen deliteſcente adſpectu, in quem forte fortuna incidimus cavum abdominis aperiendo. Heic præter morem muſculi recti cognominati carnoſiores & craſſiores ſolito exiſtebant, accedentes ad ſe invicem ſine notabili lineæ albæ diſtinctione; pyramidales planè aberant. Hepatis & Lienis ſuperficiem obſidebant maculæ lividæ multæ, ut & pulmones utrinque, febre maligna extinctis familiares admodum. Pericardium loco aquæ purulentam albam continebat materiam unciæ unius fere pondere. Arteria aſpera cum bronchiis ſuis intus nigricans conſpecta tanquam ſphacelata. Cyſtis fellea bilem produxerat fuſcam, ſpiſſam, rob ſambuci inſtar, cum multo ſabulo mixtam, ita ut facile in minores aliquot calculos concreſcere potuiſſet. Maximus Naturæ luſus in vaſis emulgentibus, miranda Renum forma, raraque omnino iſtorum omnium ſtructura conſiſtebat; etenim renes utroque latere more ſolito ſiti, in unum inferna ſua parte continuum plane concreverant corpus, ſupra vaſorum in ramos Iliacos diviſionem:

ſionem : Notandum enim eſt hunc renis noſtri poſitum in eo ſingulare quid habuiſſe præ Bartholiniano &c. adhuc, quod in medio, ſive in fundo, ubi conjungebantur, maxima fuerit vaſtitate & amplitudine, pelviſque ureterum in initio non ita trifida, ſed una lata & ampla; in interiori autem renum ſubſtantia vix conſpicua erat iſta, contra ureterum exortus eo amplior, folliculi cujusdam dilatati ad inſtar. Inſtructus erat capſulis duabus atrabilariis, & debito vaſorum neceſſariorum apparatu, quibus omnibus mole ſua incumbebat ren. Arteria magna utrinque unam ſaltim præbebat arteriam emulgentem, ſed venas plures ſcilicet ſex, ex 2. diſtinctis ramis, quæ in plures adhuc minores ante in renes ingreſſum diſpertitæ erant ramulos. Impulſus ſiphonis ope in alteram emulgentium arteriam liquor coloratus cum oppoſiti lateris arteriis non communicarat; hinc dimidiam renum ſolum colore ſuo tinxerat partem; Venæ vero exteriores renum permearant acinos & ſuperficiem, quoniam flatu in eas immiſſo facile diſtendi poterant, optimeque videri, quomodo mutua inoſculatione venæ unius lateris cum alterius venis comunicarent.

Quæ ut clarius intelligantur, figurâ appoſita ſingula ante oculos ponere conſtitui, B. L. rogans, ut hunc Renis monſtroſi ſitum ita ſibi proponat ac ſi à tergo videretur, naturalis enim ordo, ut in corpore erat, convexum primo renis exhibebat, ſub ejus poſtica facie ureteres, arterias, & venas emulgentes occultans & iisdem incumbens.

1. Fi-


D
a
b
b
b
b
B
c




Fig. LVI.

pag. 409.

Figuræ LVI. Explicatio.

AA. Renis humani corpus prægrande & unicum à poſtica parte conſpiciendum, quo vaſa clarius pateſcant. BB. Exortus ureterum utrinque amplꝰ & cavernoſus. CC. Truncus venæ cavæ. DD. Truncus Arteriæ Aortæ. *aa.* Arteriæ emulgentes. *bb.* Ramificationes venarum Emulgentium. *cc.* Ureteres. *dd* Venæ in ramos Iliacos diviſio. *e.* Arteriæ diviſio in Iliacos.

Fig. LVI.

OBSERVATIO CLXXVII.

DN. D. GEORGII FRANCI de FRANKENAU,

De inteſtini tenuis parte per anum excluſa.

NIhil tam abſurdum, quod Corpori non eveniat humano. In ſolidorum fluidorumque texturis tanta eſt varietas, ut nemo, nec aſſequi, nec recenſere omnia poſſit, ut loquitur Illuſtris, deque Re Medica optime meritus *D. Joh. Nicol. Pechlinus Obſerv. Phyſ. Med. lib. II. Obſ. 32.* mirabilem ibidem corporis tremorem in ruſtico Holſato eleganter exprimens. Et quis eſt, qui neſcit, nova quotidie enata prodigia vel editos caſus mirabiles non fuiſſe à tot ſeculorum decurſu, qui curioſo rerum Naturæ ſcrutatori non præferrent facem, ad penetrandum facilius in abſtruſos ejus receſſus, ni plurium injuria vel malitia potius illis omnibus carere jam & intercidere deberet poſteritas. Idem & ego facile de funeſto nuper non minus quam mirabili caſu ſentire potuiſſem, quando domeſticorum no-

titia vel conſcientia potius tempeſtive accitus, ubi agebatur illud novum & quaſi abſurdum, ſimul cum prælaudato D.D. Wagnero non inſoliti hujus phænomeni me conſtituiſſem & teſtem & ſpectatorem; ſingulare enim videre erat prodiiſſe prodigioſe, per conſuetam fecum alvinarum portam, modo integram tenuis inteſtini partem ſpithamæ longitudine & ultra cum annexa meſenterii adhuc portione manifeſtè ſatis conſpicua, acerbos inter infimi ventris dolores & multas ſedes cruentas, ita ut animo linqueretur atque exſolveretur æger penitus, cujus & ſupremus vitæ terminus paulo poſt ead. die 22. Auguſti noctu appropinquavit. Suſpicari autem non immerito licet ex plicarum ſeu Valvularum conniventium Anatomicis dictarum, præſentia, quas oblinebat intus materia ſubflava, tenax, quaſi reſtarent ibidem exhibiti purgantis Gummi Gotti (de quo mox acturi) ſplendentes particulæ, fuiſſe rejectam inteſtini jejuni partem illam qua terminatur in Ileum. Ordinarie inteſtinum quidem hoc ceteris paullo rubicundius, ob Vaſorum ſanguineorum copiam apparere ſolet, tale tamen nunc non extitit, forte quod æger in ſella multum ante ſanguinis perdiderit jam, vel alio modo intra corpus exhauſtus fuerit. Contra tunicæ inteſtini illius nigricantes & ſublividæ magis viſæ, non corruptæ vel eroſæ, ſed unitæ adhuc; ſolitus inteſtinorum mucus interior ſive villoſa cruſta aberat, alterum ſaltim principium, ubi abruptum vi interna cenſebamus, valde tenue, divulſum & diſcerptum videbatur. Ita vero accidiſſe triſtem hunc in viro juvene, quippe 26. tantum annorum, exitum, dum ſponſalia contrahere meditabatur, certo comperi. Laborarat is quatu-

or-

ordecim propemodum diebus febre continua, non admodum ſenſibili, contumaci alvi obſtructione & doloribus multis colicis, ſiti, &c. an vitio Diætæ, an alio modo contractum fuerit hoc malum? ignoro: Ingraveſcente morbo indies, Medicum prætereuntes, anum Medicaſtram conſulunt; quod genus hominum, uti alias nunquam otioſum eſſe ſolet, ita ſtatim operoſam ſe exhibuit, catharticum ex Officina petendo, cujus non minima baſis fuerat Gummi Gottæ, pharmacum potenter hydropicorum aquas evacuans, & colicis torminibus maxime adverſum, iſti cumprimis morbi ſyndrome, tantum ut ipſe ſibi malum cacaret æger, peſſime ſanitati ſuæ conſulens. Quemadmodum vero malum conſultori peſſimum eſſe ſolet, teſte *Heſiodo* & ex eo *Gellio*, ita & hic mentiri potuit minime regula, nam dato uno abſurdo pharmaco, abſurdi plures & periculoſiores ſubſequuti ſunt errores. Alvus bis, (ut ajunt) commota fortiter & dolenter, ſimul vomitiones continuas, bilioſas enormes accerſivit, vitam & vires in præſentiſſimum adducentes periculum.

Nunc demum Medica implorabatur manus, ubi vires omnes attritæ resque verſatur in anguſto, ut citiſſime ferret opem, motuſque illos inteſtinos & hypercatharſes cohiberet; ſed nimis ſero Medicina parabatur; ægritudo enim auctior omnem Medici eludebat ſpem & operam, cum vitam poſtero die cum morte commutaret, poſtquam paucis ante obitum horis, dolore Epigaſtrii immani, ſedibus copioſis cruentis, & cum iis abſcedente inteſtini tenuis ſimul parte, affligeretur, unde jam ſe mox liberatum iri clamaret, ſed fruſtra, nam ſuperveniens graviſſimum ani-

mi deliquium, optimi ſanguinis & nativi caloris perditio cum motibus convulſivis pauſam vitæ impoſuit.

Jam quæret fortaſſe quiſpiam nec ſine ratione, quomodo tam notabilem inteſtini tenuioris rupturam vel ſeceſſionem facere potuerit natura in corpore? quomodo, quod magis adhuc ſuſpicio & admiror, factam talem ſeceſſionem ſolidæ partis in alvum demittere, ut per alteram ſuperſtitem inteſtini in corpore oram reſorberi una cum ſanguine & dein per ordinarium locum excludi potuerit? Quod cum affirmare omnino quidem auſim quatenus in ſe verum eſt, modum tamen ejus mirabilem invenire, aut evidentiores circa hunc exponere cauſas prohibeor, donec accuratior accedat internorū perluſtratio & cadaveris apertura, quam multis etiam precibus impetrare à ſponſa & agnatis non potuimus; ad ſepulturam igitur ocyus properant, antequam ad Magiſtratum vel publicum impiæ hæ deferantur cædes, felices præ reliquis Veterinariarum fraudes exiſtimantes, quod adverſos harum caſus tellus, oblivio hominum & taciturnitas tegant.

OBSERVATIO CLXXVIII.

DN. D. GEORGII FRANCI de FRANKENAU.


De Bellide majore tergemina monſtroſa.

MOnſtrificum quid non cœlum exhibere tantum, id quod rarius, ſed & terram nova monſtrare ſæpiſſime monſtra, docent Hiſtoriæ, & quælibet hominum confirmat ætas. Etenim tam fœcundum triplex

plex illud Naturæ Regnum eſt, ut novas quotidie terræ gremium parturiat ſpecies, divinorumque Operum miratorem raritate mirabili ad contemplationem horum invitet atq; collaudationem. Tranſeamus quæſo, ut reliqua mittamus quæ ad nos non pertinent, ad Vegetabilium claſſem, & conſideremus, quot luſus modo dederint plantarum monſtra his *in Ephemerid. German. Nat. Curioſ. Volumin.* tantum expreſſa, & quoties à cõſueto ordine & figura recedere debuerint, ut ſingula enumerare temporis anguſtia excludamur, ſtatuti ratione, communique more. Tertius nunc ferè agitur annus, ex quo Venerabilis Senex, hortique cultiſſimi & Facultatis Medicæ, quæ Altorfi Noricorum floret, decus & antiſtes gravisſimus, præceptor olim laudatisſimus, Dn. D. *Mauritius Hoffmannus* Chryſanthemum arvenſe monſtroſum circa Solisbacum in ſuperiori Palatinatu, itemque plures alias in inſtructiſſimo ibidem horto, quas recenſet *Ephemer. German. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. 3.* mirifice creſcere viderit: Hanc autem ſpeciem, de qua & nos acturi ſumus in præſentia, ſolus Dn. L. *Auguſtin. Hünerwolffius prædict. Ephemerid. Dec. III. Ann. 1. Obſ. 112.* mecum à Natura digredi & aberrare animadvertit, licet breviter & ſuccincte nimis eam deſcripſerit. Opus itaque erit *Iconem Tab. V. fig. X.* intueri, antequam cum noſtra comparetur, quam rudiori ſaltim penicillo adumbravimus, quoniam aliam omnino figuram & poſitum præ memorata Hünerwolffiana indicabit Lectori, monentes ſimul eum, ne graviter ferat, quod in delineanda hac licentiam aliquam nobis tribuerimus pictoriam, cùm immobile (ut decet) viſionis punctum tres illos diſtinctos diſcos florum nun-

nunquam ita ſimul detegat aperte, ſed quo magis clarior appareat intuenti, ita exprimere neceſſitas poſtulârat.

Præterita æſtate Anni 1697. d. 14. Junii, cum cœlo favente & exiſtente liquido, exercitii partim & relaxationis cauſa, comitante me Nobiliſſ. & honoratiſſimo Viro, D. D. Wagnero, atque multorum Botanophilorum ſtudioſa caterva, vicinos luſtraremus agros & ſilvas, factum eſt, ut media inter Jägersburgum, quo excurrebamus, & Hafniam via, nondum uno ab urbe lapide forte fortuna in ſterilem, incultum, minusque herbidum incideremus cæſpitem, qui præſentem tergeminam monſtroſam nobis inter alias hujusmodi herbulas humi naſcentem offerebat bellidem, ad quam omnes quotquot aderant, cupiditatis oculos adjecerant. Caulem emittecat hæc, ſingularis planta unicum, non tam altum dodrantalem, ut communiter eſſe ſolet, (ratio forte quia cæſpes minus viridis & fœcundus) ſed reptantem quaſi trium pollicum altum, ut figura oſtendet, contortum, trigonum triplicatumve, non foliis multis, ſed circa medium uno tantum alterove veſtitum anguſtiori oblongo, utrinque laciniato raris laciniis ſeu denticulis extantibus utrinque; prout talia quoque in bellide montana minori *Ioh. Bauhin.* ſub titulo Chryſanthemi folio D. *Hanſ. Sloane* notavit olim eximius & vere induſtrius Botanicus, Dn. *Ioh. Rajus* Hiſtoria Plant. Tom. I. Lib. VIII. cap. 2 f. m. 351. Vel ut magis graphice adhuc deſcribam, erant bellidis noſtræ folia non ſerrata, oblonga, mucronibus obtuſis, more ordinario, ſed potius Chamæmeli vulg. Leucanthemi, quæ exacte referebant folia; adeo ut dubium


Fig. LVII.
pag. 415.
b
b
b
c
c
d
e
Fig LXVIII.
pag. 417.
a
b
c
d
e
f
g
g
g
g
Fig. LIX.
pag. 495.

um ab initio fere redderent me, an Chamæmelum vulg. Leucanthemum, vel fœtidam Cotulam, an bellidem majorem inſignirem: placuit autem bellidis nomen retinere, licet utraque planta Corymbiferarum claſſi cum barbulis diverſi à medio diſco coloris inferatur, eo quod Chamæmeli vel Cotulæ fœtidæ odorem minime ſpiraret; medium etiam triplicem diſcum luteum ampliorem haberet, ex plurimis floſculis luteis in V. ſegmenta diviſis compoſitum, quam chamomilla, atque petala marginalia alba diſcum cingentes, triplici ſerie flavum longiora paullo eſſent & minus acuta, tum quod ſummus Botanicorum Doctor *Caſp. Bauhinus in pinace theatri Botan.* eruditiſſimo Lib. VII. ſect. 2. p. m. 261. bellidem ſilveſtrem caule folioſo majorem folio acutiore, flore nonnunquam gemino, (nos tergemino) etiam pleno, ſed rariſſime reperiri ſcriberet. Maxima apud me eſt conjectura, plantam hanc tergeminam ex tribus diſtinctis in unam talem mira conformatione coaluiſſe. In ſummis caulibus & ramulis è ſerie ſive circulo foliorum alborum diſcum luteum ambientium folia itidem anguſtiora, oblonga utrinque laciniata, ut de aliis modo diximus, prodierant. Appoſitum ſchema ſermonem noſtrum magis dilucidabit, in quo nota:

Fig. LVII.

aaa. Duplicem ſemper ſe mutuo tangentem petalorum ſeriem.

bbb. Triplex diſcus luteus.

cc. Folia anguſta, laciniata in ſummo caule.

d. Caulis Trigonus & triplicatus.

e. Folium hujus bellidis anguſtum & laciniatum.

(*Hafnia Norimbergam d. 7. Mart. An. 1698. miſſæ.*)

OBSERVATIO CLXXIX.

Dn. D. REINHOLDI WAGNERI
De Aneuriſmate Arteriæ Magnæ.

ANte tres, & quod excurrit, annos, Piſtor quidam Aulicus 36. annorum, ob graviorem de curru lapſum, rotamque ſupra pectus actam, coſtarum fracturam paſſus, curvus ſemper pronô in terram corpore incedere cogebatur. Ante annum demum, ſuaſu aliorum ſudatorium ingreſſus, tumorem cum evidenti pulſatione in dextrâ pectoris regione ſupra papillam animadvertit, qui primò nucis avellanæ magnitudine, tandem in mammam quaſi fœmineam magnitudine abiit. Pulſatio quandoque aderat ſolitò fortior, quandoque verò vix perceptibilis, adeò ut quidam Empyema ſubeſſe dixerint. Tandem ante obitum octo diebus, cum ex farinâ & melle Cataplaſma ipſe ſibi parâſſet æger, tumor hic in mediô ſublividus, duplicem ſibi parabat exitum, alterô thaleri, ſolidi altero exiſtente magnitudine; circa utrumque tamen foramen, ſanguis aterrimus tenaciſſimæque conſiſtentiæ adhuc per unum & alterum diem ſtagnabat, donec ex impetuoſiſſimo hujus cruoris & innumerarum lamellarum excretione, ipſo die mortis cum ſanguine animam redderet. Cadavere anno 1696. d. 12. Junii cultro anatomico ſubjecto, ſub cute loco Muſculi pectoralis dextri, (quippe qui conſumptus cum ſanguine prodierat) ſimiles prioribus lamellas inveni quamplurimas, inter quas ſanguis copioſus & coagulatus deliteſcebat, quales ſimili in caſu annotavit quoque Celeb. D. Gvil. Riva in Eph. Dec.

I.

l. Ann, I. Obſ. 18. Et Celeb. D. Fried. Ruyſchius in Obſ. Chirurg Anat. Centuriâ Obſ. 38. Sterni dextra & media pars carie erat conſumta, coſtæque adjacentes carioſa & exeſa dabant fragmenta: Summa verò ſterni pars ſub claviculis, calloſa eòque ipſo ſolitò erat craſſior, adeò ut partes ſubjacentes colli, hydatidum congerie refertas, non leviter opprimeret. Sterno ſeparato, in conſpectum venit truncus communis arteriæ aortæ, qui trium digitorum transverſorum à Corde diſtantia, in confinio aſcendentis & deſcendentis aortæ, tantæ erat amplitudinis, ut manum in pugnum complicatam caperet; eodemque in loco hic truncus foramen rotundum circumcirca cartilagineum, taleri magnitudine commonſtrabat. Sed memorabile maximè, quod oræ foraminis cartilagineæ inſtar operculi impoſitæ eſſent tres diſtinctæ membranaceæ tunicæ ſibi invicem incumbentes, diverſisque fibris contextæ; prima, ſcilicet externa, rectis, ſecunda tunica vero transverſis, tertia punctulis glanduloſis, & præter tres illas alia fibris reticularibus erat conſpicua; omnes autem hæ tunicæ inſtar eſcharæ ab arteriâ ejusque foramine rotundo receſſerant. Remotis & his membranaceis involucris, interior reliqua, hujus trunci communis Arteriæ aortæ, tunica, tota rugoſa & cartilaginea reperiebatur.

Fig. LVIII.

Figuræ Explicatio.

a. Cordis ſubſtantia.
b. Cordis auricula dextra.
c. Cordis auricula ſiniſtra.
d. Aneuriſma in trunco comuni arteriæ aortæ taleri magnitudine perforatum.

e. Interior Arteriæ tunica rugoſa & cartilaginea.
f. Truncus deſcendens arteriæ aortæ.
gggg. Arteriæ aſcendentes, quarum
1. Arteria axillaris dextra.
2. Arteria carotis dextra
3. Arteria carotis ſiniſtra.
4. Arteria axillaris ſiniſtra.

OBSERVATIO CLXXX.

DN. D. REINHOLDI WAGNERI

De Inteſtino Ileo innoxiè ulceribus perforato.

INteſtinorum tenuium vulnera eſſe lethalia : non tantùm *Hippocratis* Sect. 6. Aph. 18. & 24. ſed & *C. Celſi* Lib. 5. cap. 26. & Lib. 17. cap. 16. *Galen.* lib. 6. de Meth. Med. 4. aliorumque Veterum eſt ſententia. Atque cum hæ humani corporis partes ſint tenuiſſimæ, minùsq; carneæ; præterea, cum motu periſtaltico perpetuò exerceantur, vulneratæque chylum neceſſariò effundant, facillimè inflammentur, vixq; remediorum topicorum admittant applicationem, mirum non eſt, cur hujusmodi læſiones communiter ſint incurabiles atque lethales. Nihiloſeciùs tamen, non tantùm vulnera, ſed & ulcera ejusmodi nonnunquam eſſe ſanabilia, exempla ſubinde teſtantur. Sic inteſtinum Ileum cultri ſtricturâ læſum per artificioſam ſuturam reſtitutum, commemorant Ephem. Germ. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. 3. Obſ. 176. item *Glandorpius* Obſ. 32. Ileum quoque, ictu tranſverſim diſſectum, & extra vulnus prolapſum, intercedente tandem ſuturâ cum vulnere conglutinatum refert *Blegny* Zodica.

Med.

Med. Gall. Ann. 2. Obſ. 4. M. Junii. Ita & de inteſtinorum tenuium à lumbricis perforatorum curatione conferantur Ephem. Germ. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. I. Obſ. 145. p. 321. & Dec. II. An. V. Obſ. 45. p. 87. &c. Item Blegnyus Ann. I. l. c. Nec hæc, nec alia inteſtinorum gracilium ulcera abſolutè lethalia & incurabilia pronuncianda eſſe, niſi vel majora fuerint, vel cum vaſorum inſignium læſione conjuncta, unâ atque alterâ Hiſtoriâ nuper edoctus, calculum adjicio. Nimirum, mulier quædam quinquagenaria, in oppido Köge in Seelandiâ, quatuor lapidibus à Metropoli Regiâ Hafniâ: doloribus in ſiniſtrâ pubis regione, eodemque in loco abſceſſu inguinali corripiebatur, ex quo decimo die ſuâ ſponte ruptò, cum Chirurgus ejusdem loci Dn. Fiſcher lumbricum unum atque alterum prodiiſſe audiret, ipſeque unà cum ingenti quantitate materiæ purulentæ & fœtidiſſimæ, ipſiſſima alimenta paulò ante aſſumpta, cruda partim & ſemicocta, imprimis aniſi ſemina integra prodire animadverteret, conſilium meum petiit. Ego verò animum haud abjiciendum, quin potiùs remedia balſamica & aloëtica adhibenda ſuaſi; atque factum, ut ſolius eſſentiæ Myrrhæ, & alterno quandoque Elixirii P.P. dulcis externo & interno uſu, cibi magis digeſti prodirent, ſicque ulcere debito modo mundificato ægra priſtinæ ſanitati, auxiliante Deo, fuerit reſtituta. Simili abſceſſu in Regiâ hàc Hafnienſi, Lanionis uxor ſexagenaria, quæ ultra octennium Omphalocelen, tandemque diuturnam & pertinacem alvi ſuſtinuerat obſtructionem, laborabat. Hic abſceſſus circa regionem umbilicalem ſiniſtram ſphacelatus, foramine taleri magnitudine abdomen perfo-

rabat, ubi non tantum copioſum & fœtidiſſimum pus, ſed & varia alimenta variaque ſemina effluxêre; imprimis autem memorabile, quod e. g. carvi ſemina raro integra, dimidiatim verò conciſa multâ in copiâ è vulnere egrederentur, ægra intra duorum Menſium ſpatium, per ſolius DEI gratiam ſimiliter reſtitutâ. Hæc igitur cum dubitare non permittant de eroſione & ulceratione inteſtini cujusdam, quod utut viſu deprehendi haud potuit, Ileon tamen affectum fuiſſe vero videtur ſimillimum. In priori enim Hiſtoriâ Ileum, lumbricorum illud domicilium, perforatum occaſionem dediſſe Apoſtemati inguinali, patet ex variis *Naturæ Curioſorum* obſervationibus. In poſteriori verô Hiſtoriâ, idem Ileon ulcere læſum confirmant partim eſculenta brevi è vulnere rejecta, partim ſitus, partim quoque Anatomica ſectio, quam Regiomonti Boruſſorum Parens Chirurgus anno 1693. mecum inſtituit: In Uxore enim Pellionis cujusdam Dominâ Nâherin/ ſimili omphalocele ſphacelatâ defunctâ, inteſtinum Ileon in ipſo hoc loco herniâ affecto ſacculum oſtendebat, in cujus cavitate pugni magnitudine tria vel quatuor prunorum Damaſcenorum reperiebantur putamina integra, quibus diffractis nuclei erant omninò carioſi atque fœtidi. Atque adſtantes bonâ fide affirmabant, defunctam jam ultra trium Menſium ſpatium pruna deglutiiſſe integra. Quod verò talis præternaturalis quandoque in Ileo ſtatus contingat, nuperrimum quoque monſtrum biceps in agro Hafnienſi editum, confirmavit, quod prioris Anni Menſe Aug. à Conſiliario & Archiatro Regio, Illuſtri Domino D. *Georgio Franko de Frankenau*, cultro anatomico ſubjectum, conſpicuum ſatis utricu-

larem

larem inteſtini Ilei, exhibuit ſacculum; hujus verò Anatomen prolixiori & eruditiori ſermone Eruditus Orbis propediem exſpectabit.

(*Hafniâ 1698. d. 7. Martii Norimbergam miſſa.*)

OBSERVATIO CLXXXI.
DN. D. SAMUELIS GRASSII
De Pathologia inverſa.

IN curatione morborum oppidò neceſſariam eſſe eorundem cognitionem, ſubjecti inveſtigationem, cauſæque explanationem, nemo in praxi medicâ verſatus, inficias ibit; rem verò difficillimam eſſe, ipſum Oraculum confirmat Medicum, dum Sect. 1. §. 1. judicium difficile eſſe fatetur. Ut plurimum mortui explicant, quod vivi hariolari non potuerunt. Mearum jam non eſt, colligere aliorum exempla, pathologiam planè aliam, poſt mortem, oſtendentia, ac in vivis ſuſpicatus quis fuiſſet; v. g. calculo veſicæ laborantium, nec de ullo, per totam vitam, dolore, vel difficultate urinæ conquerentiũ, item calculorum in pulmonibus repertorum, nec tamen unquam difficultatem reſpirandi vel dolorem cauſantium, quale exemplum vide ſis Dec. I. Ann. II. Obſ. 181. p. m. 278. Sufficiat unum adduxiſſe exemplum inverſæ pathologiæ, raritate ſuâ ſatis ſe commendans. Scilicet Muſici noſtri ordinarii filius 13. annorum & quod excurrit, temperamenti ſanguineo-Phlegmatici, hic, cùm in tenerâ ætate ex hypocauſto delapſus, tumorem in inquine dextro perpeſſus eſſet, experitur incontinentiam urinæ, nocturno præſertim tempore. Multa hinc pro iſto malo uſurpata ſunt, fruſtrà quanquam,

re-

recurrente ſubinde malo, præſertim cum paulô largiore potu ingeſto, profundiore premeretur ſomno. Per aliquod tamen annos benè ſe habuit, nec de aliquo morbo conqueſtus eſt, ſomnolentus tamen fuit, adque munia exigenda minus alacer. Facies quin imò ſubtumida, pallida, ſtaturæque exurgentis languor integrâ illum haut frui ſanitate teſtatum ibant. Anni 1686. menſe Junio ſubinde conquerebatur de dolore occipitis & ſincipitis ſubitaneo, eoque tàm atroce & diuturno, ut integras ſæpè noctes inter ejulatus conſumeret, ſequebatur vomitus ingeſtorum, hinc iterùm bellè & vivens & comedens, nec de ullo, in quâcunque corporis parte, dolore, vel nauſeâ ventriculi conquerens. Urina erat ſemiturbida, farinaceam in matulâ materiam deponens. Redit malum menſe Decembris, dat tamen inducias ad 4. ſeptimanas, mox novo furore inſurrecturum. Anni nempe 1687. d. 5. Jan. ſubitò corripitur epilepſiâ, hâcque decentibus remediis pulſâ, caput immani dolore excruciari ingemiſcit, ſubindè ingeſta revomens. Feci ego quæ debui, & prognoſtico (ob vires labentes) me muniens, ægrum brevi moriturum, prædixi, & ſi concederetur apertio cadaveris, vel ulcus, ſeu ſaltim aquam in cerebro me eſſe reperturum, juxta cum aliis notatu dignis, curatuque impoſſibilibus palàm edixi. Mortuo puero, datur licentia, ubi aperto cranio, ingentem copiam cerebri boni & ſalvi, tam quoad ſubſtantiam, quàm membranas inveni, in tertio tamen ventriculo deprehendi 4tam menſuræ partem ſeri flaveſcentis. Cùmque per vices ſaltim de doloribus excruciantibus conqueſtus fuerit æger, ſerum verò ſemper in ventriculo cerebri, ultimis præſertim

tempo-

temporibus, ſtagnaverit, ſubit dubitatio, an hoc ſolum tàm atrocium ſyncipitis & occipitis dolorum fuerit cauſa? Statuo inducias conceſſas fuiſſe ægro, cum cerebrum ſubſederit, ac primùm verò copioſius jam tùm cerebrum, poris elatis, tumere cœperit (quod miſſis aliis cauſis etiam Lunæ præſtat dominium) ob defectum majoris ſpatii meninges ante & retro compreſſit, doloresque tàm feroces effecit, evaneſcentibus iisdem, cùm orgaſmus cerebri remiſerit. Sed ad Sectionem. Aperto thorace, pulmones integri erant & boni, adeò firmiter tamen pleuræ & ſterno annexi, ut ſummoperè mirer, defunctum de nullô reſpirationis difficultate conqueſtum fuiſſe. Dexter cordis (pro ætate ſat magni) ventriculus flaccidus erat, & portiunculam carnis liberæ, minimi digiti longitudinem & latitudinem æquantis, fovebat, ſiniſtro ventriculo ſalvo & robuſto. Per omnem tamen ætatẽ nulla eum moleſtavit palpitatio cordis vel lipothymia. Diaphragma parum circuli nervei habebat. Hepar vero prægrande, attamen bonæ notæ, ventriculum flaccidum, in ſiniſtrum latus, verſus diaphragma coactum, inverterat, fundo ejus diaphragma ſpectante. Nihilominus rariores ægro contigerunt vomitus, ſingultus nullus.

Pancreatis loco (nullum enim aderat) pinguedo ſaltim conſpiciebatur. Ipſum hepar cum liene bono, firmiter hypochondriis annexum erat, nec æger de dolore hypochondriaco, etiam poſt motum, unquam conqueſtus eſt. Meſenterium, ſcirrhoſarum glandularum expers, multâ pinguedine obrutum erat. Renes ex conglomeratis glandulis conſtantes, flaccidi erant, & in ſubſtantia purulenti, atque per

transverſum poſitam pelvim monſtrabant, materia, qualis per urinam egerebatur, infarcti, ambo vero ureteres cordiformi lapide plenariè obſtructi erant, ut mirandum eſſet, defunctum urinam excernere potuiſſe, nec doloribus nephriticis exagitatum fuiſſe, imò incontinentia urinæ laboraſſe. Cæterum veſica benè erat conſtituta, nec calculis referta. Ultimò notatu dignum erat, viſcera abdominis peculiari membrana, quaſi duplici peritonæo, involuta fuiſſe.

OBSERVATIO CLXXXII.

DN. D. SAMUELIS GRASSII
De abſceſſu plumoſo.

SI quis, certè Aurelius Severinus, in aureo ſuo, de abſceſſuum recondità naturâ, tractatu, horundem naturam & modos evoluit, ut meritò quis dubitet, an conſummato huic operi aliquid addi poſſit. Nihilominus polydædala & nunquam otioſa natura, ſi ſpiritus ideiferi à recto devient tramite, nonnunquam talia efformat, quæ ſpectatorem in admirationem rapiunt. Ex multis, quæ heic adduci poſſent, exemplum unicum, non planè obvium, adduxiſſe ſufficiat. Ancilla mea, dum circa feſtum S. Martini anſerem mactatum præpinguem exenteraret, circa inteſtina, carneum abſceſſum pugni mediocris magnitudine invenit. Dubia hæc, an anſer veru adjudicandus ſit, abſceſſum ad me defert. Hoc aperto, glutinoſa quædam materia, vitello ovorum non abſimilis effluit, ac ſecundùm ſeriem 80. plumæ ex pinguedine firmiter, ut vi evelli debuerint, enatæ, glutineque dicto compactæ ſeſe offerunt, quæ arefactæ,

gluti-

glutineque ſuo liberatæ, in delicatiſſimas ſeſe expanſerant plumas, quarum partem curioſitatis gratia ſimul transmitto.

SCHOLION.

INter anſeres frequentius generari monſtra ex Schwenckfeldio D.D Lachmund annotat, monſtroſoque cranio teſtatur Ephemer. Dec. I. an. 4. Obſ. CLXXXI. p. 226. Sic criſtatum anſerem, communicavit idem Dec. I. ann. VI. & VII. Obſ. 182. p. 238. Sic tria corda in uno anſere obſervavit D. D. Menzelius Dec. I. ann. IX. & X. Obſ. CVIII. p. 267. Anſerculum quadrupedem vid. Dec. II. ann. 4. Obſ. LXXXI. Abſceſſum verò plumis refertum hactenus, quod ego quidem ſcio, nullus obſervavit.

(An. 1698. d. 6. April. Vratislavia per Excell. Dn. Dr. Schulzium miſſæ Norimbergam.)

OBSERVATIO CLXXXIII.
DN. D. CASPARIS PEZOLDI,
De Sternutationis idea fœtui à matre per totam graviditatem ſternutante impreſſa.

UTi fauſtè fœtum tardantem, ſecundinasque remorantes ſternutatio arte procurata ob validam inde abdominis & uteri fientem concuſſionem, ad exitum ſollicitat, unde inter alios Exc. Paullin. in manipulo obſervat. ſuarum D. II. A. V. ſubjunctarum, Obſ. LXXV. ſternutationem in δυστοκίᾳ ſaluberrimam de-

 prædi-

prædicat, ita eadem præter votum crebrò contingens fœtum non rarò ante juſtum tempus tum ex eadem cauſa utero excutit, tùm quod fluxum menſtruum proitare potens eſt, hinc id. Paullin. D. II. A. V. obſ. LXIX. menſium ſuppreſſionem à ſternutatione reſeratam, & Hildan. Cent. 3. Obſ. LVIII. ex immodica & violenta ſternutatione menſes copioſiſſimas notavit; ut proin malo ſæpius in prægnantibus omine naſus exploſivo ejusmodi ſonitu perſtrepat, nec immeritò in raris habeatur, ſi gravida periculoſum hocce ſymptoma ſæpius & fortius recurrens, ſine fœtus labe vel exitio experiatur. Quod nihilominus fœminæ de qua nunc ſermo habendus, non ſolum prorſus innoxium evenit, ſed ita quoque familiare fuit, ut reliquis graviditatis ſymptomatibus ex ordine jam ſuccedentibus, jam recedentibus, id unicum per totam graviditatem ab initio ad finem usque ſtabile & conſtans permanſerit. Nimirum ſutoris hic loci uxor primipara, quæ dum virago eſſet, præviis per unum vel alterum diem ſternutationibus inſtantis tributi lunaris admonebatur, ab ipſo fœcundati uteri momento, ad tempus usq; puerperii, nullum diem intermiſit, quo non crebrò, aliquando ultra quinquageſimam vicem, (potiſſimum à coepta ad mediam usque geſtationem) ſternutaret, affectu iſto eatenus fœtui indemni, quod ipſum non præmaturius utero ejecerit, hac tamen ratione nocivo, quod in eodem ſigillatus ab hora partus ad præſens usque tempus (quo vitæ ejus primus annus ad finem tendit) illum exploſione narium ſonora quotidie crebrius turbare non deſinat, matre interim à puerperio moleſta iſta ſternutatione plenè defuncta. Ut cauſa ſternutatio-

nis

nis in gravida matre melius reddi poſſit, noſſe expedit, ſolemnem quaſi huic fæminæ quotannis eſſe oris, atque vicinarum ori partium tumorem & exulcerationem, inſuper quod decima à puerperio hebdomade eidem pedes & crura denſis rubris pruriginoſis puſtulis intumuerint. Lucem quoque huic caſui affundet Obſ. 152. D II. A. IX. ubi ancilla à menſium ſuppreſſione triduanam ſternutationem incurriſſe legitur, ſemper redeuntem quoties menſes inſtabant, quibus reſeratis ſternutatio deſiit.

OBSERVATIO CLXXXIV.

Dn. D. CASPARIS PEZOLDI

De Contuſione gravi aliquot corporis partium univerſali ſcabie ſoluta.

QUâm verum ſit illud Hippocraticum lib. de alim. c. 4. ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα, miræ morborum ſolutiones per vias oculo anatomici imperveſtigabiles, nec ratione Philoſophantium apertas inſtitutæ paſſim loquuntur. Equidem ut præſens obſervatio viam haud adeò cœcam quam pro exterminando è corporis pomœriis peregrino hoſpite medicatrix natura tenuit, oſtendit, ita modus quo per morbum alium inductum ſanitatem reſtituit, ſi non inter rariſſimos, certè inter rariores erit habendus. Scilicet quidam è præſidiariis hic loci gliſcente per incuriam pede de ponte decidens, graviter ſaxo quadrato collum, hypochondrium dextrum, cùm ejus lateris natibus alliſit; curæ ejus adhibitis reſolventibus, travmaticis & diaphoreticis intus & extus

tamdiu ægro proſpexi, donec ſexto à lapſu die poſt non leviculam maſſæ ſanguineæ commotionem, quam reciprocans horror & calor, ſpiritusque cum tuſſi ægerimus indicabant, ſudor copioſiſſimus erumperet, à quo ἅμ' ἔπος ἅμ' ἔργον prædicta quidem ſymptomata quievere, ita tamen ut puſtulæ ſcabioſæ prurientes primum aliquas, mox omnes totius corporis partes occupantes ſuccederent, per unum dein vel alterum diem congruis adhibitis remediis unà cum contuſione evaneſcentes. Cæterum quod in noſtro caſu cum cruore, id alibi cum pure intra cavum pectoris fluctuante contigit, unde Dec. I. A. II. Obſ. CXLVI. empyema ſcabie, & Dec. II. A. III. Obſ. CXLVI. in Schol. idem cruſtis per totum pectus erumpentibus ſolutum legitur.

OBSERVATIO CLXXXV.

DN. D. CASPARIS PEZOLDI,

De Tumore pedum & crurum ab Urinæ retentione facto, ejusdemque copioſa emiſſione ſoluto.

UXor pannitonſoris 45. annorum, habitus corporis obeſo-carnoſi, cùm ante 4. ſeptimanas, Auguſto menſe febri tertiana ſub alius medici cura laboraſſet, ea ſublata, adhuc dubiè valens, quod ex appetitu proſtrato, facie pallida & ſubtumida, tumore pedum, torpore ad motum & urina rubicundiore apparebat, me d 13. Sept. conſuluit, qui aptâ medicatione effeci ut d 13. Octob. Lignizium peregrè abire potuerit, quò cùm perveniſſet, ſapore cereviſiæ

ejus

ejus loci inſtincta, copioſius quidem bibit; aſt tali cum eventu, qui ipſi non poterat non eſſe ſtupendus: nimirum feriantem ob actionem renum, urinam animadvertit ferè penitus ſupprimi, ſuppreſſioni huic nullo nec dolore nec alio calculi præſentis indicio comite, (uti aliàs toto vitæ ſuæ tempore ejusmodi hoſpitis fuit ignara) exinde verò pedes & crura tumore ſubito d. 14. inflari deprehendit, qui ſenſim increſcens à conſtanti urinæ ſuppreſſione fotus tamdiu perſtitit, donec d. 19. Vratislaviam redeunte & domi ferè nihil potus hauriente ægrâ, poſt copioſum per duos dies urinæ profluvium tumor prædictus penitus evaneſceret. Num calculus vel quæ alia remora ſubfuerit, aliis divinandum relinquo. Calculi enim in renibus eximiæ magnitudinis latere poſſunt, quos nullum ſymptoma dolorve, niſi culter poſt mortem anatomici detexit; quorum exempla qui deſiderat conferre poterit Dec. I. A. IV. & V. obſ. XXIX. & XXXII. Dec. II. A. III. Obſ. XIIX. Dec. II. A. IIX. Obſ. 185. p. 478. & Obſ. 199. Dec. III. A. II. Obſ. LIIX. Heer Obſ. 26.

(*d. 6. April. A. 1698. Vratiſlavia per Excell. Dn. D. Schulzium miſſæ Norimbergam.*)

OBSERVATIO CLXXXVI.
DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.
De palpitatione ac Syncope poſt Catharſin immoderatam & Venæſectionem curata.

VIr quinquagenarius, in officio ſacro conſtitutus, verno proximi elapſi anni tempore, ut paſſim

moris

moris eſt, citra ordinarii Medici præſcitum, pillulas ex neſcio quibus draſticis conſtantes, ſub ſpecioſo arcani nomine, ab alio idem vitæ gen9 profeſſo, ſibi venditas accepit. Hæ ab ipſo deglutitæ alvum per tres propemodùm dies quadragies & ultra moverunt; ita probè, ut ipſe arbitrabatur, ſuo fuerant munere functę. Non contentus ſemel peccaſſe, quarto, à ſumpto pharmaco die, peſſimo conſilio Venæſectionem largam celebrat, ac ſatis ante evacuanti medicamento debilitatas vires etiam temeraria ſanguinis profuſione labefactare aggreditur, ita majorem, ut vocant, abſoluturus curam enixè à Chirurgo ſibi commendatam dictanti, imperfectam eam eſſe, niſi vena, poſt purgans aperiatur. *I*d factum manè. Quod reliquum diei fuit, cùm amicis lætè transegit, avidè edens ac bibens. Poſt ſolis occaſum palpitatione cordis corripitur tali, quæ à circumſtantibus exaudiri poſſet. Ad ipſum in vicinia habitans horâ XI. veſpertinâ vocor. Invenio eum continuo ſed vix perceptibili voce iterum iterumque clamantem *liberate mihi cor*, peto mihi breviter referri, quid contigerit, quod dum alii faciunt & ordine raptim recenſent, quæ modò retulimus, obiter etiam injiciunt mentionem gravioris lapſus, qui coſtas ſpurias ſiniſtri lateris graviter afflixerat. Verùm abrupit hoc colloquium præceps virium lapſus ac Syncope. Pulſus ſummè rarus ac obſcurus erat, pectus gelido ſudore madebat. Ego ita ſtatim apud me: aut Chylus minùs dilutus ſanguini mixtus, aut maſſæ ſanguineæ concretio & grumeſcentia, dùm viam ſibi in corde obſtruit, ejus motum ſupprimit & præſentia mala excitat. Quid enim? Annon Chylus minùs præparatus in vaſa lactea ductum-

ctumque thoracicum lapſus ac cruori in ſubclaviâ multum depleta, mixtus in corpore inanito tragœdiam hanc excitare potuit cibô ante avidè ingeſtô potuque ingurgitato? Imo ſolidiores ciborum partes poſſe in humores corporis advehi inducor ut credam, relatione optimi Hippocraticorum ſcriptorum Interpretis Proſperi Martiani, quâ conſtat Cichorei ſurculum pridie comeſtum, Chirurgi manibus papillâ fuiſſe prolectum, quò referri poſſunt, quæ habet Ariſtot. lib. 7. Hiſtor. animal. c. 1. Ne addam hiſtoriam de acu comatoriâ, quatuor digitos longa à Virgine Venetiis deglutitâ, quam Schenkius aliique recitant. Fortaſſis etiàm congrumatus ex lapſu ſanguis alicubi reſtans in venas reſorbtus eſt, ac viam venienti interclusit. Quoniam verò longis deliberationibus locus non erat, porrigo ſperma ceti in aqua Hyſſopi. Intra dimidiam quadrantis horæ partem ab hujus uſu ſibi reddebatur. Non prætereundum, quod, dum diceret, cor ſibi eſſe liberum, ſimul quereretur, caput oppleri; juſſus verò eſt bono eſſe animò, id enim inde fieri, quòd ſanguis in motu ſuo impeditus, in corde impetuoſius ad caput feratur.

OBSERVATIO CLXXXVII.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De ſomnô poſt febrim diuturniori.

VOcabor autumno jam adulto, ad Virginem Chriſto devotam, genere virtutibus ac pietate nobilem, in flore ætatis conſtitutam, quam alius Medicus febri bilioſâ laborare dixerat, ac medicamentis, quæ veteres Galenicorum Arabumque Scholæ ita

dictæ febri opponenda eſſe docent, ægrum tractarat, ego eam tertianâ intermittenti correptam eſſe affirmabam, ac, ſicut & eventus probavit, hanc in quartanam mutatum iri prædicebam, id quod ex iis colligebam, quæ adducit Johann Jones in tract. de febribus intermittentibus part. 2. cap. 2. p. 113. Initio pulvere Wedeliano antifebrili, qui ex oc. cancr. Corall. præpar. arcano duplicato, ♁ diaphoret. & ⊖ abſynth. conſtat, expugnare aggreſſi, ſumus irrito conatu, mutata eſt in quartanam, quam tamen mox jugulavimus medicamento illo Herculeo, more Mortoniano in pyretolog. Exercit. 1. cap. 8. exhibito. Quoniam verò vigiliæ perquam erant moleſtæ Epithema Sylviani, quod traditur lib. 1. Prax. Med. c. 28 num. 39. æmulum, quod opii gr. V. ingrediuntur, fronti & temporibus fuit circumjectum, & ſtatim eſt remotum, ubi placidus licet ad paucas ſolùm horas, ſomnus conſequebatur. Omnia fracto febris impetu videbantur eſſe ſalva, die quoque illo recurrenti, quo Paroxyſmo ex genio febris fatigari debebat, cibo liberaliter ſeſe refecerat, quaſi de morbo triumphatura ac læto animo ſe ad quietem horâ octavâ veſpertina compoſuerat, jam ſine Epithemate ad ſomnum proclivis, qui eam ſtatim oppreſſit usque ad horam tertiam promeridianam ſequentis diei, qua eam viſitabam. Inveniebam illam tum ſtertentem vel ronchos ducentem. Oculi benè erant clauſi, nec eorum album apparebat. Vi extorqueo vigilias manuum miniſterio, adhibito & ſpiritu Salis ℞ci urinoſo ac Salis CC. volatili lavendulato &c. expergiſcitur, ad omnia diſtinctè reſpondet ac iterum protinùs in ſomnum relabitur. Omnia ea mihi fidem faciebant ad

ad nullum ſoporis, de quo breviter quidem ſed nervoſe mens Hippocratis, Lindanus inquam lib. 3. Meletemat. Num. centeſimo undecimo agit; ſomnum iſtum referri poſſe: ac mihi ſimul in memoriam revocabam exemplo eorum, quos per duos treſve dies dormiiſſe legeram, in Philippi Salmuthi decuria 3. Obſervat. Medicar. â Cl. Conringio editarum p. 143. Platero lib. 1. Obſerv. ac aliqua ex obſerv. D. Ludovici optimè de re Medicâ meriti in Ephemerid. noſtris Decur. I. Anno 8. p. 113. in meos uſus vertebam, ac benè ſperàns informatis circumſtantibus diſceſſi, quia ſomnum ita excutere non licebat, ut ad conſueta rediret munera. Revertebar manè feriâ ſeptimâ ſeptimam ante horam, ac iterum ſomno à tempore eo, quo præterita die abieram ſine interruptione fuiſſe ſepultam edoceor: Obſtupui, fateor, & cum multò difficilius, quam præcedenti die factum, excitari poſſet, mentionem veſicatorii faciebam, ad cujus nudum nomen Reverendiſſima Abbatiſſa contremiſcebat, opinata ægram, quæ Neptis ex fratre eſt, epilepticis hinc correptum iri inſultibus, ac narrat, quod bis jam antehac tres, quatuorve dies dormiendo exegerit, quod & Medicus confirmabat! Non deſtiti tamen, quoad ſomnum abigerem proprio eam compellare nomine ac aliqua penetrantiora naribus objicere, aliis jubere, oculos dormientis luci obverterent, ac crines vellicarent; evigilat tandem, ac cum indignatione quadam nos compellat: vanum eſſe noſtrum metum, ſibi *bene eſſe, ac huic illique ſignificaſſe, ſomnum per tres noctes atque dies ſibi eſſe neceſſarium ad hoc, ut ſanitatem planè recuperet.* Juſſa verò tandem ſurgit; quicquid autem ageret, ei ſomnus perpetuò obrepebat, dum ite-

 rum

rum in lectum ſe conferret, ac dormiret ad horam diei dominicæ octavam matutinam, quâ alacris & benè ſana ſurrexit, non exſpectans Aprilem, quo hirundinum & ranarum inſtar populus in remotiſſimo Ruſſiæ tractu prorepere dicitur, qui menſe Novembri ordinatâ re familiari ad hiemalem ſomnum ſe applicarat, quam fabulam doctiſſimè exploſit Cl. Pechlinus lib. de aëris & alimenti defectu & vitâ ſub aquis cap. 6. à p. 79. usque ad 82. Ex noſtrâ verò hâc hiſtoriâ animadverti poſſe puto, quod ſomnus in declinatione febrium etſi diuturnior, non nimis ſit formidandus. Non malè doctisſim. Foreſtus lib. 7. Obſervat. in Scholio ad Obſerv. 22. p. m. 222. *ſomnus in febribus alius naturalis, alius præter naturam. Maximè naturalis tùm eſt, in declinationibus tùm totius morbi, tum particularis accesſionis, præternaturalis initiis accesſionum.* Ex majori autem ſeri copiâ diuturniorem hunc ſomnum deduco. Ex eâ ſanè etiam profundisſimi ſomni cauſam petit prælaudatus Foreſt. lib. 10. Obſerv. 33. p. 357. quam Lethargi quoque periodicè recurrentis cauſam facit Carolus Piſo l. de *morbis à colluvie ſeroſa ortis* ſect. 2. part. 2. c. 6. p. 133. & ſeqq. Hinc & Celeberr. Willis teſtis eſt in iis, qui affectibus ſoporoſis occubuerunt, *cerebri ventriculos inventos fuiſſe ſero copioſo repletos.*

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXVIII.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De febri cum cordis tremore, dolore pungente, animi deliquiô &c. curatâ.

MErcatoris florentiſſimi filia unica cœpit ſenſim contabeſcere, ac deinceps manifeſtè febri correpta eſt, conflicta quoque cum cordis tremore, animi defectione ac aliis mali moris ſymptomatibus. Vir in Medicina faciendâ per plures annos cum laude verſatus, ex lumbricis ægræ afflictiones deducens, Anthelmintica ſelectiora convenienti methodô exhibuerat, cùm nihil proficeret, ſed res in deterius laberetur, febrim cortice, modò in electuario modo bolo, jam in infuſo, jam in pulvere ægrotanti ad nauſeam usque dato, eam profligere conſtituit, ſed neque hic magis propitiam expertus eſt fortunam. Cùm verò eum quædam impedimenta à curâ hâc avocaſſent, ego à mœſtiſſimâ matre in abſentia mariti in conſilium adhibitus ſum. Cùm verò audirem, per ſomnum ſolere dentes ſtridere, copioſam ex ore defluere ſalivam, ſiccam adeſſe tuſſim, crebro puellam contrectare nares &c. ac perpenderem pulſum atque febris ſine ordine ac certâ lege recurrentis genium, nec ignorarem etiam cordis palpitationem, ſolere eſſe lumbricorum comitem; non potui non Clariſſimi Viri laudare judicium, ac licet mater invita audiret, ex regulis noſtræ artis eum applicâſſe medicamenta lumbricis oppoſita ingenuè faſſus ſum. Mixturam ergò Dolæi acceſſione unius ſimplicis exaltatam, quæ ali-

quoties ſpem meam impleverat præſcribo, ſed cum eâ viâ non ſuccederet, aliâ tentandum erat, præprimis, quia ſuſpicabar lumbricos in nido magis recondito latere. Opportunè verò recordabar eorum, quæ in Loweri Tract de Corde cap. 2. p. m. 71. legeram, nimirum ſæpenumero *vermes intra caſpulam cordis genitos, arroſione ſua magnas cordi moleſtias facere, atque cordis tremore, anxietate, pulſu ſæpè intermittente, dolore pungenti & ſyncope ſe prodere,* nihil motus calumniis immanibus, quas ut in totum medicorum ordinem ita in doctiſſimum Virum impuriſsimo ore evomit nomine Gideon re Ismael novus de *arte curandi morbos per expectationem*, jubeo Cataplaſma è *foliis Cinaræ, tanaceti & Abſinthii vulgaris aceto vini albi acerrimo incoctis & cum pauco Mithridatio mixtis regioni cordis ter quaterve* applicari, à quo Lowerus ſe enumeratam Symptomatum catervam penitus diſſipatam vidiſſe narrat. Optimâ fide teſtari poſſum; eundem me affectum in puellâ hâc vidiſſe ac ex uſu ejus omnia mali moris ſymptomata ita conticuiſſe, ut perbellè agat modò & optatâ fruatur ſanitate.

OBSERVATIO CLXXXIX.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Venæ ſectione in gravidâ, absque noxâ bis ultimis geſtationis menſibus celebratâ.

APud medentes extra controverſiam eſt, venæſectionem certis in caſibus rectè celebrari in gravidis. Imò ad præcavendum in ſanguineis abortum eam

eam eſſe utilem paſſim legas. *Innumerabiles matronas ſanguineas, quæ abortire ſolebant, ac* inter eas *ſocrum ſuam hoc remedio* (Venæ-ſectione) *ab abortu à ſe ſalvatas* Franciſcus Moræus Practicus feliciſſimus, in utiliſſimo ob egregias obſervationes opuſculo de malignâ febre paroxiſante Tract. 1. cap. 15. p. 216. & ſeq. teſtatur. *In Brabantia,* inquit, *Francia, Anglia &c. nobilibus mulieribus gravidis in uſu eſt ſanguinem mittere ſolum, ut proles producant formoſiores.* Nec deſunt, qui primis Menſibus Venaſectionem repetant, quando neceſſitas ita poſcit. Gravidæ malignâ febri correptæ prælaudatus Moræus bis quarto uteri Menſe venam pertundi fecit. Ultimis verò prægnationis Menſibus, Medici trepidare ſolent, cum de aperiendâ vel ſemel venâ deliberatur. Ipſe cum hâc æſtate ad prægnantem paucis ante partum diebus, ab equo circa ſiniſtri lateris ilia percuſſam accerſerer, ac Vir magnæ experientiæ Dn. D. Tralles ſanguinis miſſionem ſuaderet; Hippocrat. illum Aphoriſmum 31. Sect. 5. placidè & modeſtè opponebam: *gravida vena ſecta abortit,* quem cum gravidus auctoribus de tempore partui vicino interpretandum eſſe ajebam. Is quoque, quem jam ante laudavimus Moræus l. c. p. 218. vult ſanguinis *miſſionem temerariè & ob levem cauſam non eſſe ultimis gravidationis menſibus à Medico præſcribendam, quoniam tum infans in utero grandior plurimo nutrimento eget &c.* Nihilominus quid nuper admodum hic contigerit, narrare è re fuerit, quia ut prudenter Columella in l. de re ruſticâ c. 1. *Non eſt ulla diſciplina in qua non peccando diſcatur.* Soror ancillæ, quæ ex illicito concubitu gravida erat, medicum accedit, eique ſororem ex aliquo tempore obſtru-

obſtructione menſium laborare, emmenagoga à Medico præſcribi medicamenta petit, eaque validiora, quod mitiora non profecerint, inſignem adeſſe reſpirationis difficultatem, cordis palpitationem &c. ac ab aliis Medicis hydropem metui, non permittere cumulata ſymptomata, ut ipſum accedat Medicum, motu corporis omnia fieri deteriora. Annuit incautè Medicus petitioni, ac quando medicamenta in uſum trahenda ſint, edocet ac novilunii tempore V.S. inſtitui oportere edicit, non territus mentione hydropis, quia etiam in hujus ab obſtructione Menſium ortæ initio rectè imperari docet Clariſſ. Waldſchmidt notis in praxin Barbette p. 465. Satisfit voluntati Medentis. Vena aperitur. Redit altero menſe ſoror & periculum eſſe prætendit, ne ſuffocetur ſoror. Iterum ex venâ educendum eſſe ſanguinem contendit Medicus, id quod citra moram factum eſt. Pauci vix dies elapſi ſunt, ubi absque magnis laboribus formoſam validamque puellam enititur, quæ cum matre vegetâ benè commodeque valet. Intelligere verò hinc datur, quàm parum aliorum relationibus tribuere posſit Medicus, præſertim cum mulieres menſium obſtructiones cauſantur; non credere mentis nervus eſt. Sed hac in re Medicis ſolatio eſt, quod nec ipſe Hippocrates utut oculatisſimus ſemper deceptiones evitare potuerit, nam ut unum hoc tantum adducam, ad Democritum velut *inſanum accesſit veratrum ipſi daturus perſuaſus à viris ſtolidis, apud quos labor virtutis inſania putatur* ut legere eſt in Epiſtolâ Democriti ad Hippocr. Tom. 2. p. m. 931.

OBSER-

OBSERVATIO CXC.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De notabiliori ad ſimplicioris enematis uſum conſecutâ evacuatione.

PAſſim recepta ſententia eſt, vomitoria potisſimùm ventriculo ſaburrâ inutili repleto, purgantia autem inteſtinis tenuibus, craſſis verò enemata primario eſſe dicata, quò his adminiculis ſordes ex corpore exturbentur. Et certè ſatis manifeſtum eſt, quod liquor per anum injectus inteſtinum colon non tranſcendat ob valvulam, quam Bauhin. theat. Anatom. lib. 1. cap. 17. ſuum vocat inventum, quamvis Conſtantin. Varolius 3, c 3. eam benè cognitam habuiſſe videatur; ea verò valvula impedit, ne ad inteſtina tenuia enema adſcendere queat. Porrò non temerè rejecerim ſententiam Clariſs. Gliſſonii, qui in Tract. de ventric. & inteſtin. cap. XI. p. m. 210. craſsis longitudinem novum pedum, jejuno cum duodeno totidem, ileo autem 24. tribuit; eam enim αὐτοψία & examen inſtitutum hoc ſatis accuratè confirmat. Hæc verò cum ita ſeſe habeant & de cæterô manifeſta ſit inteſtinorum, quæ clyſteres eluere queunt, capacitas, mirati ſumus, quî ad injectionem enematis tanta nuper conſecuta evacuatio in Presbytero aliquo fuerit, qui cauſaria valetudine per totum autumnum utens, ex conſilio meo, cum eſſent, quæ purgantium uſum prohiberent, clyſterem è decocti emollientis & carminant. ℥ix. Electuar. lenit. ℥iß. ol. lilior. alb. ℥vj. Sal. gemm. ʒß. horis matutinis ſibi injeciſſet (nam ut alterius ope applicaretur, induci ut conſentiret non poterat, qui mos multorum eſt in

Sileſiâ, quod & notavit Coberus obſerv. Caſtrenſ. Decur. 2. obſerv. 7. p. 64.) ſedecies & ultra dejecit ac magnum humorum cataclysmum ex corpore exturbavit. Unde verò tanta excrementorum copia, cùm in apricô ſit in inteſtinis craſſis eam non delituiſſe? Morellus quidem methodo præſcribendi formulas remedior. lib. 2. ſect. 2. cap. 14. auctor eſt, quòd clyſteres etiam *renes, veſicam, uterum ab humoribus aliisque rebus vacuent*, lienem quoque ab iis purgari traditum eſt à Johan. Walæo in meth. medend. p. 116. aſt precariâ & hoc tempore exploſâ inniti hypotheſi videntur. Si vera foret Eraſti ſententia, quæ ex irritatis à purgantibus in illis reſtitantibus negotium purgationis explicat, dicere fortaſſis liceret, quòd dum craſſa vellicantur inteſtina, ſimul etiam tenuia, ipſe etiam ventriculus in conſenſum trahantur ac ſimul concutiantur & hâc concuſſione excrementa eliminentur; quoniam verò ea ſententia diligenter à doctiſſimo Pechlino in erudiſſimâ de purgantium Medic. facultatibus Exercit. cap. 37. eſt examinata & refutata, num fortè recurrendum ad emiſſionem effluviorum humores inflantium ac fermentantium ac excrementa exturbantium, quâ de re prælaudatus vir p. 371 & ſeqq. legi poterit?

OBSERVATIO CXCI.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De madore poſt mortem in corpore infantis dyſenteria ſublati.

PUella nondùm duos annos nata, dyſenteriâ corripitur ex fructibus horæis avidè ingeſtis & frigidâ ardenter ingurgitatâ poſtquam tenerum corpus cœlo in-

lo inclementiori expoſuerat. Quærit egena mater ubique auxilium & à vetulis quoque tollendi morbi, rationem diſcere cupit Nemo verò ex adhibitis in conſilium, tantoperè ingenio diffidere viſus eſt, ut non ad recuperandam ægræ ſanitatem ſeſe ſymbolam conferre poſſe crederet. Quod ergò ſuo tempore in caſtris uſu veniſſe ſcribit doctiſs. Vir Tobias Cober Decad. 2. Obſerv. Caſtrenſ in Schol. ad obſerv. X. p. m. 105. & 106. id & hic, credo, contigerat. Aliqui Medicaſtri terram Sileſiacam, alii cydoniorum ſuccum, alii verò Nucem Moſchatam deprædicarant, nonnulli nihil panis toſti uſu eſſe præſentius dixerant, ac, ut fieri ſolet, unusquisque ei, quod laudaret, primas detulerat; atque hinc ab unius uſu ad alterius exhibitionem feſtinarat mater. Nullo verò horum proficienti ad me eſt itum. Cum verò ex relatione matris ſuprema ægræ filiolæ imminere haud difficulter colligerem, nolebam cum artis opprobrio nefariis Agyrtarum ac vetularum conſiliis miſceri. Nego ei me quicquam præſcripturum. Cùm â me nihil impetrari poſſet, ex conſanguinei conſilio ad alium præparatione medicamentorum victitantem accurrit. Ne is artem Medicam, cui nunquam operam dederat, ignorare crederetur, adſtringentia neſcio quæ reluctanti puellæ obtrudit, ut cùm vitam conſervare non poſſet, mortem maturaret, quæ & placida fuit tandem conſecuta. Altero poſt mortem die tenerum corpus ſudore d ffluere cœpit, qui & toto die continuavit, id quod & circumſtantes dedit in ſtuporem, & latius emanavit, donec à matre puellæ hâc de redderer certior, quæ inde novam concipiens ſpem, de vitâ filiæ denuò varè ſibi cœpit abblandiri. Damnavi ſpem eam, recitans ei ob-

ei obſervationem Dn. D. Ledelii ex decur. 1. An. 3. p. 120. ut & ex decur. 2. An. 9. p. 71. nec non Dn. D. Frommanni ex decur 2. An. 6. & 7. p. 243. & ſeq. Cùm verò & eruditus quispiam ex illo madore rectè præſentiam vitæ argui perſuaſus eſſet, oſtendi illicò quorundam inſolitorum in cadaveribus etiam ab aliis obſervatorum exempla, ac dùm ad manus eſſent centuriæ tres obſervationum Salmuthi, in centur. 3. evolvi p. 124. hiſtoriam qua narratur, quòd Senis alicujus multis aphrodiſiis uſi, ut juvenculæ, quam in uxorem duxerat, placeret, penis poſt mortem fuerit erectus, propoſui quoque ex p. 128. quòd dentes altero poſt obitum die quatuor eruperint ac alia ejus generis. Quid ergo, inferebam, fieri non poſſet, ut in tenello corpore, cujus pori ſunt patentiores, poſt adſtringentium, quarum terreæ partes ſanguinem coarctantes ſerum exprimere ſolent, abuſum, dùm quædam partes fiunt rigidiores, aliquæ etiam concidunt, aliquid, quod ſudoris referat ſpeciem, poſt fata erumpat ac corpus madore ac humiditate imbuat?

OBSERVATIO CXCII.
Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.
De Cachexia in paralyſin deſinenti.

Conjux generoſiſſimi Domini Franciſci à Blummencron, quæ in ſterili quidem ſed cæteroquin feliciſſimo ejus thoro per multos annos vixerat, ante biennium cum graviſſima conflictata fuerat febri, ac ſumpſerat una vice, quæ tribus vicibus accipienda fuiſſet, medicinam. Ab eo tempore inſignem memoriæ debilitatem ac ſubinde recurrentes capitis dolores ſentiebat.

tiebat. Appetitus planè erat proſtratus. Infeſtabatur flatibus. Segnis erat alvus ac interdum per aliquot dies officio non fungebatur. Menſes decolores fluebant. Urina admodum tenuis ac pallida exiſtebat. Pulſus languebat. Facies ſubtumida. Crebro ſuſpirabat, ominans ſubinde mortem ſibi inſtare. Cùm ad eam vocarer, eam cachexia laborare pernunciabam, & percipiens, quòd evacuantibus malum tollere alii fuerint aggreſſi, alia via mihi incedendum eſſe autumabam. Initio ad humores pituitoſos ac viſcidos emendandos, flatus diſcutiendos, vigorandum ſanguinem ac excitandos ſpiritus vinum præſcribebam medicatum, ac cum hoc inciperet nauſeare, eſſentiam aliquam ex blandis aromaticis. Cùm verò probè noſſem, quòd morbi hujus cauſa in novam naturam tranſiiſſet, non putavi, levem quandam alterationem corpori inductam, quam tùm ex actionibus tùm urina colligebam, curationis ſcopum poſſe attingere; cenſebam in uſu ejusmodi medicamentorum eſſe perſeverandum, ac cùm ipſa electuariū poſceret, ejus voluntati quamvis non admodum libenter obſecutus ſum, ac opiatam dedi magnarum alias virium in concoctionibus corroborandis. Ordinavi etiam balſamum calidè ventriculo ſingulis diebus illinendum & poſtea etiam fotum. In uſu confortantium occuputam nolui purgantibus fatigare, edoctus à Cl. Sydenhamio procul eſſe purgantia debere, cum adhibentur confortantia, adhæc ſciebam in cachexia ab initio purgantia debere eſſe ſacra, alvum tamen clyſteribus ſolicitari juſſum eſt, nec ſine ægræ levamine id contigit. Martialia cum alio modo non liceret, in morſulis data ſunt partim quia aperiunt, ut docet Highmorus lib. de affect. hypo-

chon.p.133.partim, quia texturam viſcoſæ ſaburræ abrumpunt & humidum, quod glutinis vicem explet, abſumunt & fragile ac friabile reddunt & ſecum particulas abripiunt. Circumſpecti tamen in uſu eorum fuimus, ne ventriculo jam ſatis debili majores faceſſerem moleſtias. Meo ſuaſu alius adhuc diffuſæ experientiæ Medicus mihi adjungitur, cum quo modeſtè diſputatum eſt, de qualitate peccantis in corpore ægro humoris, ut quænam danda eſſent medicamenta, tantò rectiùs conſtaret, cum eſſe acido-auſterum contendebat, ego verò negabam (1) quòd ægra ſolicitè interrogata, de nullo, quod judicium acidi præbere queat, conqueratur, acidos verò humores ita comparatos eſſe conſtet, ut aſſumpta acore & ſapore inficiant, id quod teſtetur cadus aceti ex fide Helmontii aquam Rhodani in verum acetum transmutans, id quod etiam Cl. Morhof. aliique plures uberius illuſtrent. (2) Nullus ſit appetitus ac fames, ſi verò humores acidi adeſſent, utique famem excitaturi eſſent, poſito etiam quod cum auſtero conjuncti forent. Sanè famis auctæ originem arceſſit Cl. Sylvius à ſucco acidiori in corpore abundanti. Et cùm ex mordicatione tunicarum & nervorum ventriculi oriatur fames, acidæ autem & auſteræ particulæ utique tunicas mordeant, ubi adſunt, non poſſunt non excitare famem, quam etiam aliàs acidis & acribus irritare ſolemus, ut pulchrè notavit Borellus de motu animal. part.2. p. m. 301. hîc verò, ut jam ante diximus, languidum eſt cibi deſiderium. Id quoque in quæſtionem veniebat an medicamenta purgantia exulare in præſenti curâ deberent, ubi iterum Vir Nobiliſs. ſibi uſum eorum neceſſarium videri ajebat, quod contra ejus hypotheſin de redun-

danti

danti in corpore acido humore eſſe placidè obvertebam, indubitatum enim eſſe, quòd per cathartica humor ille commoveatur, abdominis cruciatûs atq; tormina excitentur, ſæpè etiam convulſivi motus ſequantur ſine operatione, cui rei & hoc documentum eſt, quòd hypochondriaci ac Melancholici, in quibus cruditas acida dominatur, fortiſſima evacuantia nullo ſequenti effectu digerant. Obtinuit verò Cl. Vir ut Nobiliſſima Matrona ſponderet, ſe diligenter horis matutinis & tertia pomeridiana Tinct. Vitrioli Mart. Zw. ac interjecto die uno ſeq. Mixturam eſſe ſumpturam. ℞. Eſſent. Abſynth. Chamædr. Centaur. min. aa. ʒiß. Spir. ⊖ ✱ci volat. ℥j. Elix. Propr. P. ſ. ac. ʒiß. quarto autem quoq; die adhibituram eſſe ſeq. pilul. ℞. Aloës ſuccotr. ʒiij. nitr. fix. g. xx. aq. pluvial. q. ſ. ad eminent. 3. digitor. ita ut prius Aloë & nitr. fix. in patin. ferr. ſolv. ac ſenſim inde aq. affundatur pluvialis & deinde committantur B. M. vel levi calori ad ſpiſſitud. quæ ſi nimia eſſet, affund. Eſſent. abſynth. centaur. min. Zedoar. Elix. P. P. ſ. ac. q. ſ. f. l. a. Extract. ex quo fiant pill. ex gr. 1. N. 1. S. Pillen davon Abends 4. zu nehmen. Svadebat quoq;, ut his ritè factis ſangu. Rhabarb. ad 100. guttas in uſum vocaretur. Verùm etiamſi diligenter ægra his uteretur, nulla tamen ſpes ſanitatis recuperandæ affulgebat, quinimò pejori res ejus loco eſſe cœperunt, paſſiones enim hyſtericæ ſubingreſſæ eam graviter vexârunt. In alterius Medici abſentiâ in Conſilium adhibitus Excellentiſſ. ac Experientiſſ. Dom. D. Oehmb, Fautor & Amicus meus honoratiſſimus mecum cenſuit urgentiori huic ſymptomati initio occurrendum eſſe cortice Peruviano ſubtiliſſimè pulveriſato & Elix. Uterino D. Michaëlis paucis Tinct. anodynæ

dynæ guttis maritato, aliisque efficacioribus medicamentis, quibus id conſecuti ſumus, ut ſpem vitæ & ſanitatis ægrota non planè abjiceret, dolore multùm remittenti. Sed poſt breve tempus fallaces fuiſſe inducias ex lacrymis involuntariis, urinæ incontinentia ac motu alterutrius lateris abolito collegimus, nec ullis pharmacis imminens fatum avertere potuimus.

OBSERVATIO CXCIII.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII, De Copiâ ſeri magnâ in Corpore.

IN dignitate conſtitutus vir circiter quadragenarius ſingulis annis per luſtrum coryzâ corrept⁹, incredibilem materiæ ſeroſæ copiam excrevit. Ipſe quidem ampliſſimus Vir eam quadraginta libras ſuperare contendit. Vernô quoque tempore diarrhœâ per 14. dies infeſtatus cum tolerantia, modò ſepties modò decies ano dejicit. Præterea quôvis menſe hæmorrhoides ſponte ſuâ apertæ ubertim ſanguinem ſtillant. Catarrhis ferè ſemper degit obnoxius. Sæpè ſudore totum corpus madet. Etſi verò univerſalibus crebrò uteretur, acidulas, vino & cereviſia procul eſſe juſſis biberet, nihilominùs in femore tumores non flatu ſed humore turgidi, uno plures ſunt exorti, qui degenerarunt in abſceſſus cavernoſos, hi autem in ulcera alta, anguſta, calloſa, quæ fiſtulas appellamus, abierunt, ex quibus magna puris benè cocti quantitas ſeſe exoneravit. Cùm de ſanitate ſuâ ſolicitus in Medicorum judicia inquiſiviſſet, alii ulcera illa eſſe perſananda affirmarunt, alii negarunt. Et quidem horum conſilium fuiſſe ſalutare non negabit, qui cum curâ legerit ac expen-

expenderit, quæ habet Hildan. Cent. III. Obſ. XXXIX. Timæus lib. 1. Caſuum Medicin. c. 28. & Reſponſ. Med. 41. lib. 6 c. 26. & Caſ. 31. in Ephemerid. German. Decur. I. A. II. p. 314. Dec. II. A. V. p. 317. & A. VI. p. 410. & A. VIII. p. 197. Zodiac. Med. Gall. A. IV. Menſ. Febr. Obſ. XXII. Pechlin. Meibom. imò ipſe Medicinæ parens Hippocr. lib. 6. Epidem. Comment. 3. t. 39. Sine dubiô enim vice emunctoriorum fuerunt, *quæ ſi obſtruantur*, ut rectè Magnif. Academ. noſtræ Præſes ſcribit, *aliter fieri non poteſt, quàm ut peccantes humores ſanguini confundantur, & varias turbas excitent ac nobilioribus viſceribus labem affricent.* Priorem tamen ſententiam ſequi placuit ægro. Ægrè ſanatæ ſunt, & dum id fieret, febri ferè confectus eſt. Ex eò verò omnes illæ evacuationes, de quibus ante diximus, non deſtiterunt conſuetas ſibi obſervare quotannis periodos, nec ſudoriferis imprimis ♎ Mercur. purgantibus, diureticis, fonticulis excitatis Nobiliſſimus Vir excretionem humorum ſolicitare intermiſit, ſeverâ quoque diæta ad præcavendum colluviei ſeroſæ incrementum uſus eſt, & nihilominùs tamen corpus notabiliter auctum eſt, & denuò novi tumores in pede elevantur.

OBSERVATIO CXCIV.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De Febri cum tumoribus.

AB aliquo tempore Nobiliſſ. ac Conſultiſſ. Dominus Rencker, antea cum laude Syndici officio Glogoviæ functus, deinde Sereniſſimi ac Reverendiſſimi Principis Epiſcopi, in aliquot Officiis Secretarius,

us, in Muſculorum pari, quod Anatomicis Sacrum appellare placuit, eò, *quòd ab oſſe Sacro peſterius acuto carneoque principio oriatur*, ut loquitur Cl. Diemerbroeck, lib. V. c. 7. Conf. Adrianus Spiegel, lib. 4. de hum. Corpor. Fabr. Cap. XI. p. m. 114. Bartholin. lib. 4. Anatom. Reformat. cap. 7. p. m. 389. Marchett. in Anat. p. 168. ut & Blancard. in Anatom. Reform. parte 2. p. 200. phlegmone corripitur; femoris Muſculus Glutæus major, quô de vide ſis Browne Myograph. p. m. 45. tumore quoque fuerat obſeſſus, ita ut non ſine moleſtiâ officio ſuo vacare poſſet. Die 16. Octobris, Anno 1697. febri opprimitur ardenti. Pridie ejus hoſpites aliquos convivio more Germano exceperat, exceptus eſt ipſe à Magnatibus aliisque perfrequenter, leges diætæ non ad eò rigidè obſervaverat. Mirè exæſtuabat ſanguis, cùm ad illum die 17. circa Veſperam vocarer, pulſusque erat frequentisſimus. Præſcripſi ſeq. Pulverem. ℞. Pulv. Bezoard. albi ℨi. ſuccin. præp. Corall. rubr. præp. aa. ℈i. terræ ſigillat. lap. Bezoard. Occident. aa. ℈ß. M. f. P. cujus quantum duo cultri cuſpides capiunt, protinus accipiendum eſſe edicebam, in Aq. Borrag. & Flor. tiliæ. Deinde Mixtur. ſimplicem cum ſale volat. oleoſo D. Sylv. ordinavi ut manè 50. vel. 60. caperentur guttæ. Cùm Corpus plethoricum eſſet, nec repugnaret ætas (vix enim 36. annis natus erat) maturandum eſſe Venæ ſectionem ſuaſi tùm ratione Febris, tùm quoque inflammationis externæ. Tenuem quoque diætam imperavi eſſe ſervandam. Poſtero die manè eductus fuit ad libram circiter unam Sanguis, qui guſtui oblatus aliquantò erat acrior. In uſu liquidi medicamenti horis matutinis

pul-

pulveris vero veſpertinis ad diem febris quartum perſeveravimus, cum verò hic abſumptus eſſet, alium ex C.C. Nitro antimoniato, Antimon. diaph. ac Camphoræ tantillo, quem Clariſſ. Ettmüller ſe feliciſſimo cum ſucceſſu dediſſe, ait in Colleg. Pract. p. m. 238. non ſine magno ægri levamine porreximus. Cùm verò decoctum hordei cum paſſulis minoribus, quô ſe initio recrearat, nauſearet, ac hauſtum cerevisiæ tenuioris expeteret, eum conceſſimus, ita tamen, ut modò ſpir. Nitr. dulc. modò Tinct. Flor. Bellid. ei inſtillaret. Monitis meis Nobiliſſ. Dn. patiens obtemperabat. Die febris quintâ ſanguis è naribus ſtillans ad ℥x. circiter ægrum terruerat, ut confeſtim mitteret, qui me vocaret. Ego adveniens cum probè ſcirem eam ex calidiore regimine non eſſe ortam, recitabam Hippocrat. illa; *Fluxio Sanguinis è naribus in febre ardenti quarto die incidens mala eſt. Verùm quinto die minus periculoſa*, præprimis cùm ſigna coctionis apparerent in urina & corpus diebus præcedentibus laudabili ſudore maduiſſet. Recurrebat hœmorrhagia die ſeptimò magis adhuc copioſa: quâ de certior factus, continuò advolabam, cum vero & ipſa cum ægri fieret tolerantia, criticam eſſe arbitrabar, ac Cl. Rolfincii ex meth. Comment.: mihi in memoriam verba revocabam; *Sanguinis excretio critica perfecta ſpectatorem deſiderat non actorem*, ac ne modum excederet & Critica in Symptomaticam degeneraret, præprimis cum circumſtantes graviter percellerentur, vaporem aceti in laminam candentem effuſi, naribus excipi juſſimus, anacollemata vero procul volui eſſe, niſi quod linteum aqua Roſarum madefactum occipiti, & vicinis partibus,

cum ſanguis jam in ubere copiâ effluxiſſet, imponeretur. Poſtea febris remittebat, ac res in vado eſſe videbatur. Phlegmone in Muſculis Sacris ad ſuppurationem venit, ac pure diligenter evacuatô, ſponte evanuit. Tumor vero in natibus medicâ indigebat ope & maturantia applicanda fuere, ut ſuppuraretur. Cum mollior appareret, ac pus in eo fluctuare animadverteremus, ſcalpellô â Chirurgo illam aperiri fecimus. Ubi, ut ſolet, primò ichor ſanguini mixtus prodiit, deinde verò pus per aliquot dies in magna ſatis quantitate. Interea, & internis contra furunculum eſt pugnatum, arriſit verò cumprimis Pulvis Caſſellani Phyſici, quem deſcripſit ex Auctoris communicatione D. Dolæus in Chirurgia rationali, p. 1041. eumque paucis mutatis ordinavi. Quoniam verò abſorbentibus fuerat uſus, ac febris autumnalis ſublata id requireret, ne novam invitaremus, potionem purgativam Sydenhamii propinavi, omiſſâ Manna, ob metum, quem R. D. Boccon. in Obſervat. linguâ Germanicâ editis p. 32. & ſeq. nobis incuſſit. Tantò autem facilior fui in porrigendô evacuante, quia id *ad maturandam tumoris curam*, ut cum Barbette loquar in Chir. magnoperè *neceſſarium exiſtimabam.* Non mea me decepit opinio. Profuit ægro. Morbi initio nullus nec purgantibus nec vomitorio erat locus, non huic, quia æger vehementer ab eo abhorrebat, cum quondam ejus poſt celebratam Venæſectionem (prius enim ob vaſa ſanguine diſtenta, ne quidem de eo cogitandum) obiter injicerem mentionem, ac animo meo verba Thomæ à Veigâ Comment. in art. Medic. c. 95. p. 159. altius impreſſa eſſent, nec æger vel de amaritie quâ-

dam

dam in ore vel conatu vomendi &c. quereretur, in quibus aliisque caſibus vel invitis ſæpè dari emetica notum eſt; nec illis, quia in ejusmodi febribus tumultûs magnos excitant, *ac bilem exacuant, & hypercatharſin cient malo cum eventu*, ut loquitur Cl. Wedelius explicans Aphoriſm. 24. è Sect. 1. Poſt hæc aperientibus exemplo magni Meibomii ægro medebar, cumprimis arcano duplicato, id quod enixè ſibi conducere teſtabatur. Unum erat, quod ægrotanti ſcrupulum injiciebat: quòd ſcilicet magnam glutinoſi, viſcoſique phlegmatis copiam quotidie expectoraret; id enim amantisſima ejus conjux accipiebat, quaſi manifeſtisſimum Phthyſeos judicium, & quòd appetitus non rediret, id quod & mihi ſuſpectum erat. Quantum enim ad prius laudatâ ejus ſolicitudine ex Sydenhamio p. m. 77. in Operib. regerebam, rem adeò periculoſam non eſſe, licet aliquando & Medico impoſuerit, eumque in opinionem induxerit, quaſi ejusmodi affectus Phthyſi viam ſterneret, nullum adeſſe ejus imminentis judicium, non præceſsiſſe aridam tusſim, quod fieri per aliquot menſes ſolet, nullam ſentiri ab ægro gravitatem, in aliquâ thoracis parte, vocem Domini mariti non eſſe clangoſam ac exilem, nullis eum poſt cibum ſumptum turbari vomitibus, hæc & hujus generis alia ex Mortoni præclarisſimo Phthyſiolog. Opere lib. 2. cap. 3. proponebam, quibus & ipſa acquievit. Languenti ventriculo licet variis modis occurreremus, fruſtra tamen fuimus ſine dubiò, quòd quædam puris partes in maſſam ſanguineam reſorberentur. Cùm verò ſcreatus ille difficilior eſſet, linctum ordinavimus ex Syrup. de Ery-

ſimo Lobel. de Jujub. papav. Rhœad. Extract. glycyrrh. agrim. Sarſæ Parill. Elix. pect. D.M. & paucis Balſami ſulph. aniſati guttulis, trochiſc. Bechic. Specieb. diatragacanth. cum aliquò ægrotantis levamine. Cæterum ex abſceſſu initio laudabile pus per aliquot, ut diximus, dies profluxerat, ita ut brevi curam finiendam eſſe ſponderet Chirurgus, ſed ecce iterum in majori copiâ olidum pus exprimitur, qui puris fœtor magnam nobis ſolicitudinem injiciebat, atque hinc ſine morâ ad balſamicas injectiones confugimus, nullo cum effectu. Hactenùs poſt febrim è lecto ſurgere, ac arduis ſuis negotiis vacare potuerat, imò jam ſacris interfuerat, deſiderium quoque alloquendi ſocerum Virum Ampliſſ. Conſultiſſ. ac de Sileſiâ indies optimè merentem Dominum Nerlick, ex Canonic. in urbem bis vel ter abduxerat, ſed modò æſtus denuò circa veſperam, & aliqua diſpnœa eum exercebant, & appetitus adhuc magis dejectus erat, quæ facilè perſuadebant, quòd pus fœtens, quod Græci ἐλαιώδες vocant, periculoſo morbo ſcenam inſtrueret. Nam tanta fuerat facta per ſudorem, urinam, fæces ac ſputum &c. evacuatio, ut *morborum ſucceſſiones* verbo Ballonii 2. Epidem. pag. 205. *timendæ* non eſſent *prudenter* ex ſuperſtitibus ac remanentibus reliquiis, quod ſæpè alias fieri docemur ab Hippocr. 2. Epid. 3 4. Epidem. 18. 6. Epidem 2. 12. & 2. Aphor. 12. nec non ab Aretæo 2. Curat. acut. 10. Equidem Galen. Comment. ad 6. Epidem: interdum morboſam ſolummodò diſpoſitionem relinqui autumat, quæ & mens eſt Doctiſſimi Hollerii ad 2. Aphor. 12. id illuſtrantis exemplo ignis è foco ſubducti, poſt quem remanet caliditas

in

in foco languida, ſed cum illam caliditatem conſtituant igneæ particulæ, forte non opus erat conſtituere τῶν ἐγκαταλιμπανομένων novum genus præter humores vitioſos, quorum reliquiæ faciunt διάθεσιν morboſam, ſed hæc obiter. Cùm perplexus hærerem, Excell. ac Exper. Dn. D. Eggerdes mihi datus eſt exoptatus in curâ hac Collega. Is benevolè omnia à me geſta, prout hic narrata ſunt, probavit, & ut Decoctum Peruviani corticis in uſum vocaretur, conſuluit, dictitans in eo nos inventuros tàm eximium Stomachicum, quàm etiam ſingulare medicamentum ad ebullitiones compeſcendas. Repugnavi fateor, ſed ut mei moris eſt, modeſtè, non quidem in dubium vocando decantatam corticis vim, ſed oſtendendo ex Obſervatione Cl. Baglivi de Medicina ad priſcam obſervandi rationem revocandâ in morbis cum inflammatione conjunctis exitioſum eſſe ejus uſum, id quod Experientia Excellentisſimi Dn.D. Oehmb, Fautoris ac amici mei honoratisſimi, magis confirmatum eſſe noveram, ſed cum Nobiliſſ. Dn. Archiater, diffuſam de innocentiâ Corticis in eo caſu allegaret experientiam, facilè evicit, ut etiam æger in uſum conſentiret. Exhauſit autem circiter libras quatuor corticis cum radice helenii & Glycirr. in vino decocto, obtinuit quoque me non refragante, ut Sp. Sal. ℞ci aniſatus manè adhiberetur. Sed magna oris ariditas conſecuta eſt, ſitis intenſior, æſtus quoque major, cæteroquin anorexia perſeverabat. Mox quoque ex prælaudato Dn. Doct. conſilio, Decoctum pectorale Auguſt. bibebat æger, quod tamen protinus faſtidire cœpit, Ità afflictis ægri rebus, quæ me multum fatigabant, ini-

tur

tur Conſilium de illo in civitatem ex Canonicatu in lecticâ deportando, in ædes Nobiliſſ. Domini Soceri, qui ipſum tenerè amabat, quod, licet non probarem, effectui tamen datum fuit. Nova eum ab illo tempore febris continua oppreſſit, conjuncta cum ſuavi delirio, aucta ſine dubio tùm violentiori per ſcalas motu, tùm ex cibo præter conſuetum avidiùs ingeſto, tum quoque animi motibus ob Chirurgi mutationem. Ei oppoſitus pulvis ex Sal armon. depurato & antihectico Poterii, infuſum Thee ac decoctum lignorum, cum quibusdam pectoralibus. Cedere viſa eſt febris, brevi iterum majori niſu ægrum oppreſſura, ac minori cum difficultate viſcidum phlegma rejectum eſt. Cum vero utile eſſe judicaretur, ut ferro magis abſceſſus recluderetur, ulterius illud differre nefas rati ſumus; id cum manu Chirurgi expediretur, ſpectantium oculis ſeſe objecere partes ſanguinis congrumatæ & ex plumbo parata turundula à Chirurgo ad promovendum puris fluxum ulceri indita, quæ neſcio quo fato in ulcus omnibus inſciis adacta. Qua viſa, illicò mirari deſiimus, cur, cùm optima primo tempore ſpes perſanandi ulceris affulgeret, eventus felix nos deſtituiſſet. Quarto poſt inciſionem die circa horam octavam veſpertinam ſubitò quicquid erat reliquum attritarum virium, proſternitur, adeſt reſpiratio multò magis conciſa & ſubita, quàm fuerat antè, pulſus celerrimus, inæqualis ac parvus, calor toto corpore vehemens, delirium, leviculæ fibrarum muſculariũ palpitationes, mox & ſpaſmi, ac diarrhœa, & neſcio quæ non prodigioſa ſymptomata, quibus oppoſita fuere remedia, imprimis mixtura, cujus pars liquor C.C.

CC. ſuccinati D. M. perquàm egregie ſe geſſit. Quædam malacia triduum ante mortem Medicos & circumſtantes exhilarabat, delirium remittebat, pulſus naturali proximus, ceſſabant ſpaſmi, æſtus defervеſcebat, verùm elapſis 24. horis omnia ſymptomata recrudeſcebant & ſemper augebantur, quibus depellendis cùm ars non ſufficeret, non ſine luctu bonorum vir longiori vitâ, ſi Deus voluiſſet, dignisſimus bono publico die 19. Decembr. horâ ſexta veſpertina eripitur.

OBSERVATIO CXCV.

DN. D. CHRISTIANI HELWICHII.

De laudato Williſii medicamento in tuſſi.

IN illa remediorum multitudine, quâ ut Reſpublicæ multæ legum numerô, laboramus, nunquam animus fuit novis inveniendis operam dare, ſed quæ inventa ſunt & à celebrioribus Medicis longô tempore adhibita leguntur, data occaſione, num exſpectationi reſpondeant, explorare & ſuô tempore publicum admonere conſtitui, etiam ante ſaluberrimam Clariſſimi D. Schelhammeri admonitionem in luculento de naturâ opere part. alter. cap. 5. §. 21. p. 281. Cùm ergò magnum Thomæ Willis in acroateriis Medicis nomen, ſemperque ejus, ut ſperamus, memoria ſuperfutura ſit, vehemens inceſſit ardor experiendi, num medicamenta non quidem omnia ſed vehementer ab eo laudata, quæ nulla ratio ad ſolam Britanniam, in quâ celeberr. Auctor Medicinam fecit, reſtringat, cum bono ſucceſſu porrigantur. Id verò deprehendimus,

(quòd, quâcunque demum cum circumſpectione habito etiam ad temperamenta, vitæ genus aëris qualitates &c. reſpectu præſcribantur, iis, quæ Franciſc. Sylvius illud Batavorum lumen tanquàm experientiâ ſibi cognita extollit, comparari (parcite Williſii manes) non mereantur. Facilè hinc inducor, ut credam, ſi ipſe ea ſuis ægris propinavit, Williſium ſæpè non vulgariter lapſum, quod cum aliis etiam nuperus aliquis ſcriptor tradit. Id verò quo in tuſſi quâcunque, modò febris abſit, nullum ſe præſtantius noſſe fatetur, eſt Tinctura Sulph. ſine empyreumate ad guttas VI. usque ad X in cochleari ſyrupi violarum vel ſucco hederæ terreſtris, veſperi & primo mane data, ut cernere eſt parte ſecundâ admirandi operis, quod pharmaceuticen rationalem inſcripſit ſect. 1. c. 6. p. m. 167. Et reverâ laudes ipſi tributas perquàm egregiè ſæpiſſimè ſuſtinuit, id tamen aliquoties obſervavi, quòd ſanguinis ſputum in exiguâ quantitate in utroq; ſexu, ætate vegeta, in non prædiſpoſitis ejus uſum ſit concutum.

Anno 1698. d. 6. April. Uratislavia miſſæ Norimbergam.

OBSERVATIO CXCVI.

DN. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De Peſte fumo propagata.

QUum die XV. April. Elapſi anni *diſputationem* Excell. D. D. *Schelhammeri* collegæ Honoratiſſimi de *peſte* evolverem, legi c. II. § VII. p. II. quod ſub forma fumi nonnunquam contagium fuerit conſpicuum.

Video

Video autem nonnulla hæc negare, aſt in rei veritatem aſſerere queo, quod cum anno 1666.67. peſtis Friſiam orientalem depaſceret, crebro homines fide dignos viderint, quomodo fumus cœruleus à domo ad domũ transvolaret, & in domo illa, in quam hic fumus ingreſſus, vix aliquis in vita remanebat ſuperſtes, ad minimum omnes corripiebat. Mater mea piæ memoriæ, cujus domum & familiam Benigniſſimus Deus contra peſtis contagium defendit, non ſemel mihi ex Academiis domum reverſo narravit, quomodo viderit fumum cœruleum ædes ſuas prætervolantem, & in proximorum ædes ſeſe inſerentem, ac in iſtis homines vel ægros feciſſe, vel & prorſus necaſſe. An autem ille cæruleus fumus fuerit congeries aut agmen minimorum animalculorum, ut quidam cum *Kirchero* volunt, non temere aſſerere auſim, licet in affirmativam inclinet animus meus.

OBSERVATIO CXCVII.
DN. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI,
De menſtruis alvo excretis.

Puella contumaci menſium laborabat ſuppreſſione; ne tamen natura ſub iſtius excernendi ſanguinis cruore ſuccumberet, una cum alvinis fæcibus aliquam ſanguinis quantitatem excernere ſolita eſt, ſic & hoc modo naturæ ſatisfactum, ut quæ ſemper ſuæ conſervationi ſtudet.

* * *

OBSERVATIO CXCVIII.

Dn. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De partu numeroſo.

QUædam in oppido *Cappelen* femina tres liberos maſculos uno partu enixa eſt, audito hoc partu, maritus temerè in hæc erupit verba, *futuro anno quatuor*! dicto facto, altero anno quatuor ſimul peperit, ſicque unius anni ſpatio ſeptem liberorum mater facta eſt.

OBSERVATIO CXCIX.

Dn. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De phthiſi ſingularia.

QUod interdum phthiſin circa extremum morbi terminum mira & moleſta comitentur ſymptomata, Medici frequenter experiuntur, ſicque aliquando, cum adhuc praxin *Buxtehudæ* in Ducatu Bremenſi (olim ante pacificationem Oſnabrugenſem, Epiſcopatu) quandam phthiſi laborantem feminam tam atrox pedum dolor invaſit, ut ejulatibus ejus vehementiam & cruciatum proderet. Sicque hoc anno 1698. acceſſitus ſum ad cujusdam centurionis conjugem phthiſi laborantem; hæc duabus ſeptimanis ante ex hac vita diſceſſum in *Bulimiam* incidit, ita ut cibis vix ſatiari poſſet, hominibus ad eam inviſentibus conquerebatur, ſibi à marito non ſatis concedi cibi, ita ut fame mori oporteret. Quod tamen falſiſſimum, nam mari-

maritus erat benigniſſimus erga eam, præterea averſabatur omnes homines, & eos, quibus cum aliquantum temporis ſpatium familiariſſimè fuerat converſata, & eorum conſuetudine uſa. Imò nec præſentiam ſui mariti aliàs ſibi chariſſimi illique maxime abblandientis ferebat, usque ad extremum, cùm vox & loquela & viſus propter imminentem mortem deficerent, cibum appetiit & me lecto aſtante comedit.

OBSERVATIO CC.

DN. D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI.

De Olfactu deperdito.

CUm annum IV. Decadis III. evolverem, incidi in *Obſervationem* pag. 7. quam Hafnia perilluſtris Dn. *Francus de Franckenau*, Archiater Monarchæ ſeptentrionalis Chriſtiani V. meritiſſimus ad Academiæ noſtræ proceres transſcripſit de odoratu deperdito. Cui hiſtoriæ ſequentem jungo, vivit in hac noſtra Holſatia verbi divini miniſter, hic omni omnium olfactu adeò privatus eſt, ut nihil tam fœtidum, vel fragrans ejus naribus adhiberi poſſit, unde vel minimum odoris judicium percipere valeat. Et queritur inſuper de diminutione guſtus. Extremas ſaporum differentias, ut ſunt dulcia, & acida, amara quidem dignoſcit guſtu, verum intermedios vix diſtinguere novit: metuit ergò ſibi ne & ejus jacturam & privationem aliquando patiatur. Dicit ſe naribus ſuis admoviſſe caſtoreum, ſal volatile, & aſam fœtidam, aſt nihil fœtoris aut odoris ſenſiſſe. Arbitror defectus iſtius odoratus cauſam eſſe collocandam vel in oſſis

cribriformis obſtructione vel in proceſſuum mammillarium obductione phlegmate, vel & quod hi ſenſibilitate ſint privati; utraque pars, vel alterutra ſedes olfactus ſtatuitur. Mihi magis veroſimile (ſalvo aliorum judicio) videtur, quod os cribriforme olfactus ſit ſubjectum primarium, ejus enim perioſteum, quo obductum, matris piæ ſoboles & portio eſt. Hinc illa exquiſita odoris perceptio in naribus. Verùm quæri poſſet, an hominis cerebrum, vel potius ſpiritus, qui laborat olfactus defectu, admota fragrantia nihilominus confortentur? ℞. Nobis affirmativa arridet, quoniam fragrantium rerum vapores nihilominus cerebri arcem petunt & penetrant, ita & cerebrum & ſpiritus corroborare & refocillare queunt: niſi omnes ductus ad cerebri arcem ſint oppilati. Talem autem omnium ductuum ad cerebrum in vivente homine non poſſe dari, nobis omninò perſuaſisſimum eſt.

(*Miſſæ Kilia Norimbergam d. 18. Aprilis Anno 1698.*

OBSERVATIO CCI.

Dn. Lic. BARTHOL. JOHAN. OTTONIS HANNEMANNI.

De Contractura crurum in ſcorbutico mirè averſa.

STudioſus quidam juris, ſcorbutico morbo diu detentus & ultra ſemeſtre ſpatium, ejus Tyrannidem adeò gravem ſenſit, ut vix ſeſe erigere amplius valeret, accedentibus atrociſſimis convulſionibus, quas acriores diuturnitate morbi redditi humores excitabant.

bant. Præcipuè autem crus utrumque magna vi ſurſum ad ventrem convulſum, metum perpetuæ contracturæ cruris utriusque faciebat, quam etiam vix effugiſſet, niſi ſoror ejus virgo nubilis, cruribus ejus inſidendo, illaque per integrum diem ferè vehementius premendo, convulſionum vehementiam repreſſiſſet, unde tandem æger ſuperior & ſine ulla contractura ſalvus evaſit.

OBSERVATIO CCII.

Dn. Lic. BARTHOL. JOHAN. OTTONIS HANNEMANNI.

De Sudore unius lateris à Venere intempeſtiva.

VEnerem rectè matrem ſævam ab Horatio vocari ob multos affectus & morbos, qui præter riſus jocosque eam comitantur, ſeq. hiſtoria ab amico mihi familiarisſimo & ἀξιοπίστῳ mihi relata, confirmabit. Juvenis quidam, cui Venus hactenus intentata fuerat, cum aliquando Glyceræ cujusdam nitore ureretur, & grata ejus compede detentus, prælia acriter miſceret, hoc retulit brabæum, ut poſt id tempus priſtino vigore deſtitutus, ſumma ſemper virium debilitate laboraverit, unà cum hoc ſingulari phænomeno, ut quoties vel leviori exercitio incaleſceret, media pars corporis à fronte usque ad talos ſudore maderet, altero latere omnino ſicco manente; ita ut ſæpius miro illo ſudore rei infeliciter in caſtris Cupidinis geſtæ memoriam renovaret. Cui an quid ſimile obſervatum ſit ab aliis, neſcio.

OBSER-

OBSERVATIO CCIII.

Dn. Lic. BARTHOL. JOHAN. OTTONIS HANNEMANNI.

De Paſſere piſce grandinoſo.

PIſces præ reliquis animantibus ſalubriores habitos fuiſſe à veteribus, atque ab omnibus morbis immunes judicatos, ex eo patet, quod hominem ſanum piſcis inſtar valere communi proverbio dicerent. Quod proverbium minus verum eſſe, imò piſces quoque noſologiæ quam *Celeberrimus Polyhiſtorum Welſchius* inter deſiderata medicinæ collocat, ſubjiciendos eſſe virorum ſummorum obſervationes oſtendunt. Quarum granaria ſi ex cumeris noſtris augere fas ſit, unicum producam paſſerem, ex illorum quidem genere, quos Cimbri noſtri Gold⸗Butten vocant. Talem enim Anno proximè elapſo d. 17. Julii, cum æſtus vehementior urgeret, à fœmina paupercula vivum inter complures alios quos cœnæ parabat, vivos repertum, mihi allatum memini. Erat enim multis grandinibus albis tum in cute, tum in ipſa carne, tum ipſis etiam oſſium interſtitiis obſitus, ab ore ad extremitatem caudæ usque. Quæ ulcuſcula preſſa vel acu aperta, pus album & craſſum, & vermiculari figura præditum, ſine ullo tamen fœtore emittebant. Cœterum cum nihil prætereà inſoliti præ ſe ferret, caro fiebat eſca, cujus ſtomacho, cum non curaret, quali perfuſus eſſet olivo, nulla faſtidia commovit.

(*Miſſæ Kilia Norimbergam cum Obſervat. Exc. Dn. Parentis.*)

OBSER-

OBSERVATIO CCIV.
Dn.D. JOHANNIS CHRISTIANI MENTZELII.
De Noxa Mercurii ſublimati externè manibus applicati.

MEdicina ubique ferè periculi plena eſt, & expertiſſimi Practici nihil mali ſibi metuentis, famæ ſæpius macula inuritur, leviſſima enim vomitoria & purgantia, tantam hypercatharſin nonnunquam inducere ſolent, ut de vita actum fuerit, niſi appropriatis medicamentis ſuccuratur, imò tutiſſima & expertiſſima medicamenta niſi in juſta doſi & opportunè adhibeantur, & ſagaciſſimum fallere ſolent, nihilominus tamen à circumforaneis & hujus furfuris hominibus in ægrorum valetudinem quotidie debachatur, ut videas unum poſt alterum è vita diſcedere, errоremque medicaſtrorum terrâ tegi. Non multa dicam de pulvere Munckiano, per totum ferè orbem noto, qui â multis laudatur à plurimis autem vituperatur, multosque vitâ privavit; jam ſaltem caſum carbone notandum, proponam, ut videant Neo-Practici & Chirurgi, quibus aqua mercurialis in frequenti & quotidiano uſu eſt, quàm periculoſiſſimum ſit, & in hac, modum & limites excedere, licet externis partibus applicetur. Mulier quædam viginti duorum añorum dum utero gereret, appetitu depravato ſive picâ laborabat, tam enormi, ut inter varia & abſurda inuſitata etiam ſingulis dieb' aliquot cochlearia ſalis communis ſive culinaris devoraret, nihilominus fœtum enitebatur vegetum & ſanum,

poſt partum verò omnium membrorum laſſitudinem cum appetitu proſtrato ſentiebat, per totos dies prope fornacem calefactam, ob nimium frigus omnia membra occupans, tempus terebat, licet æſtas eſſet & Sirius arderet, tandem impetigine ferâ per totum caput & manus fœdabatur, ut leproſam eſſe putares, rurſus autem gravida facta, ſymptomata omnia remittebant, totumque geſtationis tempus ſat commodè tranſigebat; poſt puerperium verò Impetigo redintegrabatur, ambasque manus, cum continuo pruritu, digitorum tumore & dolore occupabat, & quotidie latius ſerpebat ſeque extendebat, unde curæ Chirurgi cujusdam hujus loci non ex gregariis, ſed ſatis experti, ſe ſubjiciebat, qui varia externa & unguenta & emplaſtra, ſed incaſſum explicabat, hinc aquâ mercuriali ex calce vivâ & mercurio ſublimato, facta, aliquid tentare ſecum meditabatur, illamque linteis in eà madefactis, ſummo mane ambabus manibus applicabat, & poſt duas horas reiterabat, quo facto, circa meridiem, enormibus doloribus & cruciatibus ægra torquebatur, ita, ut animo aliquoties linqueretur, unde Chirurgus errorem ſuum percipiens, aquâ aliâ temperatâ dolores lenire ſtudebat, ſed laterem lavabat, nam ſymptomata ſingulis momentis ingraveſcebant, poſt meridiem ego accerſebar, ut pro viribus & conſilio & auxilio ægræ ſuccurrerem, quæ præter continuas lipothymias magnum patiebatur faucium & gingivarum tumorem, anxietatem circa præcordia, acutiſſimum ventriculi dolorem, cum nauſea & continuo & moleſtiſſimo conatu ad vomitum, lancinantia & intolerabilia inteſtinorum tormina, teneſmum continuum cum

copio-

copioſiſſima ſanguinis dejectione, ita ut omnes de ægræ vita actum putarent; obſtupui certè cum ægram in ſtatu hoc deplorato invenirem, nihil enim de mercurii ſublimati externo uſu ſubolebam, donec Chirurgus quicquid actum erat, mihi ſciſcitanti fatebatur; ſine mora itaque curam aggreſſus ſum & varia cordialia & Alexipharmaca ex Theriaca Andromachi, Theriaca cœleſti, terra ſigillata, cryſtallo præparato, oculis cancrorum, coralliis, & aliis acidum mercurii ſublimati deſtruentibus & abſorbentibus, præſcripſi, dolorem inteſtinorum & teneſmum clyſteribus ex lacte vaccino dulci & oleo amygdalarum dulcium frequenti injectione temperavi, faucibus gargariſmate emolliente & leniter adſtringente ſuccurri, abdomen appropriatis unguentis & oleis inunxi, & ſic effeci ut ſubſequenti die ægra meliùs reſpiraret, menteque magis conſtaret, ſaliva tamen continuò ex ore fluebat, ſiquidem lingua tumida undique ulceribus latis obſita erat, gingivæque ſanguinem ſummo cum dolore fundebant, continuatô tamen, præſcriptorum medicamentorum uſu, intra breve tempus & ſalivatio & reliqua ſymptomata ceſſabant & evaneſcebant, ægraque è cymba Charontis quaſi erepta, ſibi optime reſtituebatur.

(*Miſſa Berolino-Norimbergam d. 28. Aprilis Anno 1698.*

OBSERVATIO CCV.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI. Anatome Pueri Phthiſici, latentibus in Corde Polypis.

NOvem circiter erat annorum: *conceptâ* Anno 1696. m. Auguſto, *ex canicidio diebus canicularibus ſolito nauſeâ*, carnes ſe per tres ſeptimanas non guſtaturum prædicit. Dictum factum, cibos omnes averſatur, & in *febrem* incidit, quam d. 7. Aug. quô advocabar ardentem cognovi. d. 9. veſperi in *Diarrhæam* incidit, quæ *cùm anorexia* cibi & potûs ad d. 12. perſeveravit. Potum ſi quem admittebat, frigidum & tenuem eſſe oportebat. d. 13. *ſtranguriam* paſſus eſt, *recrudescente Diarrhœâ*, ſed mitiori. Ad hæc mala d. 20. ἀφωνία acceſſit, quam d. 3. ſept. hora prima noctis cum morte commutavit.

APERTO VENTRE cutis atque macies. *Peritonæum* craſſum: In *Ventriculo* colluvies nigra: *Pylorus* protenſus & quaſi relaxatus: *tenuia Inteſtina* livida: *Colon* inflatum: *Veſicula fellis* diſtenta; bilis partem hepatis & coli tinxerat; fluida, niſi quod mucus eſſet intermixtus: *Hepar* colore ſubpallido: *Lien* ſ. n. *Renes* ſ. n. nullo arenularum indicio: *Veſica* incisâ intimæ tunicæ pars ſugillata comparuit, & hinc inde per eandem nigricans ſanguis transparebat; tunicâ vero diſſectâ grumuli erant ſanguinei, qui cum compage ipſius Veſicæ tam arctè coaluerant, ut eximi aut avelli non poſſent.

THORACE PATEFACTO *Cor* in *auricula dextra* & *arteria pneumonica* Polypos variæ ſubſtantiæ, magni-

magnitudinis, & figuræ exhibuit; Ex *ſiniſtri ventriculi aorta & vena pulmonali* albos latorum vermium, ſ. tæniarum in modum concretos eduxi. Una *valvularum ſemilunarium ſiniſtri* glandulam monſtrabat, quam limbo ſuſpenſam complectebatur. *Pulmonum* ſacies exterior nodoſa; inciſi nodi pus album effudêre; alicubi tumor ſcirrhoſus advertebatur.

Uſus ex Anatome Pueri phthiſici, latentibus in Corde Polypis.

I. Prudentia Magiſtratus requirit, ut *Canicidium* Carnificibus iſtâ conditione permittatur, ne ex cadaverum conſpectu, aut ex ipſa percuſſione malum aliquod civibus eveniat; certum itaque tempus definiendum foret.

II. *Conſternatio & adverſio animi* quantum in cachectico corpore poſſit.

III. *Tusſiculam levem* mater in tenello advertit ſemper, reprehenditque, perſuaſa non pulmonum ſed morum vitio accerſitam; anatome oſtendit infarctum puris, albiſſimi licet & concocti, in cauſa fuiſſe.

IV. Nec tamen *Pulmonum ſuppuratio* exitio fuit, ſuperaſſet citra dubium id genus mali, ſi in tempore adhibita fuiſſent remedia; benignum enim pus facile fuiſſet eliminatum, rediiſſetque Pulmonibus ſanitas, ſi juſtâ diætâ inſtitutâ, balſamo dulcis ſanguinis fuiſſent deliniti.

V. *Sanguinis intemperiem* magis exitio fuiſſe judico.

VI. *Intemperies* etiam *ſanguinis ad Polypos* contulerit;

tulerit; quamvis *frigidus avidè hauſtus potus* magis in culpa fuerit; Pueris enim ad æſtum potum ingurgitare pernitioſiſſimus mos eſt.

VII. *Macies* ex turbato ſanguinis circuitu, Pulmonum æquè ac cordis vitio.

VIII. Cui *ſugillatam Veſicæ intimam tunicam* adſcribam, prorſus ignoro: per injectionem vias explorare non fuit conceſſum: atque mictio ſanguinolenta, cum Iſchuria & ſtranguria, non unâ vice plusculis diebus ante fatalem morbum, miſellum excruciarat; neque tamen calculus aliquando ab ipſo excretus memorabatur. Sanè & iſto, quo extremùm decubuit, tempore pudenda contractans ſæpiusculè, dolorem in his partibus indicabat; idque calculum veſicæ ſuſpicati ſumus, quum & Parens iſti malo ſuccubuerat. *Acrimoniæ ſanguinis an ſugillatio adſcribenda*, judicent alii, quamvis me eò propendere fatear.

IX. *In valvula ſemilunari ſiniſtri Ventriculi Cordis glandula* p. n.

OBSERVATIO CCVI.

DN. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI, De Mola.

ANno 1697. Matrona honeſta, triginta aut plurium annorum, multorum liberorum parens, facili ſemper *partu*, & hôc *ſingulari*, quod eundem *nulla ſanguinis profluvia aut lochia* inſequantur, ſe enim Puerperam negat hoc judicio deprehendi poſſe: Temperamenti alioquin optimi, niſi quod aliquot annorum ſpatio variis intervallis præcordiorum anxietates in ſiniſtro latere perſentiſcat. Hæc ceſſante menſtruo tri-

tributo, per trimeſtre ſpatium, templum die 2. Febr feſtivo ingreſſa, aliquid *ſanguinis* ex muliebribus ſtillaſſe advertit; *ſequenti die Solis*, quum cultui Sacro rurſus intereſſet, denuo *ſanguineas ſtillas* ſentit. Neque tamen ægrè illud ferre, utut ſubtilius amictam intenſum frigus affecerat. d. 6. demum cum angore & deliquio *profluvium* patitur, quod d. 7. gravius extitit, excreto ſimul *cruore.* d. 8. à prandio advocatus pallentem ſupra modum & vix reſpirantem inveni. Nimirum, uti poſtea referebat, quoties portio ſanguinis excernebatur, deliquiis & anxietatibus iſtis premebatur. Excreta, affusâ tepidâ, perluſtravi, oſtendique non merum ſanguinem, ſed *laciniosſam partem eſſe molæ*; *coagulatus* enim *ſanguis tunicis pluribus* arctè concreverat, ut tepidâ nequaquam ſolveretur. Sed quum pulſus & inquietudo aliæque circumſtantiæ conatum plura excernendi arguerent, adhibito *Balſamo Embryonum & Vino Rhenano* ad firmandas ægræ vires, aquâque calidâ ſellæ ſuppoſitâ, pedibusque adverſus frigus munitis, ſumtâ *Tinctur. Corallior.* cum *Aq. Cinamomi* ſ. urgeri ad excretionem aliorum cœpit illicô, prodiitque *monſtrum horrendum*, ſed non *ingens*, *cui tamen lumen ademtum. Mola* erat *murem corporis mole referens*, ut tamen *roſtrum porcellino ſimilius* oſtenderit, *pedibusque & cauda* eſſet *deſtituta*: *Rudis indigeſtaque moles*, ſubrotunda, altero extremo globoſo, altero propendulo acuminato, medio ventriculo prominulo. Quum *pingui cuticula* eſſet *obvelata*, concretam pinguedinem primus obtutus volebat; ſed *cultro omnia luſtrans*, *coagulum ſanguinis obſervavi pluribus tunicis, fibris, vaſis, intertextum, intermixtis & albis. Offendi*

& ve-

& veſiculam intus hærentem, quæ inciſa, non humorem ſed gelatinam dabat. Idem culter patefecit, quod ex *ſanguine condenſato* natura *diverſos lobos inſtar muſculorum* prius conſtruxerit, quos deinceps in unum corpus compegit, affigens *tunicas*, ut alienus hic fœtus non prodiret nudus: *Ex diverſis* enim *muſculis, membrana ſua inveſtitis, contextum, quaſi opus carneum* monſtrabat, *niſi quod laxioribus fibris, coagulo ſanguinis intercedente*, corpori juſtum *parenchyma* conciliari necdum potuerat. Editâ *Mola* ſanguis parcè, & citra dolores ſubſequi cepit, oleumque amygdalarum dulce cum pulvere cordiali pretioſo, ceſſit in remedium, Deoque opitulante convaluit.

Uſus ex Hiſtoria de Mola.

I. *Generatio* Molæ *eadem* fermè quæ *Polypi*: ex ſtagnante ſanguine feroſum diffluit, aut abit, cum parte magis fluida ipſius ſanguinis, fibroſum verò reſtitat cum mucoſo; novis acceſſionibus novi accreſcunt lobi; Calor verò ſuperficiei inducit tunicas: ſed de his aliquando plenius mentem noſtram exponemus.

II. *Sæpè caſus dat quod conſilium non inveniat remedium.* Quo enim conſilio, niſi temerario & præcipiti, quod cum vitæ periculo fuiſſet conjunctum, hanc molam loco ſuo dimoviſſes? Imò quî in Matrona iſta molam conjecturâ aſſecutus eſſes?

III. *Frigus abortus cauſa*, in noſtra etiam monſtroſi.

IV. *Quæ* ſolùm ab auritis teſtibus *de monſtroſis editis corporibus variè referuntur*, illis parùm fidei tribuo. Aniculæ, quibus hæc viſa mola, aliæ muris, aliæ porcelli, aliæ canis memorabant ſpeciem. Nugæ nugaciſſimæ.

OB-

OBSERVATIO CCVII.

DN. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

Anatome Pueri Hydropici & Phthiſici.

PUer decem circiter annorum, poſt longa morborum variorum tædia, *Arthriticus*, *Hydropicus*, *Phthiſicus*, ipſo die *Æquinoctii Verni* circa XI. meridianam, Anno 1697. defunctus eſt.

INCISO ABDOMINE ad lineã albam, licet multum aquæ effluxerat, eidem tamen inteſtina adhuc im̃erſa vidimus; Sed & *in pedibus* atque *femoribus* muſculi ubiq; lymphâ diſtenti; *dextrum latus* lumborum *Gangræna* invaſerat, articuli digiti profunditate, binis in locis nigris puſtulis, carneque nigrâ, cum ſeri guttis aliquot conſpicuis: *Pinguedo ſub cute* aqueis rivis uda, *gelatinoſa* paſſim; pariter totus *muſculus abdominis transverſalis ſiniſtri lateris gelatinoſus* comparuit: *Omentum* membranoſum, pinguedine omni exutum, ad Umbilicum usque propendulum: atque *colon* à ventriculo ſeceſſerat, pollicis latitudine, omento membraneo utrinque pendulo: *Hepar* ſurſum verſus, ſe contraxerat, *crepidine ſiniſtra* ventriculi exiguam partem obtegente. *Inteſtina tenuia tribus in locis convolvulus* diſtinxerat; unius *portio intruſa* duos, alterius $1\frac{1}{2}$, tertii unum articulum longitudine emetiebatur: educi facilè poterat illapſa pars, ſed in uno loco præ altero facilius; exterior convolvuli portio erat turgidula & ſanguinolenta, tumoris etiam in extracta manente veſtigio luculento: *In quodam tenuium lumbricus* $1\frac{1}{2}$ ſpi-

ſpithamæ longitudine commorabatur, quem aqua calida vivum monſtravit.

PATEFACTO THORACE, exemtis *inteſtinis*, & *diaphragmate* præciſo, reliqua viſcera junctim demonſtravi: *circa Veſicam, arteriarum Umbilicalium* in ligamentum degenerantiū ſupererant indicia; quemadmodum & *Vena Umbilicalis* ligamentoſa ad ſuſpenſorium hepatis animadvertebatur. *Hepar* aliquam partem erat leviter ſcirrhoſum: *Veſicula fellis* alba bile fluidâ; *nec* tamen *ex veſicula ad Cholidochicum* communem ſtilo dabatur iugreſſus, ſed *nec ab orificio* ex duodeno *in veſiculam*, atque diſſecto cholidochico communi usque ad confinium hepatis, quod ſubintrat, *nullam Cyſtici inſertionem* adverti: Stilus orificio intruſus, à cholidochico ad hepar ducebat. *Pancreas* juſto durius: *Lien* ſ. n. *Renes* ſ. n. niſi quod magni, faſciâ pingui carentes. *Cor* aliquid monſtri portendebat *magnitudine*; *longitudo* à baſi ad conum duarum erat palmarum; *latitudo* baſis ſex, *altitudo* quatuor digitorum transverſorum. *Pericardium* craſſum, *dextroque ventriculo* arctiſſimè adhærens, neque à *ſiniſtro* niſi κατὰ δάρσιν illud ſeparare potui. *Inciſo dextro ventriculo* omnia intus connexa & concreta deprehendi, *exigua cavitate* relicta; quippe ſanguis firmiter columellis implicitus, nullo modo ex reticulato opere laterum eximi poterat: Neque tamen in carnem coierat ſanguis, ſed grumis nigris firmiter cohærebat; quæ partes, magnæ ſanè, *ex cava* & *arteria pulmonali* extrahebantur, inſtar *Polypi* coaluerant. *Siniſtri Vertriculi cavitas* major, ſanguis etiam exemptu facilior; *ex aorta*, quæ protrahebatur maſſa anatinum ovum ſuperabat, hepatis ſubſtan-

ſtantiæ æmula. *Valvulæ* ampliſſimæ, ſesqui unciales *mitrales*, *ſemilunares* aliquanto minores: *utrarumque craſſæ membranæ*, albæ, minimè tranſparentes, rugoſæ inſuper ſive criſpæ & firmæ. *Pulmonum ſiniſter* Pericardio, pleuræ, ſterno undique annexus erat, *dextro* aliquantùm liberiori: in diſſectis purulentia, ſcirrhus grumi ſanguinis, reliquo parenchymate exangui. *Thymus* ſ. n. magnus arteriam aſperam ſuperimpoſitus occultabat.

Uſus ex Anatome Pueri Hydropici & Phthiſici.

I. An ex hac hiſtoria de Criſi Æquinoctii aliquid ſtatuendum? ego iſtiusmodi caſui deputo.

II. Hydrops & Phthiſis affines morbi.

III. Hydropici Gangrænæ & ſphacelo obnoxii.

IV. Ante aliquot annos in Xenodochio majori me præſente militi *pes gangrænoſus* à Chirurgo amputabatur; ſed quum amputati pedis *muſculos* ſepararemus, *in gelatinoſum unum & alterum* incidimus, unde mortem ominabamur, quum malum ultra ſectionis terminos proſerpſerat. *Gangrænæ* itaque hanc *gelatinoſam* in hoc noſtro *carnem adſcribo, non Hydropi*; quippe miles iſte nullâ Hydropis ſpecie laborabat.

V. *Convolvulo* licet hujus inteſtina tribus locis correpta eſſent, alvus tamen ſuum officium fecit; nimirum non prorſus omnem viam convolvulus obſtruxerat.

VI. *Convolvulum* in noſtro non niſi à flatibus arceſſendum puto.

VII. *Pericardium cum Corde coalitum. p. n.*

VIII. *Polyporum Cordis primordia.*
IX. *Phthiſici polypis Cordis obnoxii.*
X. *Cordis amplitudo. p.n.*
XI. *Dextra Ventriculi cavitas. p.n.*
XII. *Valvularum amplitudo & craſſities. p.n.*

OBSERVATIO CCVIII.
DN. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.
Anatome Septuagenariæ, quæ profluvio Sanguinis laborans per Muliebria vermem excreverat.

Anno 1697. d.1. Maji Viduam ſeptuaginta aut plusculorum *annorum* inviſebam; conqueſta illa aliquot menſes *de Sanguinis per muliebria profluvio*, quod quidem inducias concedebat, ſed ut rediret infeſtius. Atque *eodem die* multum *grumoſi Sanguinis* excreverat: cum Sanguine autem unà prodierant *laceræ tunicæ vel laciniæ*, quales molæ; prodierat & *vermis lumbriciformis* ex Sanguineo carneo limoſi coloris, capite compreſſo, quum reliquum corpus teres eſſet: *Exc. Dn. D.* WOSEGINIUS *Academiæ & Facultatis Medicæ Senior Venerandus*, incertus hærebat, an vermis eſſet; quo intentius omnia rimatus ſum, & nullis laciniis adhæſiſſe corpus conſpexi, ſaltem ſecundum longitudinem *plures ſulcorum ductus* adverti, *partemque* extremam alteram ex tereti *acuminatam* adſtantes domeſtici *ſigna motus* ſe in eodem obſervaſſe atteſtabantur; Ipſe verò fruſtra aciculâ illud expertus ſum, & calida non erat ad manus: ſpithamam æquabat longitudo. De-

Defunctæ autem d. 11. Corpus anatomæ patuit; ABDOMINIS cutis, pinguedine conſumtâ, qvum obeſa fuerat, tota corrugata pubem obtegebat; Inciſum detexit illico *inſignem tumorem* melonis grandioris magnitudine; *ſuperficies tumoris* maculas *gangrænæ* ſparſim oſtendebat; *Colo connexum tumorem* advertebam, ſed quod mole ſuâ reliquis inteſtinis incumberet, non diſcernere potui ſedem propriam, donec evolutis inteſtinis ipſam *valvulæ regionem, quâ Ileum Colo inſeritur, occupaſſe* detexi. *Cœcum* juxta ſitum erat, membranâ ſuâ *Colo* annexum, ſ. n. pennæ olorinæ craſſitie, & vacuum. *Inteſtini Ilei* Colo affecto *proxima portio* pariter p. n. *intumuerat*, ad craſſitiem pollicis *denſa*, atque ſectioni *duritie* quaſi *tendinoſa* renitens. *Per* externam *ſuperficiem Tumoris Grandioris Scorbiculi duo* memorabiles occurrebant, qui pinguedinem quaſi coacervatam fovebant, propendulis hinc inde laciniis pinguibus: In ipſa vero pinguedine & culter & manus duritiem quandam offendebat cartilagineam. *Inciſi tumoris* ſumma *craſſities* trium quatuorve digitorum transverſorum erat; quæ intus ſuberat *cavitas* colluviem mucoſam ex pingui ſanguinolentam complectebatur; ſimilesque hinc inde *acervi pinguedinis* laciniosæ, ſub qua ſectione *durities Cartilaginea* manifeſtò deprehenſa. Nolui cultrum in cavitatem *Coli* aut *Ilei* adigere, qvum adſtantium conditio fœtorem non ferret; attamen *de alvo obſtipata nunquam, ſed de dolore* circa umbilicum *Abdominis* defuncta, aliquoties *conqueſta* fuit. Dum verò *Abdomen* patefecimus, *multum ſeri & ſaniei* in illo conſpeximus.

Renes autem accuratè exploravi, quando Exc. *Dn. Collegam* perſuaſum adverti, quod excretus *lumbriciformis vermis in illis ſedem* habuerit: *Siniſtrum* prius eduxi, ſemotâ faſciâ pingui; ſ. n. autem omnia, parenchyma ſolidum, pugni mediocris magnitudine; inciſi pelvis, carunculæ, caro, nil vitii monſtrant; nullum ſcirrhi, calculi, arenularumve indicium: eisdem notis intus & extus *dexter* ſe ſpectatoribus probavit ſanum. *Veſicæ* autem facies exterior nigricans & livida, *gangrænaque correpta, qua parte à tumore* memorato *attingebatur*: diſſecare eandem oblitus ſum, ſed quod à pubis oſſe non patiebatur ſe avelli, manibusque violenter arrepta non laceraretur, cœtera ſanam judicavi. Contra ea quum *Uterum* ſupra inteſtinum rectum recumbentem intruſâ ad cavitatem oſſis pubis manu contrectarem, *craßitiem ſolitam minimè* deprehendi, nec niſi *mollem membranam* mihi palpare viſus ſum, quæ & inter palpandum *partim diffluebat ac lacerabatur*; adeoque non potui penitius matricem inſpicere.

Uſus ex Anatome Septuagenariæ quæ per Muliebria vermem excreverat.

I. *Vermem fuiſſe*, licet *mea fide omninò adſtruere non valeam*; qvum laciniæ ſcrupulum injiciunt; neque vermiformes molas dari repugnat; atque color luridus putrefactum Sanguinem arguit; ſulcorumque in longum ductus, ex quibus unus profundior medium quaſi dividebat, vermium ſpeciei minus conveniunt: *fidem* tamen *aliorum ſecutus vermem aſſerui*, quan-

quando pleraque ita credere jubebant; neque abſurdum Vermes in Cavitatibus quibusvis generari.

II. Ut primùm autem eum contuitus ſum, *Renum fœtum non eſſe* judicavi; etenim qvum *in Canibus* non una vice *Renales Vermes* obſervarim, unà obſervavi ab ingrato hoſpite ita corrumpi hoſpitium, ut nullus in ureteres pateat ingreſſus; exeſo enim, aut contabeſcente Parenchymate, Renes in craſſam membranam abeunt: conſulantur *hiſtoriæ*: quamvis & color renalium vermium longè vivacior.

III. Qualiscunque fuerit *fœtus, ſive Vermis, ſive Mola Vermiformis, Uteri fuiſſe oportuit*, qvum Renes & Veſica nihil vitii detegerent.

IV. Præſertim quod *Hæmorrhagia Uteri* ipſum in lucem protruſit.

V. *Vetulas Hæmorrhagiæ Uteri obnoxias* hiſtoriæ ediſſerant; & mihi *Praxis* Sexagenarias, Septuagenariasq; hoc malo, citraque ullam calculi vel renum vel veſicæ ſuſpicionem, laborantes obtulit.

VI. *Cauſa hæmorrhagiæ Uteri in noſtra* videtur fuiſſe exulceratio gangrænoſa.

VII. Quæ autem *tumoris* iſtius *grandioris cauſa in colo* fuerit, divinare magis eſt quàm aſſerere, an obſtructio valvulæ coli? aut excrementorum in iſto confinio induratorum violenta expulſio? aliis cogitandum relinquo.

VIII. *Cavernulæ, pingues acervi, cartilaginea durities tumoris* iſtius facilius ex coli natura, quæ in iſta degeneravit, deduci poterunt; inciſa enim coli pinguedo, valvulæ, omnibus patent.

OBSER-

OBSERVATIO CCIX.

DN. D. PHIL. JAC. HARTMANNI.

De Tumore Teſtis gemelliparæ ſingulari.

ACutiſſimis cum doloribus miſerè tempore graviditatis conflictata, marita aliquot annorum, *difficili* ſemper *partu*, *fatalem gemellorum* Anno 1697. d. 20. Maji ſubiit, tribus enim à partu filii filiæque horis exſpiravit: *Placenta unica* fuit, *funiculis* trium digitorum transverſorum ſpatio à ſe invicem diſtantibus.

Mihi *dexter Teſtis* conſpiciendus oblatus; *Tumorem* hic *præ ſe ferebat totus*, magnitudine Pomi Borſtorfferiani mediocris: *Exterius lividæ latæ maculæ*, *Cancroſi corporis inſtar* ramos alicubi expanderant; *Communis membrana Teſticuli in denſam tunicam degeneraverat*, quam incidens facile â reliquo corpore detraxi: *Denſæ* verò huic *tunicæ* ſubſtratum erat *coagulum* quaſi *ſebaceo fibroſum album*; *fibræ* paſſim contextum carnis æmulabantur, ſed ut minus firmiter cohærerent; veluti vitulorum cocta tenuia jejuna inteſtina, preſſuram cultelli à ſe invicem recedebant, & divellebantur. *Semoto coagulo ſebaceo*, *plurium glandularum congeries* in lucem prodiit; *Compreſſæ* omnes, atque *exſuccæ*, *albæ*; plurimas glandularum diſſecui, *omnes* autem *cavas* obſervavi, majori, aliarum minori cavitate; *in quarundam cavitatibus ſebacei coaguli modicum* detexi. *Cohærebant* autem hæ *glandulæ inſtar uvarum paſſarum in racemo*, *inæqualis figuræ* omnes,

nullæ

nullæ rotundæ: In confinio alæ Veſpertilionum *in fibras carneas pedunculis ſuis deſinebant*, intercurrentibus vaſis ſanguineis.

Uſus ex Hiſtoria de tumore Teſtis gemelliparæ ſingulari.

I. Quando omnia ex ovo generari, noſtri ævi Curioſitas aſſertum ibat, ego quoque innumeris anatomis omnis generis animalium, omnis ætatis, & conditionis Uteros exploravi, demonſtrationem *de Viviparorum ex Ovo generatione* ritè traditurus, illique *Tractatui* & hujus hiſtoriæ Uſum vindico, *Veſicularis* autem *Teſtium muliebrium natura*, hâc egregriè exprimitur.

II. Quomodo autem *Veſicularum in Muliebribus Teſtibus officium* ſit *non ova, ſed humores excludere*, qualeſcunque ad ipſas à vaſis transmittuntur, puto ex eadem itidem ob oculos egregiè ponetur.

III. Pariter eadem commonſtrat, *prorſus ſemini analogum humorem intra veſiculas Teſtium femininorum recondi*, pingui aëreum.

IV. Quando autem ab *inflammatione* quacunque *membrana communis* fuit *correpta*, *Dextri teſtis* hujus liquor ex veſiculis exſudans, *intus concluſus*, *inſpiſſari*, caloreque Teſtis p.n. partem cum *membrana* compingente, & hæc *condenſari cœpit*; *tumor* autem à novo ex veſiculis erumpente liquore, quousque omnes aditus occluſi, *incrementum* cepit.

V. *Dolorem* partim, ab *inflammatione*, partim ab *intumeſcentia Teſtis* Gravida experta eſt.

VI. Illud autem conjiciendum aliis relinquo,

an ad gemellos ex uno teſticulo ſolum muliebris latex confluxerit; an tempore graviditatis adultæ iſtud dextro Teſti acciderit? Dolebam quod *Tubas Fallopianas* introſpiçere non dabatur, has enim *Maritus Chirurgiæ peritiâ celebris*, eximere neglexerat.

(*Miſſæ Regiomontio-Berolinum, hincque Norimberg. d. 28. April. A. 1698.*)

OBSERVATIO CCX.

DN. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De Figura Nivis & Pruinæ.

QUi in profundo aërei oceani demerſi degimus phænomenorum meteorologicorum admiratores, ſub perpetuo effluviorum è globo in athmoſphæram & viciſſim ab aëre ad terram circulo, particularum aquæ inſenſibilium vaporetenus elevatarum diverſam notamus conditionem, dum ab occurſu frigidi corporis hic infra circa nos ſiſtuntur, quàm cùm in alto vim frigoris experta, iterum ad nos demittuntur. Uterque quidem glacialis aquæ ſtatus albam & conſiſtentem exhibet ſubſtantiam, figura tamen pruinæ & nivis non usque adeò eadem obſervatur, & diverſa hactenus agnoſcitur. Sexangula cadit nix, utut non omnis nec ſemper, multa nihilominus & frequenter, jucundo planè ſpectaculo, non æquè prioribus ſeculis ſ. obſervato ſ. annotato, ac paſſim hodie innotuit. Priorem *Joanne Keplero* qui de iſto phænomeno curioſos admonuerit non novi; nec enim quæ in vita *Peireskii Gaſſendus* & in meteoris *Carteſius* habent,

habent, aliunde veniſſe videntur, quàm ex laudati *Kepleri*, ipſis utique ſatis noti, utut non citati, ſtrenâ. Tam regularis figura, tales ſtellæ, roſæ, filices, lilia, uti floccos nivis à ſimilitudine denominant, in pruinâ communiter non obſervantur, nec vulgò à phyſicis citantur: Quamvis enim pruina quæ præter arbores & ſaxa feneſtras obducit, varias etiam non inelegantes figuras exhibeat, & ad ſui conſiderationem phyſicos invitaverit, deprehenſi tamen fuerunt muſcoſi illi rami & pectines irregulares, unde hactenus à nive ſeparantur, & nullam certam figuram obſervare perhibentur. Quod cùm aliter nonnunquàm ſe habere conſpexerim; de ſingulari pruinæ figurâ monere curioſos & ad conſiderandam ipſam accuratius excitare volui.

Siſtit *Carteſius* inter alias nivis ſpecies ſingularem, quam parvæ laminæ planæ politæ & pellucidæ comparat, ſed tam exactè ſexangulatam obſervat, lateribus tam rectis & angulis tam æqualibus, ut nihil ſimile humanam induſtriam efficere poſſe putet. Cadunt tales hodienum lamellæ, & mererentur clarius delineari ſecundum elegantiſſimam conſtructionem, quam per microſcopium exhibent, cùm non modò nitidiſſimæ & cryſtallinæ ſint, in lateribus & angulis accurate conſtanter determinatæ, ſed & modò limbum ſpeculi ad angulum quaſi retuſum politi, modò auriculatos fortalitii hexagoni angulos exhibeant, aliàs longius ſtrias pinnatas protendant, aliquando etiam in medio depreſſionem, ad ſimilitudinem ferè quandam cuborum ſalis, obtinere videantur. Hanc ex miris nivium figuris haud poſtremam nivi tamen propriam non eſſe, ſed

ipſi cum pruinâ communem, aliquoties binis ultimis annis per hyemem obſervavi: Factum id fuit in cubiculo meo, quod meridiei obvertitur, cujus feneſtræ nocturno dormientium vapore intus obductæ, adeòque ob externum acerrimum gelu totæ pruinoſæ præter muſcoſos illos ramos, & densè ſtipatas quaſi moleculas arenoſas, ſubindè exhibuerunt unum atque alteram lamellam hexagonam, omninò regularem, tam planam quàm depreſſam, cum lineis quoque variè inſcriptis, nullo modo cedentem vel accuratâ figurâ vel nitidâ limpitidate ulli hactenus mihi conſpectæ nivi. Stetit autem talis cryſtallus non tam ſuper ipſum vitrum, quàm potius ſuper plumbum, quo jungi ſolent & detineri orbes vitrei, inter plures quaſi cylindrulos glaciales, qui confertim commiſſuras iſtas occupabant, & quibus conſimiles cum nive tali ſexangulâ delabi ſolere memini. Siſtitur ergò poſt nivem pruina etiam hexagona, & cùm aliàs fortuitò in glacie ſubinde tres decuſſatim poſitæ lineæ ſ. ſex in centro coëuntes radii obſerventur, qualem egregiam ſtellam atramentum in rotundo vaſculo proxima hyeme gelatum mihi exhibuit, jam quoq; ſex lineis comprehenſa figura regularis in pruinoſâ glacie innoteſcit.

Non hîc prolixè excurram ad colligendas variorum ſententias de causâ figuratæ nivis, an, ut *Kepleri* verbis utar, facultas formatrix ſpectet decentiam formalem, excluſura vacuum figurâ circuli ſimilimâ, an verò ex neceſſitate materiali faciat ſexangulum; cauſſam modò quam dedit *Carteſius* & declaravit *Er. Bartholinus* phænomenis applicabo. Supponunt hi nubem conſtare ex nivium glomis rotundis, quaſi echinaceis

naceis ſ. papposis, taliumque globulorum in uno ſtrato ſ. contignatione poſitorum ſex non poſſe non in totidem punctis contingere ſeptimum medium, de quali utique poſitu *Keplerus* etiam cogitaverat: addunt autem calorem liquantem capillamenta, & ventum validè prementem, pro figurandâ nive adeò accuratâ. Ingenioſa utique conjectura, modò cum phænomenis coveniat. Tranſeant quæ *Keplerus* contra ſuppoſitum illud jam movit, pruinæ tamen iſta figuratio talem proceſſum vix videtur admittere. Non licet hîc concipere nivem pruinæ præcedaneam, nullibi comparuerunt globuli nivei, quos ſuperveniens calor liquando capillamenta & explanando ſuperficiem ita figurarit, ſed vel minimæ & inſenſibiles aqueę moleculæ ſub ipsâ gelatione in hanc ſtatim coivére figuram, vel guttula aquea frigore in hanc cryſtallum conſtricta fuit. Siquidem ergò ab eo, quod in tali pruinæ geneſi circa nos obſervatur, liceat argumentari, ad modum figurandæ nivis in alto, uti omninò quidem videtur, tum proceſſus ille non poterit non in dubium vocari, usqve dum concilietur cum noſtro hoc phænomeno, aliisque pluribus aliàs producendis; Ut non Iliada poſt Homerum ſcriberet, ſi quis poſt laudatam Virorum trigam figuras nivis accuratius examinandas ſumeret, maximè, ſi ad id etiam attenderet, qvæ figuræ quo cum vento & ſtatu Baro thermometri, quo ordine cadant, &c. ad quam qvidem perficiendam hiſtoriam meas aliqvot annorum obſervationes lubens contribuerem. Interim cùm celebris Germaniæ Dædalus in catalogo lectionum, qvo meteora, nubes, pluviam, rorem, pruinam ſe exhibiturum promiſit, in parentheſi addiderit, tan-

tum non nivem, ob non imitabilem ut ſuſpicari fas eſt figuram, hanc qvoqve vel tandem exhibitam iri noviter obſervata pruina ſexangula ſpem facit.

OBSERVATIO CCXI.
DN. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.
De Spinachiâ & Urticâ Androgynis.

HErbis flore ſtamineo, à fructu totâ plantâ dirempto, quæ ſexu diſtinctæ habentur, quia ab eodem ſemine ortæ aliæ florem absque fructu, aliæ fructum absque flore producunt, adnumerat *Rajus* olus culinis notiſſimum, quod Spinachiam vocant, idque communi quidem Botanicorum conſenſu, qui eam duplicem, ſterilem & fertilem, marem & fœminam citant, conformiter quoque experimento, quod in epiſtolâ de ſexu plantarum adduxi: Verum enimverò uti aliàs natura modò conſtanter obſervare ſolet ſuum typum, modò à regula quaſi deflectit, ita nec diſcrimen illud ſpinachiæ perpetuum eſt aut univerſale, quin aliquid extraordinarii ſubindè occurrat. Cùm enim aliquoties hortorum areolas ſpinachiâ conſitas accuratius contemplarer, illo tempore quo cauleſcit & fructificat, facilè quidem agnovi, pleraque individua ſexu differre, nihilominus è tanto numero non ſemel unam alteramque plantam exemi, quæ reverà utriusque ſexus particeps, ſimul florem & ſemen in ramulis permixtum exhibuit. Erat facies omninò maris, pallidè flaveſcebat ſpica, tendens jam ad marcorem, cùm fœmellæ illo tempore totæ adhuc virides granis turgerent; ſed præter apices copioſos, quo-

quorum inanes à discuſſione pollinis capſulæ ſupererant, atque adeò inter eos ſparſim quoque ramulis adhæſerunt aliquot grana ſeminalia, minora quidem ſolito, compreſſiora, flaveſcentia, tenuique ſaltem obducta involucro, uno verbo quaſi decorticata, ſuo tamen lacte & recenti germine ſ. ſeminali plantula inſtructa. Deduxiſſem hunc ſive luſum ſive errorem naturæ à coalitione in ipsâ infantiâ duarũ plantularum, ſterilis & fertilis, cùm faveret huic ſuſpicioni caulis latiuſculus: verùm ſub repetito talium areolarum examine plures ſimul apicibus & ſeminibus onuſtas ſpinachias inveni, in quibus tale coalitionis indicium agnoſcere non potui.

Ex uno ergò etiam ſemine naſci poſſe Spinachiam androgynam concludere debui, ut quod aliàs ricino, xanthio, &c. ordinarium, ſpinachiæ caſuale ſit & rarius, modo tamen etiam ſingulari, cum flos à fructu non quidem totâ plantâ ſemotus fuerit, nec tamen, ut aliàs in hermaphroditis reliquis obtinet, vel conjunctus vel ramis ſeparatus, ſed eidem ramulo mixtim uterque adhæſerit. Jungam hâc occaſione Spinachiæ urticam, quam Laudatiſſimus Botanicus primùm eidem claſſi adſcripſerat, poſtmodùm verò in appendice hiſtoriæ inter emendanda monuit, dari androgynam, cùm urticam romanam pilulas ſeminiferas & flores racemoſos ferre obſervaſſet, quod proin aliis etiam urticæ ſpeciebus commune putat. Mihi tres hactenus urticæ ſpecies non eodem ſe habere modo videntur: Primò quidem paſſim obvia urtica major, proximè ad ſpinachiam accedit, cum plerunque ſit vel mas vel fœmina, & rarius androgyna, i. e. pleraque individua hæc ſolos apices illa ſola ſemina ferant, pauciora utrumque; diverſimodè quidem, apicibus & ſemi-

ſeminibus vel in eodem racemo permixtis, vel diſtinctis in racemos floridos & ſeminiferos, quorum illi plerunque inferiores, hi ſuperiores videbantur. Secundò, urtica minor ad extremitatem ſingulorum racemulorum unum atque alterum globulum, unde apices cùm dehiſcit attolluntur, ſuſtinet, reliqvum petioli obſident grana ſeminalia. Tertiò, urtica pilulifera è quatuor quos ad nodos emittit racemis, quosdam ſolùm floridos, reliquos ſolum ſeminibus præditos offert: Ut, quantum ex hactenus obſervatis concludere licet, duæ poſteriores ſemper ſint androgynæ, nec modo tamen eodem, prima verò extraordinariè & minus frequenter talis videatur. Urticas tales fœcundas & infœcundas, illas ſtylorum racemis, has floribus amentaceis præditas deſcripſit & delineavit *Malpighius* tab. 35. ſc. 216. Cùm verò flores illos ſive apices ovis ſubventaneis comparâvit, melius fortè ipſorum natura cum *Grewio* declarari, nomen illud ovi ſubventanei reſervari poterit caſſis ſive non fœcundatis veſiculis ſeminalibus.

(*Tubingâ Auguſtam Vind. d. 30. April. Anno 1698. miſſæ.*)

OBSERVATIO CCXII.

Dn. D. ELIÆ CAMERARII.

De Cauterii Potentialis in auferendis Tumoribus utilitate.

NOn omnem promiſcuè Cauterii Potentialis utilitatem reſpicit iſthæc obſervatio, ſed eam ſolùm quæ in auferendis exedendisque ſuperfluis totave

ſub-

ſubſtantia peccantibus ſeſe exerit. Cumqve ad Salium Familiam ſpectent ea corroſiva (quibus ob compares cum Ferro candente effectus, eſcharamqve quam inducunt partibus, cauterii nomen haud immeritò obtigit) duplicem eo ipſo claſſem ſortiuntur, fixis quibusdam atque lixivioſis alcalium cenſui adſcribendis, aliis verò acidam indolem referentibus, quorum quidem major, tantaque & tam prompta efficacia eſt, ut ſtupenda illa, qua ſcindunt fibrillas lacerantque celeritate cauteriorum indolentium nomen ſibi comparaverint; atque horum ex cenſu ea ſunt cauteria, quæ præſenti in caſu ſucceſſu auſpicato fuêre adhibita: Matronæ nobiliſſimæ in concava palati ſuperficie carnoſus excreverat tumor, cujus equidem prima ſtamina atq; incrementa haud animadverterat, uſq; dum eam in magnitudinem excreviſſet, ut caſtaneam mole æquaret; poſteriorem palati, vicinamque uvulæ partem occupaverat tumor, ita tamen, ut uvulam non attingeret, ſed liber toto in ambitu eſſet tumor, ſi eam partem excipias, quæ maxillæ ſuperioris gingivis erat propinquior; Durities tumoris inſignis fuit, nullis cedens remediis, ſcalpelloque, vulnerata maſſa, ut comparebat carnoſa, ſanguinis aliquot guttis effuſis, ſoliditatem ſuam teſtabatur. Erant Chirurgus inter, qui ferro, nec deerant qui candentibus ferramentis auferendum tumorem exiſtimarent; Penſitatis tamen accuratius circumſtantiis, tum loci cui inhærebat malum, tum & connexarum vicinarumque partium ratione habita, præferebantur remedia corroſiva, quæ etiamſi generoſa atque violenta ſint, ſuum tamen impetum moderari patiuntur, magisque eorum operatio ab arbitrio artificis depen-

dec, quàm actualis cauterii, ſiquidem ea qua par eſt circumſpectione fuerint admota. Eligebatur hinc paribus jam in caſibus comprobatum Oleum, ſive Butyrum Antimonii, Mercurii ſublimati atque Antimonii, corroſiva ſoboles, quoniam id cum lintei carpti exili portione applicari pro lubitu cuivis tumoris parti parcius largiusve poterat, quanquã ea cutis extimæ durities fuit, ut oleum admotum eam haud fuerit aggreſſum, niſi lanceola primùm vulnerata obiter tumoris ſuperficie, paratoque ſpiculis ad interiora aditu; tangebatur Oleo matutino veſpertinoque tempore tumor, abſcedentibus ſubinde quibusdam membranarum ſtratis; quanquam reticendum non ſit, dolores non raró ingentes pertuliſſe ægram, quibus tum congruis remediis anodyno cephalicis, tum pauciori nec adeò frequenti Olei applicatione occurrimus; unde effectum quidem eſt, ut pluribus etiam ſeptimanis res non abſolveretur; conſultius tamen ducebatur, blanda atque circumſpecta methodo haud feſtinanter rem peragere, quàm præpoſtera acceleratione anſam graviſſimis ſymptomatibus præbere; Hauriebat quotidiè Ill. Domina Decoctum Lignorum, cum ſanguine turgeret & viſcido nonnihil, & non parum impuro atque ad cachexiam prono, præmiſſis tamen tum remedio purgante, tum venæſectione; Linguæ autem, ne corroſivis graviter læderetur, cerato linteo ore aliquandiu poſt Olei admotionem detinendo, cautum eſt. Erat verò tumor magis, quam opinari primùm poteramus, rebellis, & quanquam in medio ejus profundius corroſio eſcharaque penetraret, margines tamen pertinaces atque obſtinatæ duritiei offerebat, qui crebrius, ut oleum,

quod

quod ſcirrhoſa eorum compages difficulter admiſit, inveniret aditum promptiorem, exilibus vulnuſculis incidebantur, quanquam ne ſic quidem ſcopum aſſequebatur Chirurgus, niſi infernalem illum lapidem, Lunæ Cryſtallos vocaſſet in ſubſidium, qui & promptius duros margines contactu ſuo adoriebatur, cautiſſimè tamen adhibitus; dici verò non poteſt, quantum iſtos inter dolores ſalivæ ex glandulis fuerit extortum, ſputoque ejectum; eò autem res procedebat ſegnius, quò plures profundioresque egerat radices tumor, quæ tanquam innumeræ fibræ nerveæ vel tendinoſæ in baſi tumoris jam eò usque corroſi comparuerunt, quarum latè diſperſarum radicularum ablatio, marginisque duri & rebellis quædam quaſi malignitas, ægræ doloris haud parum, & Chirurgo tædium haud leve attulerunt. Id verò tandem circumſpecta patientia cautelaque effectum eſt, ut ablato penitus tumore, palatum egregiè coaleſceret, ita ut nullum hactenus vel tumoris vel moleſtiæ veſtigium ſuperſit; Ægraq; Ill. à perpetuo grandeſcentis mali metu liberrima nunc degat. Quæ quidem tumores auferendi ratio, proſpero hic ſucceſſu celebrata, eos inter referri merito debet, quæ dextram artificis cautamque, requirant manum, & quas imitari promiſcuè, nec ubiq;, nec artifici cuivis, integrum ſit.

OBSERVATIO CCXIII.
DN. D. ELIÆ CAMERARII.
De Cura Vomitus Cruenti enormis.

QVæ per Vomitum, contrarioqve & Spasmodico fibrarum motricium motu contingit Sanguinis

extraverſati ex ambitu ventriculi excretio, cum periculo nunquam careat, haud æquè tamen periculoſa quovis in caſu ancepsqve eſſe ſolet. Neque enim exempla deſunt eorum, qui, cum cætera ſanguine gauderent haud adeò cacochymico, Vomitum cruentum, eumque copioſum, haud tamen funeſtum experti ſunt; Quorum ex numero ſtudioſus fuit, qui nauſeabundus ex diſcurſu, quem in prandio commilitones formabant Anatomico, poſt aliquem ponderis compreſſionisve in Stomachi regione ſenſum, cum deliquio plusquam duas ſanguinis fluidi rubentisqve, qualis haud frequenter obſervatur, libras, uno alterove conatu evomuit, nec parum laticis iſtius concreti tamen κάλω excrevit, reſtitutus verò ſanitati haud difficulter fuit, (etiamſi inſigni tum pallore tum laſſitudine, viriumque dejectione laboraret à paroxysmo) poſtquam adſtringentibus, temperantibus, gelatinoſis, roborantibus, Stomachicis, nervinis, anodynisque remediis internè externèque adhibitis, uſus cum diligentia fuiſſet. Eandem verò ſortem expertus non eſt Religioſus, triginta & quod excurrit annorum; qui Diarrhæa vomituque cruento iteratis vicibus, violentiaque & copia terribili ingruente, ſanguinis craſi prorſus tandem fatiſcente, Cachexiam primùm, & Tympanitidem dehinc fatalem contraxit, quanquam perverſæ remediorum haud congruorum applicationi non minus forſan quam Vomitui cruento mors ſubſequens erat adſcribenda, cum violentis, quod fieri amat, Empiricorum purgantibus accelerata ad minimum haud parum fuerit. Quantum vero prompta in graviſſimo hoc affectu remediorum concinnaque applicatio ponderis habeat, ſequen-

quenti exemplo comprobari abundè exiſtimo: Alius ex eodem Religioſorum ordine, ætatis ferè ejuſdem, cum Vomitu cruento copioſiſſimo laboraſſet, paremque diarrhæam fuiſſet expertus, plenè tandem, ut opinabatur convaluit, anno autem inſequente, majori impetu rediit truculentus affectus, ſanguis ſcilicet acris admodùm & turgeſcens, adeò in fluorem agebatur, ut frequentiſſimo vomitu incredibilis ejus copia ejiceretur breviſſimo tempore, grumoſi pariter atque fluidi cruoris, incredibilem dixi ejecti cruoris copiam, quippe uno alteroque die ingentia eo implebantur vaſa, ut iteratis vomitibus plures menſuræ noſtrates ἄνω καὶ κάτω dejectæ fuerint. Cui id inſuper infortunii acceſſerat, ut vena à Chirurgo in paroxyſmo vocato ſecta, negligentiusque deligata, aperta denuò fuerit, largamque ſanguinis copiam effuderit, antequam adſtantes id animadverterent; ægerque duplici hæmorrhagia tantum non ſuccubuerit. Jungebantur hinc ſymptomata graviſſima, ſingultus, deliquia, ſpasmodici extremorum motus, virium dejectio ſumma, quin & facies hippocratica; & qui potuit aliter fieri in corpore vitali latice pene deſtituto, mortique proximo. Ea tamen fuit Dei O. M. clementia, ut & promptiſſimo ad profuſionem omnimodam ſanguini injicerentur compedes, & reſtauratis, qui proſtrati turbatique omninò videbantur ſpiritibus, ſymptomata ſenſim remitterent, priſtinoque æger robori diuturno remediorum uſu reſtitueretur, erant verò ea juxta cum antiſpasmodicis & cordialibus ſimilia illis, quorum generalem ſupra mentionem feci, & ne ſilentio ea omnia prætercam, vel aliquorum meminiſſe libet: Boli ſcil. Armen Corall. Lap. hæmatit. Uni-

 corn.

corn. foſſil. Ichthyocoll. Cort. Peruvian. pulv. Marchion. pulv. epil. mirab. M. Extract pap. errat. tormentill. Cordialis, & Bezoardic. noſtratis, Gelatinæ ex Ebore & Cornu Cervino, quibus acceſſerunt juſcula herbis temperantibus atque adſtringentibus alterata &c. ut Ligaturas, frictiones, Empl. d. tacamahaca, aceta naribus admota, ſimiliaque taceam.

(Tubingâ Auguſtam Vind. d. 30. April. Anno 1698. miſſæ.)

OBSERVATIO CCXIV.

Dn. D. JOHANNIS ÆGIDII EUTH.

De Balſamo de Gilead in apnœâ hyſtericâ, trichiaſique chronicâ, pertentato.

BAlſamum hoc à prolixâ & beneficâ naturâ, DEI filiâ, in Oris ubertim Orientis productum, in Judæâ olim ignotum ante Salomonis tempora, quibus eo translatum ex Arabiâ non Petræâ ac deſertâ, ſed Felici, ex Reginæ Sabæorum merâ liberalitate, ſicut *Joſephus* ſcriptor antiquiſſimus atteſtatur. Præter neceſſitatem manifeſtam, multiplices & tortuoſas cum veterum, tùm quorundam Recentiorum opiniones, imò altercationes, quæ cum eorundem veniâ ac pace, nil niſi pura puta ſunt Monſtra, utilitatis reverâ nullius, reticeo, Eridisque pomum in medium haud projicio, ſed corticem rapacibus relinquens Zoilis, intrepide ad ipſum deguſtandum me confero nucleum, videlicet ad laudati Balſami de Gilead, tàm delectum, quàm uſum, qui rerum abſtruſarum mater, veritatisq; trutina, ergò

Rem benè proviſam non verba invita ſequentur.

Anno à ſalutifero partu 1678. Die 15. Sept. Pace Neomagen-

magenſe cum Potentiſſimo Galliarum Rege LUDOVICO XIV. initâ, ratificatâ, & publicata, *Arnhemum* ad Nobiliſſimam 34. annorum Dominam van Engelen, ἀπνοίᾳ ὑστερικῇ & τριχιάσει χρονικῇ laborantem, in conſilium vocatus medicum, per curſorem. Adventans Matronæ lecto, me blandè excepit mihique retulit, quòd multa & varia remedia, à λογιάτροις, ſermone Medicis, Plauder-Aerzten/ atque ἀπειρίᾳ potiùs, quàm ſolidâ eruditione præditis, absque ullo planè uſurpaverit emolumento; ſpretis tricis, hypotheſibusque enodatis valdè tædioſis, ad Artem ſervandorum hominum minus fructuoſis, proſpicienter laudatæ ſvaſi Dominæ id quod decet fasq; eſt, utpote per ἐπίκρασιν, appropriatum eccoproticon, antihyſtericum, *in Anatome meâ umbilici* decantatum, dein ſedulum Balſami de Gilead uſum, manè in potu excellentiſſimæ herbæ Theé, à meridie in Vino Canarienſi generoſo, veſperi in ovo ſorbili, vel alio grato vehiculo, à gutt. xx. ad xxx, qvandoqve etiam in potu ordinario, ſequenti modo

℞. *Balſam. de Gilead opt.* ℥iß.
Spir. nitr. dulc. ℨiij.
Eſſent. LL. ℨiß.
M. D. in Vitr.

Non poſtpoſito tamen Victus regimine exquiſito, intrà trium ſeptimanarum intervallum, ad ſanitatem perducta fuit proſperam. Artis inſuper filios Indagatoresque commonefacio impigros, ut magnâ cum ſollicitudine propter crebram Venditorum impoſturam, inveniant non quod pueri in fabâ, id eſt, ſeligant Balſamum de Gilead verum, fragrans, ſubalbidum, μετὰ προθήκης, ſpontè ſtillans ſeu ſudans ex Arboribus, minimè

nime ſauciatis, in ferventiſſimis diebus canicularibus; Inciſione à radice ad frondes usque inſtituta, vel frondium expreſſione, vel harũ coctione, tale Balſamũ longè cedit viribus, Balſamo priori, quod mirificè ſanat, conſolidat, mitigat, confortat, à pernitioſâ putredine, malignis virulentisque miasmatibus præſervat, hæc extirpat, cùm internè, tùm externe, convenienter & aptè Poëta.

Emicat ex ipſis divina potentia campis,
Et levis eſt ceſpes, qui probat eſſe DEUM.

Neque me rimantem fugit, Balſami de Gilead apprimè mentionem fieri *Geneſ. cap. 37. v. 15. & cap. 43. v. 11.* quin & in *Prophetâ Jeremiâ cap. 8. v. 22.*

Nunquid Reſina non eſt in Gilead? aut Medicus non eſt ibi? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei.

Gilead juxta Prophetam *Oſeam cap. 6. v. 8.* Civitas fuit operantium idolum, ſeu patrantium iniquitatem, ſupplantata vel oppreſſa ſanguine.

Et *Oſeæ cap. 12. verſ. 11.* Si in Gilead vanitas fuit, utique vani facti ſunt. Hinc Gileaditæ facinoroſi & ſceleſti, homines ſanguinarii, excepto *Elia Gileadite 1. Reg. c. 17. v. 1. & Jephtha libr. Judic. c. 11. c. 12.*

Porrò in Gilead magna erat Balſami ubertas & copia Medicorum belle vulnera curantium. Altius ſin perpendo, valdè miror, quòd hâc in regione non inveniantur pii, dicentes, ſe DEUM colore, precibusqve malo populi nolle mederi: Oratio Verbumqve DEI, hîc Balſamum, meritò nuncupatur, Medici verò Myſtæ, Viri pii & probi, hinc extrà ullum eſt dubium, nos Omnes ac ſingulos ab Archiatro curari ſummo, ut Evangeliſta inculcat *Marcus cap. 6. v. 55. 56.* profectò.

Ni-

Ni DEus adfuerit, vireſque infuderit herbis,
Quid rogo Dictamnus? quid Panacæa juvent?

OBSERVATIO CCXV.
DN. D. JOH. ÆGIDII EUTH.
De Tibiâ penitus ſideratâ; at non extirpatâ, ſine corporis tamen noxâ.

ANno Chriſti 1697. Die 5. *Junii Hagæ Comitum* non infelix Medicinæ Doctor Dominus Samuel Cabliau, ad Anum Nicolaam Gerrhards habitantem in plateâ vulgò dictâ *Weſteynde*, nonagintâ duorum fermè Annorum, ταχέως accerſitur, πυρετῷ καὶ ἀνορεξίᾳ laborantem, deque dextræ Tibiæ atrociſſimo conquerentem dolore, invenit. Doloroſam hanc tibiam intentis contemplatur oculis, adipſum usque genu, transverſæ duntaxat manus latitudine exceptâ, Tibiam manifeſtò deprehendit emortuam, ſphacelatam, circuloque notabili, pars ſana evidenter fuit diſtincta & ſeparata, ſatis ſuperque *Icon* comprobat annexa.

Quid accidit? Medicus tanquàm ſedulus naturæ miniſter, exactam ſeu decurſam Anus memoratæ perpendens Ætatem, ἀπὸ βρέφους macritudinem, vireſqve amiſſas, θεραπείαν, videlicet extripationem in Junioribus ac Robuſtioribus alioquin perneceſſariam, cane pejus & angue hâc in Ægrâ devitat, ne viventium è choro ὑπερορᾶν exturbaretur, cibos evchymos & evpeptos, cum Pharmacis commendat convenientibus, Tibiam penitus emortuam, pedis digitos, ταρσον, μετατάρσον, ad prædictum usqve Circulum, penicillo majori, optimo Terebinthinæ Spiritu intincto attingere, vel quaſi pingere, haud cunctanter imperat aſſiduiſſimè, aſſecutus quapropter quod

ſperabat, Tibiam nempe torridam, imò *Mumiam* quaſi *Ægyptiacam*, parti adhuc incolumi adhærentem, quã Spiritus Vini juniperinus topice applicatus fovebat, Symptomatumque συνδρομὴν ut opinatus, averruncabat.

De cætero, non involvendum ſilentio, Ægram lecto affixam, menſe ni fallor quinto, non procul à Circulo, notabilem accepiſſe fiſſuram ultrò, per hanc ſubjacentes ſe oculis ſubjecerunt partes, quæ κατ' ὀλίγον quoque Spiritu Terebint. decenter ab omni præſervatæ fuerunt corruptione, & velut ad cicatriculam, cum *Celſo* loquor redactæ: Quemadmodum conſumpto oleo, Lampas, atque combuſto ligno, extinguitur rogus, ſic Anus deniq; noſtra fuit extincta & νέκρωσις ſubſecuta Die 2. Dec. 1697. Hic teſtes oculatos ſimul adduco Medicos haud ſubleſtâ fide, ſed experientiâ multâ conſpicuos,, binos Dominos Doctores Stalpartios van der Wiele, Patrem & Filium, Dominum Doctorem Petrum van Wouw, proin,

Rara placent cunctis, ſordeſcunt obvia multis.

Fig. LIX.

SCHOLIUM.

DElectationis plenum evolvens Indicem *magni noſtri Wurfbainii*, in eo narratæ obſervationi ſimilem non invenio, ſed ſimiliorem in *Fabrit. Hildan. centur. 4. obſerv. chirurg. 92 p. m. 371.* qui commemorat, quod contra ſuum ſuffragium, à temerario Barbitonſore crus fuerit abſciſſum Viro ſeptuagenario, & qui mox ex hoc miſerabiliter interierit. Similimam profectò noſtræ recenſitæ recenſet hiſtoriam *Henricus Smetius miſcellan. med. libr. x. ſub titulo Anni 1567. p. m. 526.* De muliere conflictatâ, pede ſphacelato, arido,

nigro,

nigro, motu ſenſuque prorſus omni deſtituto, & quòd non obliviſcar dicere, pes ſideratus aliquamdiu à parte ſanâ vix ſeparatus, at ſeparatio tamen paulò poſt, à naturâ, quæ optima morborum Medicatrix feliciter peracta fuit, figuramq; linguæ bovillæ fumo induratæ repræſentavit:

Heus longa, dolore
Abſumſit populans membrorum robora tabes.

Perſcienter *Hippocrates lib. 5. aphor. 20.* Frigidum efficit nigrores *L. 5. Aphor. 22.* Mortificatio fit à frigido & *L. 5. Aphor. 23.* Frigidum inflammationes ruboris ſanguinei inveteratas nigrefacit. Non immerito afflictus & mœrens hîc recordor PRINCIPIS mei ultrà octennium clementiſſimi, Saxo-Iſenacenſis, Domini FRIDERICI AUGUSTI &c. &c. Chiliarchæ Bavarici ſtrenuiſſimi, qui Anno Chriſti 1684. propè Budam in Hungariâ, hoſtili glande prægrande, vulneratus in ſura, cujus curatio, ut dicunt nefariè neglecta, ſphacelum contraxit repentinum & cadaveroſum, exque hoc Laudatiſſimus HEROS viginti duos tantùm agens annos, piiſſimè obiit, animamque ſuam Chriſto Jeſu lubentiſſimè commendavit:

En fruitur facie colloquioque DEI.

In ſuſpectis alioquin inflammationibus, ligationibus, contumacibus contuſionibus, gangrænâ, ſphacelo nondum confirmato, adminiſtratis ſimùl Analepticis internis, ſequens εὐπόριστον Deo clementer benedicente, ſæpenumerò in Praxi meâ animadverti probatiſſimum quod B.L. bonâ fide detego.

℞. *Herb. millefol abſynth. an.* miß.
Scord. ſalv. hyſſop. rut. an. mj.
Fl roſ rubr. mij.
Sambuc. hyperic. an. mj.

Myrrh. rubr. ſelect. ℥vj.
Alo. ſuccotrin. ℥ß.
Maſtich. Oliban. Aſ. fœtid. an. ℥iij.
Conciſ. contuſ. add. Lithargyr. ſolar. ℥vj.
Aq. calc. viv. rec. ℔iv. ℥ix.
Acet. optim. ℔j. ℥viij.

Coque lento igne ad omnimodam Lithargyrii diſſolutionem, dein add. in fine coctionis Colatur.

Spirit. Theriac. Camphor. optim. ℥vij.

D. in Vitr. ritè munit.

Beſonderer Umſchlag gegen den kalten Brand.

Singulis duabus vel quatuor horis, parti imponatur affectæ, cum linteis quadruplicatis, tàm diu renovetur donec omnis extractus fuerit æſtus, Ægérque à malo ſit perfunctus haud perfunctoriè.

In Sphacelo tandem inſanabili, ne ulterius ſerpat partesque inficiat ſanas, actutum fiat extirpatio, qualis in dextro pronuper pede, Juvenis Mercatoris Trajectini, *Domini Johannis Caſpari Thameri*, ſummâ cum prudentiâ fuit abſoluta, qui adhuc inculpatâ fruitur valetudine, feſtivus eſt lepidusque ad omnes res, incedit citrà ſcipionis adminiculum, factitio pede tàm affabrè facto & operto, ac ſi pes eſſet genuinus, igitur varia fati ſors:

Omnia ſors volvit, ſolvit mors omnia, quare
Hanc cerne; aſt illam ſperne, *Beatus eris.*

OBSERVATIO CCXVI.

DN. D. JOANN. ÆGID. EUTH.

De Roris Majalis mira vi variis in Morbis.

ROs, humoris ad inſtar margaritiferi & pellucidi eſt, vel ſi mavis, res rara, chara & præclara, omnibus indiſcriminatim nota, ſole nondum exorto, cœlo præ-

lo præprimis ſereno, à pluviis tempeſtatibusve libero, in locis potiùs floriferis declivioribus quàm acclivioribus, congruorum vaſorum, vel linteorum albisſimorum extenſorum ope, ſuper flores vel triticum, magnâ in quantitate colligatur & exprimatur, per chartam emporeticam filtretur, inque Vitris ſolicitè obturatis aſſervetur, per Æſtatem ſoli exponatur, vel lege artis, digeſtione prægreſsâ, lento deſtilletur igne, particeps mox fies Spiritus ſtriati Splendentis & nitidi, qui internè & externè in Capitis Cordisque affectibus minimè vilipendendus, quotidiano fermè fuit uſui multis ab Annis, DIVO DUCI MECKLENBURGICO SWERINENSI CHRISTIANO, DOMINO MEO QVONDAM PER-BENIGNO. Subſequens Spriritûs, efficacitate atque ſvavitate Odoris, longè multumque ſuperat, Aquam Reginæ Hungaricæ, Anhaltin. Carol. Quint.

℞. *Spir. Vin. rectificatiſſ.* ℔iv.
Ror Majal. ℔ij.
Mellis. ℔ß.
Sem. Coriandr. ſelect. ℥ivß.
As. dulc. optim. ℥iij.
Nuc. Moſchat. ponderoſ. N. vij.
Caryophyll ſelect. N. ix.
Pom. citr. optim. N. ij.

F. l. a. Deſtillatiò igne lentiſſimo. D. S.

Fürtrefflicher Spiritus gegen die Unkräfften.

Avidos inſuper Naturæ & Chymiæ CURIOSOS INVESTIGATORES addictiſſimè adhortor, ut juſto colligant tempore Rorem, non farinaceum & mellitum, ut potè cauſticum & valdè pernitioſum.

Quod optimo in Rore aliquid lateat myſterioſi & imperſcrutabilis, affatim Sacer dictitat Codex, qui

diurnâ nocturnâque volvendus & revolvendus eſt manu. A DEO ſanè benedictio omnis, quique bonitate ſuâ coronat Annum, cujusque orbitæ ſtillant pinguedinem. Sic Iſaacus ὑπερεξουσίαν, *ſupereminentiam* in Rore agnoſcit, quando ait *Gen. cap.27.* In rore cœli & in pinguedine terræ, benedictio tua. Moſes, *Deut. cap.32.* Fluat ceu ros, ſermo meus. Elias, *1. Regum. cap. 17.* Annis hiſce non erit ros. Pſalmiſta David *Pſalm. 133.* Meminit roris Hermontici. Salomon in *Prov. cap 19.* Benevolentia Regis erit ſicut Ros ſuper herbam. *Hoſ. cap 14* Jehova erit Iſraeli tanquàm Ros. *Haggæi cap 1.* Dominus ait, Cœli cohibentur à Rore. Zaccher. *cap. 8.* Cœlum dabit rorem ſuum Syrac. *cap. 43.* Ros omnia refocillat & recreat, taceo plura ſacræ ſcripturæ loca.

Gaudent ſudoribus Artes
Et ſua difficilem reddunt ad limina curſum.

SCHOLIUM.

Occultarum & reconditarum rerum, exquiſitam poſſidere ἀνάλυσιν, penitusque in nullo peccare, divinitatis potiùs, quàm mortalitatis eſt. Memini me legere *Borellum* è roris ſpiritu aurum confeciſſe potabile. *Paracelſum, Fabrum, Helmontium, Fluddum, Michaëlem, Tackium,* ſalem hermaphroditico-verſicolorē, mirificè univerſum inſtaurantem hominem, hujusque morbos profligantem, imò pretioſiſſimum naturæ balſamum, donum & bonum perſiſtere, hactenus occluſum reconditum & oblitum, nunc verò arte chymicâ recluſum, apertum inque memoriam revocatum.

Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt.

(*Miſſæ Haga Comit. Norimb. d. 6. Maji 1698.*)

OBSER-

OBSERVATIO CCXVII.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

De Iſchuria XIII. dierum Lethali.

Ephemerides noſtræ variarum Iſchuriarum Exempla Curioſis ſubminiſtrant, ideò & hoc addere placuit, quia quædam circumſtantiæ ſingulares hic occurrunt, quæ alibi non fuêre. Fœmina LXV. annorum, longioris & aridioris ſtaturæ, per ſemeſtre ſpatium laborarat cachexia ſcorbutica, variis ſymptomatibus ſtipata, inde & diverſa admiſerat conſilia & remedia. Sub finem Martii 1698. videbatur ſibi reſtituta, ea propter templum Domini, Rheda vecta, ad duo milliaria diſtans, frequentare, conſilium inibat & complebat. Ventus illo die flabat vehementer & cum rigore; hinc emenſo hocce itinere ſtatim malè habebat, & nauſea & vomitu laceſſita, præterea in via paucas guttulas urinæ dolorificè, cum ſanguine & nigredine finitas, emiſerat. Domum redux, continuis vomitibus per dies & noctes ad tertium excruciabatur diem, cum virium imminutione ſingulari, appetitu proſtrato & vigiliis moleſtis, absque tamen ullo calore aut ſiti. Tertio die me convocabant, conſiliumque expetebant, cum proteſtatione tamen, quod nulla admitteret interna medicamenta, ſed ſolummodò externa. Tandem dum remonſtrabam, externa hic parùm effectura, obtemperabat, & aſſumebat tres pilulas exiguas, cum ſumma difficultate, felici tamen effectu; nauſea namque cum vomitu ſtatim remittebat. Hoc ſymptomate ſopito, dicebat de retentione urinæ, qua jam iterum laboraret & ante aliquot menſes ad 5tum diem laboraſſet, medelam afferente lapide porcino, quem aſſumpſiſſet. Referebat pariter, quod ante annum

gemi-

geminum calculum excluſiſſet in vinea ſtando, ſummis cum doloribus, & maxima anxietate. Statim itaque, præter Spiritum Salis dulcem, de quo paucas ſumebat guttulas, externa accerſebam, balnea nempe, emplaſtra, unguenta, olea, cataplaſmatâ & clyſteres cum terebinthina. Dolores de quibus dicebat, quod latus dextrum, & regionem renum inſtar cinguli conſtringerent, multum remittebant ab hiſce mediis, nulla tamen fluebat urina. Clyſteres alvum blandè laxabant aliquot vicibus de die & nocte, nulla tamen ſubſequente guttula urinoſi laticis. Cibus & potus erat pauciſſimus, ſomnus interruptus, vires tamen utcunque conſtabant. Sexto die lenis tumor occupabat faciem cum pedibus, qvod prædixeram, & quia de ſeptimi malo prognoſtico diſcurrebam, quod nempe pleriqve Practici fatalitatem prædiçerent, urina non fluente, aſſumebat poſt varias perſvaſiones, ſal ſuccini volatile, aliis immiſtum, vix autem labiis circumdederat, en nauſeabunda rejiciebat, cum hac declaratione; ſe nil amplius aſſumere velle nec poſſe, externis ſi aliqvid valerem, libentiſſimè ſeſe velle accomodare; Suadebam ergò catheterem, verùm quia ἄπαις vixerat in 34. annorum matrimonio, ideò ex intempeſtivo pudore nec de hoc audire volebat, itaque externa iterum continuabantur, fruſtraneo niſu. Undecimo die ſumebat gr. 1. pulver. Cantharid. abject. alis & capitibus cum lapide Bezoardico orientali & magiſterio oculorum cancri in parva doſi, ſine tamen effectu. Prænunciabam aut Apoplexiam aut Epilepſiã, quia lenis tumor, qui ſe exſeruerat, jam evanuerat. Duodecimo morbi die poſt tranquillum ſomnum, levis inſultus Apoplecticus ingruebat, qui tamen ſtatim diſpellebatur. Interim per

12. ho-

12. hoſce dies famulis comitata, obambulabat multoties & frequenter, nihil queſta niſi de iminutione virium, anxietate & repletione circa præcordia. Circa regionem veſicæ nulla niſi exigua aderat intumeſcentia, & 7. die aliquoties ſtimulabatur ad excernendam urinam, fruſtrà tamen. Hoc ipſo etiam die dicebat de dulci, non autem urinoſo ſapore in ore, & inde frequenter dulce ſerum exſpuebat, aquoſamq́; ſalivam, id quod pro malo reputabant ſigno, quia notabat turbationem œconomiæ animalis, coctione & ſegregatione humorum ſe non ritè habente. Invaſionem Apoplecticam, de qua ſuprà, poſt octo horas excipiebat Epilepſia graviſſima, cum maxima concuſſione totius corporis, veluti ultimo naturæ conatu. Hac per clyſterem ſublata, intellectus redibat, ita etiam, ut de mundanis optimè diſponere valuerit, usque dum 13. morbi die obiret, absq́; recidiva morbi Herculei, nec ullius urinæ guttulæ effluentia. Ad refocillandum pauciſſima & generoſiſſima præſcribebam pharmaca, guttulis tantum dimetienda, quia tamen per aliquot horas ſtupida jacebat, dempto intellectu & ſermocinatione, ideò Deo recommendabatur, & circa veſperam hora ſeptima animam exhalabat, aquis imerſa & ſuffocata microcoſmicis.

OBSERVATIO CCXVIII.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

De Aſcaridibus Ani menſtruatim prorumpentibus.

VIllis quidem videtur affectus, verùm ex relatione videbis, ipſum hic factum gravem & chronicum. Fœmina 32. annorum tenera pallida, brevioriſque ſtaturæ, ut virgo nunquam ordinatè fluxum ſenſerat

menſium, ſed interdum obſervavit aliquot dies anticipantem iterùm quoq; poſtponentem, modo copioſius fluxere catamenia modo parcius. Marito aſſociatæ & imprægnatæ, ultimo ante partum menſe, hocce ſe ſtiterat malum. Singulis diebus circa horam 9. veſpertinam in orificio ani, pruriginoſus incipiebat ſe exerere dolor, mitis primum, mox acerbior, protract' usq; ad mediam noctem: Hoſpes hic ingratus & non invitatus, tàm accuratè horam obſervabat, ut ne momento tardius incederet, nec præter meridiem noctis diutius ſubſiſteret. Turba mulierum cum aliis affectum aut à refrigeratione ortum clamabant, aut à faſcino oriri affirmabant. Toleravit malum hocce usq; ad partum, cum ſpe remiſſionis & fugæ. Partu legitimo tempore excluſo, & lochiis non ritè fluentibus, malum continuavit. Sexta poſt partum ſeptimana, me tùm Soræ in patria comorantem, Ao. 1692. conveniebat & uberrimis lachrymis meam implorabat opem. Re perpenſa ad exterminandam ſaburram pravorum humorum ordinabam ſpecies pro vino medicato, hoc epoto, plurimum ſenſit levaminis & malum per integrum menſem inducias dedit. Hoc præterlapſo, affectus de novo adfuit, ideò & hæc de novo nodulum inſtruxit, & ſic integrum annum taliter qualiter transegit. Quoniam autem tum patriam non inviſebam, & malum vires ſumpſerat, aſcaridibus ſe jam in ano moventibus cum pruritu & dolore lancinante, aliorum quæſivit Medicorum & Agyrtarum conſilia. Tempore namque fluxus menſtrui, qui nullus erat, hi dolores ingruebant vermibus comitati, obſtructione item alvi, cardialgia, cephalalgia, ſiti, appetitu ſuſpenſo, laſſitudine & virium proſtratione: Integra ſic miſerè protracta ſeptimana, tres ſeptimanas libera vivebat & veluti ſana, idque jam

jam per quinquennium. Hoc Anno 1698. me iterùm conveniebat, & quæ usque huc acta referebat: referebat autem quòd præter amaricantia & mercurialia admiſerit, in & externè, ulla tamen absque medela. Suadebam pulverem laxantem non ingrati ſaporis, ut indies, ſi obſtructio ipſam moleſtaret, caperet, quantum cuſpis cultri teneret. Obſtructiones namq; maximas ipſi creare moleſtias, conquerebatur: præterea à nimietate medicamentorum ſe ita nauſeabundam factam, ut ex toto contremiſceret ad mentionem medicamenti: continuum & quotidianum uſum clyſterum ſummè ſibi eſſe moleſtum, ab iisque penitus abhorrere. Utitur hocce pulvere cum aliquali lenimine morbi, ſvaſi quoq; inſeſſum cum certis ſpecieb⁹ inſtruendum, item ſuppoſitoria, lamentabili affectui accommodata. Quæ autem futura erunt, in poſterum Deo dante diligenter percontabor & curioſis communicabo.

OBSERVATIO CCXIX.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

De Vomitu proficuo.

PAnnificio deditus juvenis XV. annorum, avidioris conſtitutionis & longioris ſtaturæ, per integrum laboraverat annum febre quotidiana ſcorbutica, non admodum gravi, tali tamen, quæ humidum radicale nimium quantum abſumpſerat, ut ſceleti inſtar decumberet. Conſultus poſt feſtum, dabam tincturam metallorum, cujus uſum proficuum ſenſerat, rigore intermittente, & appetitus igne gliſcente. Moleſtabatur tamen fluxu alvi cum diſſipatione ſpirituum, ideò ordinabam eſſentiam ſtomachicam cum aliis. Hiſce uſurpatis, vegetiorem ſe monſtrabat, nec ullum febris ſupererat veſtigium. Querela ejus nunc hæcce erat,

quod ſemper ſentiat nauſeam, & eructationem carnis bubulæ veluti putridæ, idq́ue frequentiſſimè, cum maxima abominatione. Penſitatis penſitandis, porrigebam gr.ij. tartari emetici cum optimo effectu, ſiquidem præter putridos humores & geminum lumbricum, evomebat particulam tendinis, carnis bubulæ, ſubſequente ſanitate. Per totum decubitum nihil ſenſerat de hac eructatione: ventriculo autem confortato, tùm demùm ſe exeruerat ingratus ructus, & quia ventriculus inani niſu ſibi adverſa ejicere nequiverat, ideò opus erat opera Medici, naturæ miniſtri, nam quo natura vergit, eò ducere oportet Hippocr. lib. 1. Aphoriſm. 21.

(*Miſſæ Norimbergam d. 10. Maji A. 1698.*)

OBSERVATIO CCXX.

DN. D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

De Carioſis dentibus.

DOlor dentium duplici potiſſimum ex cauſa oritur. 1. fluxione, ſeu affluxu humorum, interna, 2. ex carie relicto foramine, externa. Illa cum gingivarum, malæq; tumore plerumq; conjuncta eſt, vel eo ſuperveniente ceſſat: ſed quo pacto ad dentem alveolo ſuo arctiſſimè hærentem perveniat, undique clauſo aditu, non æquè patet. Id certum eſt, Dolorem in perioſtio regnare, quod cum in dentibus, quoniam officio obſit cui deſtinati ſunt, iis externè circumpoſitum haut eſt, ſed in medium ejus repoſitum uti ex anatomicis ſectionibus ſatis eſt notum. Huc ergò cum ſanguine per vaſa ad illud abeuntia affluere acre ſerum & copioſius effuſum arrodere illud, non eſt dubitandum: donec repetat originem ſuam, ubi reliquum ejus quod externas

par-

partes occupaverat dilapſum, vel diſcuſſum eſt. In carioſo vero dente aliter ſe res habet: is enim, exeſus carie (obnoxii vero huic ſunt malo maxillares præſertim illique tabulam ſupremam cruciatim crenatam perviam oſtendunt,) & ciborum minutias recipit, in putrilaginem mox fatiſcentes, & acres humores & aërem, qui ſæpè ſolus immanes inferre dolores poteſt. Quod ſi ita ſe habet foramen ut tota aperta cavitas ipſi reſpondeat, plumbo impleri poteſt, tumq́; ab omni dolore tutum præſtat hominem, uti quidem ego per annos quindecim & ultrà id expertus ſum: & quamvis caries exederet amplius dentem aucto tamen plumbo, majoreq́ue fruſto immiſſo, me perpetuò per omne id tempus à dolore ſervavi immunem: donec tandem ad latus lamina quoq́ue exederetur, totusque dens perforatus eſſet: tunc enim cum amplius immittere plumbum nequirem, cum ſubtus erumperet, totum exemi, atq; ſic quoque omni dolore conſtantiſſimè vacavi. Ubi verò plumbum non fert carioſus dens, quod fit, cum exiguum foramen in amplam cavitatem patet, tum verò nullum certius remedium eſt, quàm dentis evulſio. Ubi alveus quidem brevi impletus oſſea ſubſtantia, iterum concreſcit, eumq́; redit ad ſtatum quo erat in prima pueritia, obducta maxilla gingivarum carnibus: tamen locum illum interim eſſe vacuum ſeriemq́ue dentium interruptum moleſtiſſimum eſt. Huic vero malo remedium quoque inveniſſe caſus potius quàm ratio videtur. Nimirum reponitur evulſus dens in alveolum ſuum & denuò firmatur, ſine ullo periculo, neque unqvam deinceps dolet: quod honeſtus quidam hujus oppidi civis ſuo exemplo me docuit, qui nunc ſenex dentem illum carioſum circumfert, quem extruſum reddidit ſtatim alveolo ſuo, eoque ut ceteris

utitur Quod ſi cui fortè minus videtur credibile, is nil novi hic à me proferri ſciat. Equidem exempla quædam proſtant dentium ſanorum, ex homine recenter revulſorum in proprios vel alienos alveolòs denuò inſertorum, qui firmiter cum maxilla coaluerunt. Qua de re vide *Pareum, L. 1. cap. de dentibus, Riverium Obſerv. commun. à Dion Poiret XV. pag. m. 578. Borell. Obſerv. I. num. 10.* Quod ſi ergò ſani dentes id poſſunt, quidni & carie exeſi, cum cætera ſani ſint? Non tamen tacendum hic eſt, illi Civi cui repoſitus dens eſt, eundem adhuc gingivæ leniter adhæſiſſe. Quod tamen minimè neceſſarium putaverim. Non amplius verò deinceps dolere hunc dentem, mirum equidem haud eſt: cum enim nervus, vena & arteria ſine omni dubio diſrupta ſint eo ex alveolo ſurrepto, ſenſu carere prorſus membranulam internam, certiſſimum eſt. Hoc exemplum quantum utilitatis afferre poſſit inpoſterum dici non poteſt: Hoc enim pacto licebit dente dolenti cruciatu ſe liberare, uſum dentis conſervare illæſum. Itaque multò promptiores ad evulſionem ſe præbere deinceps carioſo dente dolenteque præditos juſſerim, nec ullum dentē evulſum abjicere.

OBSERVATIO CCXXI.

DN. D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

De Mira delirandi ratione cum ſiti & diabete fluxuq; ventris lethali.

Vir quidam juvenis, cum ingenio ſummo, tum eruditione non vulgari præditus, ab aliquot annis incidit in mirabilem morbum & cui ſimilem nulla ætas vidit. Cum enim per omnem vitam optime valeret, ratiocinaretur, & in ſermonibus tam familiaribus quam etiam illis, qui de majoris momenti rebus inciderent,

ſe & prudentem & moderatum manſvetiq; animi hominem oſtenderet, ut cuivis, etiam honeſtiſſimo muneri admoveri poſſe videretur, quotannis tamen, vernis aut æſtivis menſibus ſemel immani potandi deſiderio corripiebatur, ita ut reſiſtere impotenti animo vix poſſet. Quamdiu verò ſe continebat, nihil erat periculi, quin, ſi quam diligentiſſimè vel ſeipſum cuſtodiret, vel amici, qui eum noverāt, hortando, monendo, retinerent, ne ſitienti gulæ obtemperaret, potis erat reſiſtere, donec importunum hoc deſiderium ceſſaret planè. Ubi verò vel ipſe indulgebat ſibi, vel ab aliis amicitiæ ſpecie invitatus vel ſemel pocula labiis admovebat, continuo in maximum & mirandum hunc paroxyſmum incidebat, ut ſibi temperare amplius non poſſet, ſed ad ebrietatem usq; dies noctesque bibendo conſumeret, neque ulla erat ejus rei intermiſſio, nullæ induciæ. Quoniam verò tantam illuviem, qua inteſtina continuo perfundebat, continere alvus non poterat, perpetuum quoque erat urinæ profluvium, quo potus qualis aſſumtus erat reddebatur. Hoc poſtquam per plurimos dies duraverat, atque is ad ſummam debilitatem erat redactus, ſponte tandem ceſſabat, illeq; redibat ad priſtinum animi corporisque vigorem, lento licet paſſu, cum à ſumma debilitate ad robur prius, tam citus regreſſus eſſe non poſſet. Et ſic ſanus recteque valens perſtabat, donec vertente anno, rediret añuus ille paroxyſmus, novaq; bibendi ipſum incederet cupiditas. Interim tamen etiam alio tempore ipſi cavendum erat, ne ſodalibus nimium in ſe permitteret, non enim impune admittebat has vini vel etiam cereviſiæ (nam perinde erat quo liquore perfunderet viſcera) injurias, ſed tum quoque abripiebatur in eandem fœdiſſimam Chriſtiano pariter & liberali homine indi-

indignam rabiem. Felix! ſi tandem vincere hanc imanem libidinem, ſeque regere per paucos illos dies potuiſſet! At ſecus factum eſt, quippe hic egregius animus tandem ſuccubuit malo, & cum anno præterito vetus rurſum ſollicitaret inſania, usque eo proceſſit, ut fruſtra expectaret antiquum naturæ beneficium & in ipſo hoc bibendi œſtro cum fœdiſſimus excrementorum odor totum, in quo decubuerat, locum implevisſet, lectumq; conſpurcaſſet penitus, nemine opitulante, miſerrima morte tandem periret: dignus absq; hoc fuiſſet maximo malo, cujus induſtriæ negotia gravisſima reipublicæ concrederentur.

SCHOLIUM.

HOc tam inſigne malum unde originem ſumſerit, qui ceperit atq; adoleverit, equidem lubentiſſimè cognoviſſem, ſed nemo inventus eſt, qui id perdocere poſſet. Ajebant tamen, olim nihil tale ipſum fuiſſe perpeſſum, accidiſſe tum temporis, ut neſcio quæ mulier mala, ejus amore capta, propinaſſet philtrum ex quo ſtatim in delirium tale inciderit, permutatis quaſi Veneris & Bacchi inſaniæ poculis. Et verò non hoc mihi ἀπροσδόνυσον videtur. Ex cauſis enim naturalibus tam abſonum in homine optime conſtituto ortum eſſe morbum, ſi tamen morbus eſt, vix mihi perſuadeo: ſunt autem pocula ejusmodi amoris tali effectu prædita, ut dementiam potius quam amorem quod promittunt bibentibus inferant, eamque variam. Nullum autem mihi quidem venenum eſt notum, quod inſaniam conſtantem aut inhærentem conciliet homini: nam momentaneam & Maslach Turcarum & vinum ipſum procurare experientia conſtat. Novi olim ſtudioſum quendam ſacrarum literarum, optimum Juvenem & doctum, eadem de cauſa in delirium incidiſſe, quod

ſalva

ſalva memoria, ſolo judicio corrupto, perpetuo ipſum ad omnia ineptum reddiderat: ſolebat ille per plateas publicas incedere & hymnos DEO alta voce canere, mox etiam concionari per horæ dimidium & ultra, nec indocta loquebatur aut mala, non tamen cohærentia: ubi quidam erat obviam ex primariis incolis, quibusdam, crucis ſigno facto benedicebat, aliis dira omnia imprecabatur, ſic tandem mortuus eſt. Videntur ergò hæ venenatæ potiones omninò animum petere & pervertere vel cerebri tubulos vel ſanguini, ex quo ſpirituoſum illud cerebri fluidum, cogitationum inſtrumentum generatur, vel poris in glanduloſa cerebri cortice malignum fermentum imprimere, quod tranſeuntes particulas ſubtiliſſimas vel perpetuò vel certis temporibus afflatu peſſimo inficiat. In his acquieſcam, cum illa res tota forte humanam ſapientiam fugiat, quin ſuperet.

OBSERVATIO CCXXII.

DN. D. GÜNTH. CHR. SCHELHAMMERI.

De Dyſenteria ulceroſa.

CUm de dyſenteria id hodie conſtet, non tam ex inteſtinorum vitio quam fermentatione maligna in ſanguine hærente eam radicatam eſſe, epidemicam & contagioſam ſaltim, nec niſi ratione cauſæ ac malignitatis ab hypercatharſi differre, ſæpè ſubiit animum dubitatio, an etiam certum ſit, ulcera in inteſtinis hic ſubeſſe. Solvit hoc dubium ſequens caſus.

Juvenis 24. annorum, dyſenteria, quam ex caſtris in locum ubi degebat, illatam eſſe conſtat, ante quadriennium laboravit. Cum negligenter eam haberet, non quidem mortuus eſt, ſed ex eo tempore tamen ſanguinis fluxus non curatus, perſtitit, ſupervenienti-

bus ſucceſſu temporis dejectionibus purulentis, quæ in hunc diem durant, cum torminibus maximis atque doloribus ſummis, ventrisque inflatione ac turgeſcentia ſubinde recurrente. Sentit autem dolores maximè in dorſo, quem continuo calidis fovere tenetur, uti & ventrem ipſum carminativis & calidis, quibus dolores nonnihil mitigantur, raro tamen diu ceſſant. Cetera ſanus eſt: edit mediocriter & utcunque per vices laboribus domeſticis perfunctus hucusque eſt, ſed jam ſummè emaciatus, rarò inducias impetrat à malo, imò quovis momento, urgente materia ſellam petere cogitur, vitamq; adeò ducit miſerrimam. Excrementa quæ excernit, ſunt quidem nonnihil indurata, & naturalia, materia tamen illa purulenta, ſubinde ſanguineis ſtriis guttisque permiſta, ſemper ſimul prodit, modò præcedens, modo conſequens, modo mediis excrementis commiſta eſt.

Ex quibus omnibus nihil certius eſt, quam hic ulcera in inteſtinis etiamnum exiſtere & quidem ex dorſi dolore conſectandum in colo, non procul à fine ubi in rectum deſinit, ea exiſtere. Hinc enim eſt quod modo præcedunt, modo conſequuntur, pus & cruentata ſanies modo permiſcentur.

Dixi conſulentibus, difficile eſſe, & vix ſanabile inveteratum ulcus. Tamen vix me dubitare, vulnerariis potionibus balſamisque internè aſſumptis & cum cliſteribus injectis ſuperari poſſe.

Præſcripſi ergò talia: Illas quidem ex herbis notis, floribus Bellidis & hyperici, Lignisque Fraxini & ſancto additis, quod illud vulnerarium ſit, & hoc in lue ulceroſa ipſa proſit. Addidi mel roſatum cum ſymphyti ſirupo. Pulverem ſimul adſtringentem leniter & ſanantem ex terra Lemn. bol. Arm. terr. cetech. tantillo, theriacæ

riacæ momento, N. Moſch. in decocto ſumendum, Balſamum quoque vulnerarium internum propinavi: Cliſterem deniq; ex Verbaſci, Hyperici floribus & plantagine cum Tereb. ſævo hircin. & Ol. Hyper. nullus dubitans, his ritè uſurpatis, potuiſſe hunc ſanari; ſed non rediit ad me mater ægri, quia ex diis minorum gentium, plutumque minus propitium habebat, haud dubiè ſumtus erogare haud potis. Interim cum de ulceribus in dyſenteria ex his conſtat, tum illud etiam quanti interſit, nihil hic negligere.

OBSERVATIO CCXXIII.

DN. D. GÜNTH. CHR. SCHELHAMMERI.

De Menſtruis inſtantibus ſed fruſtra moventibus tentatis.

VIvit hic pauperculæ filia, añorum quatuordecim, lepida alioquin & hilaris, ſed quæ ante hos duos menſes cepit neſcio quibus triſtitiæ inſolitæ notis matrem perterrere & jam planè melancholica ac taciturna ſedit, oculis in unum locum defixis, ita ut vix verbum ex ejus ore poſſit extorquere.

Cumprimis verò ad lunæ phaſes, plenilunio puta, ac novilunio inſtante, motus humorum & dolores in regione pubis ac dorſo ſe exerunt: ex quibus ſignis quis in illa ætate non exiſtimaverit menſes inſtare & rapi materiam, obſtructis adhuc inſuetisque viis ad caput? Itaque pilulas fœtidas troch. Alhandal acuatis cum Merc. dulci præſcribo & Ol. Sabinæ quibus purgata, infuſum ex radicibus & herbis uterinis, aromatibus & corticibus citri atque aurantiorum parare jubeo, ex cujus uſu in melius quidem mutantur hæc, ſed menſes tamen haut apparent; ſigna licet adſint quovis novilunio revertente, anxietas nempe circa cor, dolor

in dorſo ac lumbis, hyſtericæ paſſiones. Octiduo elapſo cum luna jam dimidiata aſpiceret noſtrum hemiſphærium, ita augentur hæc, ut plane etiam deliraret, turgente ubique ſanguine. Venam igitur incidere jubeo, ſal volatile cum uterinis paratum, pulveresque caſtoratos exhibeo, unde melius habet rurſum. Dehinc utitur Eſſ Croci, Myrrhæ, croco, cum elæoſ. macis, ſed ſine alio effectu, niſi quod delirium ceſſaret, cum melancholia cetera ferè perſiſteret, aut ſtato tempore rediret. Menſibus aliquot elapſis, fluor albus ſupervenit, ſanguis mittitur, cruſta albicante & glutinoſa obductus apparet. Utitur eſſentia lignorum, ſuccino, Eſſ. Rorismarini, aliisque depurando ſanguini idoneis, ex quibus ſiſtitur vel minuitur ille. Poſt menſem venit ad me, ſumos circa cor anxietates doloresq; exponens, reſpiratio citatior eſt ſolito, ſed pulſus ferè naturali ſimilis, paulò ſcilicet elatior minimè tamen reſpirationis velocitati ac magnitudini reſpondens, frigus ſummum extremorum per vices ſe pati refert, thoracem veſtibus ſtringi neutiquam fert, præ cordis anxietate clamorem ſæpè ad ſidera tollit. Præſcribo cephalica & uterina, rurſum Spir. C. C. cum eſſentia Myrrhæ ad 40. guttas. Sed nihil inde levaminis ſenſit, quin potius mira hinc animo obverſarier, in mediis doloribus à riſu & cachinno ſibi non temperare, proximos agnatos, matrem & fratrem averſari, & mittere in malam rem, & alia à ratione aliena agere. Verum ex quo martialia & cumprimis Antimon. diaph. cachecticum propinavi, omnia iſthæc ceſſarunt, ipſaque placide obdormivit. Urinæ tamen difficultas urgebat, & ſtranguria, cui fruſtra lacte ſuccurrere tentabam, quin tanta erat urinæ acrimonia, ut vulvam eroderet. Hinc pilulas cachecticas & uterinas rurſum interpo-

nebam

nebam & urinæ ardorem pulvere ex ſem. Melon. ocul. cancr. & liq. raſ. c. ſacch. aniſat. exhibui. Ex quo tandem malum remiſit, & ſuperatum eſt, etſi non omninò. Nam menſes ne tum quidem ſequuti ſunt, attamen benè habuit, & motu corporis majori impetrato, rediit ad genium priſtinum, nec luna ſilente deliravit amplius.

SCHOLION.

EX hoc patet, quam ſit difficile menſes movere invita natura: etſi videatur ea id intendere, niſi opituletur fortius, tandemq; perrumpat clauſtra ſanguis retentus. Quod in mentem revocat Clariſſimi Riedlini lineas medicas Sept. XXVI. ubi oſtendit, interdum tardius erumpere & nonnunquam poſt vigeſimum demum añum, tum Aug. XXIX. ubi cognatæ, menſibus obſtructis ſingulis lunis difficillimam reſpirationẽ accidiſſe meminit; ut aliquoties prope ſuffocaretur. Cui licet omnem moveret lapidem, menſes tamen movere nullo modo valuerit: interim in diſpnœa illa nil magis quam menſes pellentia profuiſſe notaverit, ſi vel maximò menſium fluxus promotus inde nihil eſſet. Idem enim prorſus in hoc caſu eveniſſe vidimus, ut diſcant medici, nihil à recta via recedendum, etiamſi nihil ſenſeris levaminis, ſi modo naturam ducem ſequaris: ſecundum illud Hippocratis. II. 27. Aph. *Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν οὐ δεῖ πιστεῖν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως* & rurſum 52. *πάντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ᾽ ἕτερον μένοντα τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.* Quod profecto ſaluberrimum præceptum illis pudorem movere merito deberet, qui non perſpecto morbo aut cauſa conſiderata, ad ſymptomata ſolent omnia dirigere, ſi de morbo interroges, piſce vix loquaciores appareant, aut ea proferant, quæ toti ordini Medicorum injurioſa ſunt.

OBSERVATIO CCXXIV.

Dn D. GÜNTH. CHR. SCHELHAMMERI,

De Febre Epidemica, quæ ab autumno ipſoque adeo exeunte Septembri, per hyemem nobis fuit familiaris.

Anno præterito, menſe Septembri poſtquam magnum per integrum biennium morborum fuerat ſilentium, ita ut præter variolas, quæ toto illo tempore familiares admodum fuere, benignæ tamen prorſus, & niſi imperitia Medici eas corrumperet, ſine omni ferè periculo, tandem emicuit nova febris epidemica, quæ hoc oppidum & regionẽ circumjacentem ſubitò corripuit, fuitque frequentisſima. Contagioſa quidem non admodum, ſed ubi in domum quandam pervenerat, non unus ægrotabat plerumq;, ſed prope omnis familia, præſertim florentibus qui erant annis, ſæpeq; una eademque die fratres aut ſorores geminæ corripiebantur. Hujus talis erat indoles: Incipiebat per horrorem, non, ut conſveverunt febres, continuæ aliæ, levem & facile tranſeuntem, ſed per horas integras, tres quatuorve imò νυκτήμερον iis, qui ſanguine erant tenuiore acrive ſero, multoque adeo gauderent innato igne durantem obſervatum eſt. Poſt hunc calor ingruebat non intenſus admodum, ſed veluti oppreſſus, cum dolore capitis, vigiliis perpetuis, appetitu verò ita proſtrato, ut nihil omninò ciborum fere poſſent. Pulſus non magnus, nec niſi mediocriter, frequens initio, magis ad ſanorum quam febricitantium rationem accedens: nec facies admodum mutata: dolores membrorum & extremorum moleſtiſſimi aderant, idq; per totum fere morbi decurſũ. In principio diarrhœa, quin etiam ſinceri ſanguinis effuſio obſervata, idq;

idq; cum levamine Calor extremorum valdè remiſſus vel nullus, cum interim interne uri multa ſymptomata fidem facerent. Urina quoque perparum à naturali recedens, aliquando pallida & craſſa, mox etiam turbata, aliis craſſa itidem, ſed ſaturatius tincta. Ex ſudoriferis bezoardicis, vix quicquam levaminis erat: quæ ſæpe etiam fruſtra ſumebantur, ne madore quidẽ cutis ſubſequente. Tametſi verò nec cetera Medicamenta in febribus nobis uſitata, inter initia iſta, manifeſtũ auxilium afferrent, tamen ſiſtebã ſtatim impetum morbi, ejusq; augmentum & progreſſum inhibebam. Et hic ſputum ſanguinis aliquibus ſupervenit, coagulati & nigricantis, præſertim fœminis, ubi menſes iis ſubſtitere, quem cum ſcreatu vel tuſſi, conatu maximo, & quaſi vomiturientes rejiciebant. Febris interim in eodem tenore perſtabat, nec ut aliæ ſolent, à principio per augmentum ad ſtatum & declinationem decurrebat, ingraveſcentibus ſymptomatis, ſed per menſem imò ſex hebdomades ſubſiſtebat, nulla mutatione, niſi quod tandẽ ſomnus accederet profundior, cum levi delirio, præſertim ubi expergefierent ægri: quo tempore cum horrore excutiebantur, ipſis manibus trementibus & lintea & integumenta corripientibus, quaſique extra ſe eſſent poſiti, torvis & periculum metuentibus oculis in adſtantes intentis. Pulſus quoque tum minor, celer & frequens, ac nonnunquam ſat debilis, ut extrema imminere viderentur, altero tamen mane ægrum ſibi redditum & in melius mutatum morbum præter ſpem plerumq; invenimus: quo tempore urina etiam nonnunquam ſedimentum poſuit, ſed inæquale & infidum, dum interim benè ſperares, mox illa rurſum cruda apparebat, & nubeculis & enœoremate terribilior. Æger inter hæc de ſurditate conquerebatur, nec ſatis percipie-

ciebat adſtantium verba, eaque prima: erant ſigna morbi remittentis: ſomnus & ſurditas. Interim nihil adhuc aſſumebant, ne potulenta quidem, nam ſitis nulla in hac febre obſervabatur. Sicque vivebant ſine cibo & cum potu perpauco, quod mireris, per menſes integros, unum ac dimidium vel ultra, nec planè dejectis viribus, erigebant enim ſe & movebant ſatis pro ratione morbi, expedite, licet febris continua eſſet, ſine ulla vel intermiſſione vel certa ac periodica remiſſione, etſi à meridie gravius laborarent, nonnunquam ut ſolet fieri, & pulſus & urina modò conſtarent, modò peſſima apparerent, Medicumque in ſuſpenſo ſic tenerent: ut quem hodiè perbellè habere exiſtimaretur, craſtino habere deſperatum, & tamen poſtridie robur naturæ recuperatum, bene ſperare Te jubent denuo. In hoc dubio ſtatu, ægri aliquandiu perſiſtentes, tandem convaleſcebant ſenſim, urinæ ſedimento manifeſtè apparente, ſine ulla tamen alia criſi. In declinatione ſic conſtituti, nihil adhuc cibi admittebant, ſed dies noctesque dormiebant, pulſu ad naturalem ſtatum & robur priſtinum per ſomnum redeunte: & tum demum ſe ad extremam debilitatem perveniſſe ſentiebant, ut nec ſtare nec ſedere amplius potuerint, cum morbo durante, ſæpe nihil moleſtiæ perciperent.

Maculæ quidem aut petechiæ, in ipſo præſertim oppido, nullæ admodum obſervatæ, etſi de iis multus rumor percrebeſceret, at extra eam & quod notabile, in ipſo ſtatim ſuburbio nonnumquam emicuere, ruri verò frequentius; ſive jam ideo id factum, quia liberiori & frigido aëri ventisque magis eſſent expoſiti incolæ, ſive ex regimine pravo ac diæta pejore, ſeu quod tardius uti medicamentis inciperent. Horum aliqui extincti, pauci tamen, Urbanorum verò nemo facile: meæ curæ qui ſe comiſerit. Qui-

Quibus vomitorium per initia ſtatim propinavi, illi citius convaleſcebant quidem, non tamen effugiebant malum & ad recidivam erant proni. Calidis exhibitis, adeò ægri lædebantur, ut ex parvo juſcello cum vino parato, malum jam perdomatum, extemplo redintegratum, bis terve in eodem ægroto perciperem.

Talis erat morbus noſter, qui nunc videtur rarius apparere & brevi fortè ceſſabit.

Ex his itaque apparet, febrem hanc ex illarum claſſe meritò cenſeri, quæ Epidemicæ vocantur & ab indole ſibi propria haut parum recedunt. Continuam enim, & talem tamen quæ ad quartam imò ſextam hebdomadem extrahatur, ſine ulla remiſſione, nemo facile obſervaverit: nam Sydenhamii quoque Epidemicæ, etſi diuturniores, per tantum tamen temporis ſpatium neutiquam excurrunt: reliquæ verò, vulgares, niſi interturbes, intra dies quatuordecim ferè, vel ad vitam, vel ad mortē, in Germaniæ quidem pleriſq; regionibus ſolent terminari. Eſt autem hujus rei cauſa quod lentæ ſint & ad hecticarum naturā nonihil accedant. Quæ res impoſuit iis, qui putarunt calorem non habere ægros ſufficientem, adeoque calida propinarunt, quæ deprehenſa ſunt nocentiſſima: erat enim oppreſſus calor, & latebat in receſſu, ſed in multis quoque aliis à communi ratione abierunt: ut quod dolores in artubus adeſſent, nullus tamen ſudor exprimi poſſet, quod tuſſis ex tenaciſſima pituita, quod in exiguo calore delirarent tamen & abſurda proferrent, quod ſoporoſus & profundus ſomnus, cum pulſu maximè debili ſolveret morbum funeſtus in aliis, & prodromus mortis: quod nulla neque pulſus neque urinæ conſtantia & hæc craſſa atque turbida per totum ferè morbi decur-

ſum appareret. Hæc tamen omnia, etſi ſingularem & minus febri vulgari convenientem indolem oſtenderent, falli tamen eos compertum eſt, qui pro malignis illas habuere: vel hoc ſolo argumento, quod tam diuturnæ erant, in illis etiam qui moriebantur: nemo enim non attingebat vigeſimum imo ſuperabat: quod nulla malignarum epidemica poteſt, cum malignitas citius omnino corrumpat ſanguinem, tametſi enim decubitus in convaleſcentibus poſſit eſſe diuturnior, tamen interea morbus victus eſt. Deinde alterum argumentum quod pauciſſimi qui rite remedia adhiberent imò vix ulli interirent: Tertium, quod præter delirium & pulſus varietatem graviora ſymptomata nulla appererent; & denique quod non admodum contagioſæ eſſent. Addo multo maximum meum etiam argumentum, quod à Bezoardicis majoribus nihil levaminis, quod fieri non poterat ſi malignitas regnaſſet.

Et petechiæ quidem ut dictum, iis qui rite fuerant habiti, nullæ apparebant, quamvis non negaverim alibi viſas, ruri præſertim, quod ab ulteriore corruptione humorum, ex medicorum defectu, & aëris frigidi & valdè anomali admiſſione proveniſſe, non eſt dubitandum: quin ſuſpicio eſt non vana fortaſſis, in iis qui multis calidis ſunt uſi, non vi morbi, ſed & regiminis errore tandem erupiſſe. Vide Sydenhamium de novo febris ingreſſu.

Quibus autem remediis uſi ſimus in hoc morbo ſubjungendum nunc eſt. Dixi, nihil ſudorifera & Alexipharmaca juviſſe: id quod mirum non erat, cum ſanguis eſſet multa tenaci pituita infectus & craſſus, citra tamen malignitatem adeò notabilem. Qui levius ægrotare inceperunt, iis Sp. Sambuci ſtatim in primo prin-

principio porrectus utilis fuit, pleriſq; tamen quibus ſudorem non movebat inutilis. Vomitoria etiam non ſatis reſponderunt expectationi, quia in tali ſanguinis conſtitutione, remota à ventriculo præcipua cauſa nihil admodum poterant, potuiſſent autem, ſi ſerum fuiſſet minus craſſum & tenax.

Purgantia, videbantur maxime cônvenir epræſertim ſi Sydenhamio credas, ſed fateor me in continuis ab iis nonnihil abhorrere, itaque in hac re meticuloſior, ea nolui vocare in auxilium: audio tamen aliis id aliquando ſucceſſiſſe, ut morbus brevior inde factus ſit.

Ego vero tutiſſimum reperi, mitioribus agere, & lenius illud alexipharmacum Miſturam ſimplicem, rite præparatam cum pulveribus reſolventibus, Bezoardicis, præcipitantibus exhibere, addito Pannonici rubri tantillo, & nitro; ubi verò opus eſſet, & æger valide debilis, ea confortantibus aromaticis exaltavi. Myrrha quoq; & ejus Tinctura ſum uſus. Potiones cordiales temperatas, non multûm refringerantes etiam parari juſſi; refrigerantes enim neque ferebant ægri, nec convenire deprehendi, Aq. C.C. citrata, eſſentia Citri ſicca. Aq. cinamomi & menthæ multum ſolatii ægris attulerunt: ſed omnia tamen hæc ſenſim & ſine ſenſu operabâtur, reprimendo potius paulatim morbi vim quam eum manifeſto expugnando. Cum inter initia remiſſio quædam febris videretur adeſſe, adhibui etiam Tincturam Chacorillæ quæ tum videbatur juvare: ſed non erat ſatis valida ad vincendum morbum, mox enim cum rediret repreſſus, calor vehementiſſimus ſecutus eſt, cum calida ipſa eſſet, ut abſtinere deinceps ab ejus uſu coactus fuerim.

Dolori capitis epithemata ex papavere & nucleis

cum aquis cephalicis oppoſui, pulſum ſacculis ex ſpecieb. liberant. & aq. odoratis munivi, convulſioni ſimilimis tendinum contractionibus caſtoratis obviam ivi, ſic omnes qui curæ meæ ſeſe comiſerunt ſervavi, ſed lento gradu ad valetudinem proſperam, lentiſſimo ad priſtinum robur rediere.

Unum reticendum non eſt: binos cum ingenti & ſæpius repetita ſanguinis per nares hæmorrhagia ſub manibus habui, in altera virgine 15. annorum ſanguine abundante ſolvit morbum, ſed quia nullus erat finis nec modus profuſionis, tandem liquore ſtyptico, qui mihi in arcanis eſt, longe enim diverſus â vulgari, & V.S. eam cohibui, indeque ſanata eſt. Alteri vero juveni ſupervenit poſt hæmorrhagias hæc febris, eumque quam ſæviſſimè habuit, ut nondum etiam poſt ſesqui menſem ad priſtinum robur redierit, & hic ſe epidemicam & rebellem, nec quicquam ullam evacuationem curantem oſtendit hæc febris.

OBSERVATIO CCXXV.

Dn. D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

De Leporis Anatome.

NOn vos latet, Viri ampliſſimi, jactari vulgò, leporem eſſe Hermaphroditum, mariſque & fœminæ unum eundemque ſubire partes. Quod etſi fabulæ proximum, cuique qui vel è limine Philoſophiam ſalutavit, facilè videri poſſet: cum tamen qui venationibus delectantur, nobilib' ac Satrapis etiam idem perſvaſum ſit, placuit ejus rei certius experimentum capere. Itaque haut multo poſt quam id deſiderium me ſubierat, à Cl. Dn Collega ad hoc ferculum invitatus, acceſsi. Cultrum admovimus Anatomicum & quid ſub-

ſubſit veri, exploravimus facilè. Cum autem in Blaſii anatomicis obſervationibus, multa eorum quæ hic obvia ſunt, pro more ipſi conſueto omiſſa, alia falſo tradita ſint, placet, quid obſervatum nobis ſit brevi & ſuperficiaria ſectione paucis ſubjungere.

1. Pili ut anſerum plumæ poſſunt evelli, mollitie & candore cygni plumas æquabat.

2. Cutis longè tenuisſima, tamen cuticulâ ſuâ gaudebat, prorſus membranacea & pellucida erat cutis.

3. Tenuisſimo itidem pànniculo carnoſo ſub ea decurrente.

4. Super abdomen duæ magnæ veluti glandulæ pancreas aliquod referentes, ſex vel ſeptem pollices longæ, ſesquipollicem latæ, unum pollicem verſus abdomen, ad ſuperiora duos pollices, quas mammas eſſe compertum fuit.

5. In thorace duorum digitorum latitudine binæ aliæ ab his plane ſeparatæ repertæ ſunt, quatuor pollices longæ, unum latæ, lacte turgentes, harum ſingulæ in papillam ſuam deſinebant, ut quatuor poſſet lactare fœtus.

6. Uterus in ſuo loco ſatis amplo orificio erat & ex corpore ultra pollicis latitudinem propendebat, eratq; vagina ſua ad utrumque latus à reliquâ cute ſeparata, vulva novâ vaginâ, ſeu duplici valvulâ incluſa erat. Ubi ex corpore egrediebatur, binę quaſi nymphę conſpiciebantur, longis pilis obſeſſæ, ſed vix calami ſcriptorii latitudinem æquantes.

7. Ante has nymphas ad latas vaginæ introrſum verſus glandulæ apparebant binæ, magnitudine phaſeoli, albicantes, in medio autem apertæ, indeque egrediebatur corpus nigrum, quod facile cum extrahere tentavimus rumpebatur, conſiſtentia ceræ. Hæ glandulæ

dulæ ſubtus fundum habebant alterius coloris ſubcinerei puta, cui impoſita erat materia illa nigricans, velut ſardonchyē gem̄am æquabat. Hæc inferior glandula ad extremum usque uteri orificium progrediebatur, ubi in externâ facie vulvæ corpuſcula albicantia eminebant, exiguæ albicantes glandulæ tres, quatuorve utrinque: Sub his glandulis verſus anum erat cavitas iisdem glandulis major & aperta, in quâ materia erat flava durior, grumoſa, illi ſimilis quam ſub cervi oculis olim obſervavi.

8. Totum abdomen acidum & fracidum ſpirabat odorem, als Wildbret daß eine Zeitlang in Eßig verwahrt. Vaſa mam̄aria ex ramis iliacis egrediebantur.

9. Nulla pinguedo in abdomine ſed muſculi omnes aderant qui in homine, pyramidalibus exceptis.

10. Omentum nullum.

11. Inteſtina tenuia longiſſima, terminantia in colum, quod colon ulnæ longitudinem habet, cellulis ac amplitudine facile diſtinguendum, ſed in cœcum terminans non in rectum, 7. pollices longum, niſi cum Blaſio totum hoc cœcum ampliſſimum vobis appellare placeret. Inde ex eo loco ubi tenue colum ingrediebatur, rurſus ſenſim tenue incipit fieri, 3. ulnarum longitudine in anum deſinens, & hoc aliquando anguſtiſſimum, mox iterum amplius & veluti tuberoſam radicem aſphodeli liliacei refert.

12. Ventriculus ſatis amplus, peræ figuram habens, valde repletus cum inteſtina non eſſent ubique plena.

13. Lien tam exiguus, ut vix conſpici poſſet, non æquabat enim dimidii digiti longitudinem, latitudinem calami vix.

14. Pancreas etiam perexiguum, ut vix mereat nominari.

15. He-

15. Hepati lobi quinque, quorum unus in parte ſimâ longè verſus inferiora propendebat, alter perexiguus verſus ventriculum jacebat, cæterum totum variè ſciſſum, ac planè laciniatum.

16. Veſicula in medio lobi dextri ſuperioris, hujus ductus oblique in inteſtinum duodenum deſinebat.

17. Uteri vagina palmi longitudine ſub veſicâ decurrens in duo cornua dividebatur, in ſiniſtro fœtus duo reperiebantur, quorum unus liber, alter adnatus erat, & è ſtatu priori expulſus videbatur; dextrum inane erat.

18. Teſticuli in ſuo loco annexi, magni ſatis, prorſus albidi, in ſiniſtro protuberantiæ binæ; una jam extra teſticulum eminens, altera adhuc ſub membranâ, utraque facilè diſſecto teſticulo ſeparabatur, magnitudine erant piſi majoris; intus cavæ manifeſtò ova dicta videbantur. Teſticuli ipſi ſubſtantiâ planè ſingulari, quæ deſcribi vix poteſt, cerebrum proximè referebant. In altero teſticulo erat nihil.

19. Tuba inflata amplitudine ſuperabat lumbricum terreſtem maximum, ad teſtes ex venâ cavâ & arteriâ magna prodibant ſpermatica vaſa, è regione teſticulorum proxime ad eos exeuntia, arteria quidẽ exilis, vena verò decies major. Ramos dimittentes plurimos admodum ſpectabiles, quorum infimus ad tubas quoq; alios mittebat, reliqui ſupra teſticulum pampiniformia ſpectaculum pulcherrimum exhibebant.

20 Renes pinguedinali tunicâ carebant, præterea nihil habebant peculiare, ſuccenturiati aderant candicantes triangulares.

21. In inferiore parte vulvæ muſculus apparebat exiguus ad os pubis terminatus, ſub quo aliquid cartilaginoſi, quod vulvæ parti inferiori inhærebat, hoc

cor-

corpus clitoridem putavit Blaſius, fortaſſis aliis pro membro virili impoſuit, cum binis cruribus, utrumq; oſſi pubis inhæreat. Hoc in inferiori parte rotundum, in ſuperiori parte crenatum erat: officium manifeſto, ut in coitu vulvam erigeret, flaccidam aliàs nec idoneam quæ cum mas impetum facit, reſiſteret.

Ex his patet, non modo falſum eſſe quod vulgò creditur, ſed & Blaſium circa clitoridem ſuam egregiè deceptum eſſe, non minus quam venatores, is enim clitoridem, hi penem eſſe arbitrati ſunt, quod neutrum ex his, ſed plane aliud eſſe curatius inſpicienti pateſcit.

(Miſſæ Kiliâ Noribergam, d. 3. Jun. 1698.)

OBSERVATIO CCXXVI.

DN. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

De Utero Homicida.

HElena Mariana, Patritii & Protophyſici Vratislav. quondam Celeberrimi, Doct. Godofredi Thileſii, Filia, Prima tori mei Socia, ſvaviſſima olim caſtiſſimaque, nunc beatiſſima, ſtaturæ humilioris, Texturæ delicatæ ac tenerrimæ, Habitûs de cætero boni & ſucculentioris, ex roſeo lactei coloris, ſeu complexionis, ut vocant, primùm ſanguineo Chyloſæ, ſub Augmento tamen annorum, Morborum & Ærumnarum, in ſeroſo-bilioſam, Salſo-Scorbuticam p. m. ſucceſſivè vergentis, uterum primo gerens, Septimâ ante partum Septimanâ ſub itinere Frauſtadium (ut Phyſici ibidem oblatum munus obirem) à me ſuſcepto, cum curru collapſa, Partu de hinc difficillimo & ultra biduum laborioſiſſimo 3. Maji 1682 Filium lepidiſſimum enixa, Aëre ex obſtetricis imperitiâ frigidiuſculo minus cautè in uterum admiſſo, Lochiis hinc grumoſis & parcè tantùm fluentibus, uteroq; & abdomine univerſo, etiam poſt partum, plus debito tumente, inflato,

arden-

ardente, ac dolente, præter ſuffocationes inde Hyſtericas, Inflammatione hujus cum Febre continente ardentiſſimà delirâq; durante puerperio corripitur; à quâ licet, Deo clementer annuente, legitimo Remediorum Bezoardico-confortativo-præcipitantium, diluentium, reſtinguentium, ac revellentium per Venæ Sectionem &c. Nec non antihyſtericorum & discutientium uſu, quantum poſſibile, reſtituta, Ventrem tamen inde reportavit, retinuitque ſub umbilico verſus regionem uteri, aliquo modo elatiorem, Tumore ejus dolente, duro, tactuiq; remittente, ex percuſſione ſonitum & murmura edente, quin imò magnam volutationem & motum alicujus quaſi Fœtus ſpontè interdum repræſentante, Pubem inſigni pondere ſub inceſſu gravante, paululum ſubinde imminuto, brevi tamen iterum adaucto, fortiusque & profundius Tangenti, duriusculi quid, inſtar Pyri ſatis magni, ſub umbilico & integumentis Hypogaſtrii exhibente. Et quoniam Lactationi materia omnis per febrem puerperæ inflammatoriam ſubrepta, menſes poſtmodum ſæpius & doloroſè ac inordinatè, floridi tamen utplurimùm coloris, quanquam & alba ac Mucaginoſa quædam interdum, ex utero ipſi fluxêre, urinâ etiam turbidâ ſæpius mictâ, ſedimentum copioſum, quaſi chyloſum & purulentum, nebulamque vitri lacteo-pinguem reddente quin & umbilico aliquoties inprimis Auguſto illius anni ichorem purulentum fœdiſſimumque plorante, tam diu fortè usque dum abſceſſus quidam ſuperficiei uteri inflammati, ſummitate ſuâ umbilico jam tùm fortè adnati (uti ſub extiſpicio demum patuit) maximam partem fuerint mundificati, junctis inſuper doloribus ſubinde, & habitu corporis minus ac ante pingui & carnoſo, prolapſuq; uteri vaginæ inſimul

 mole-

moleſto. Rebus ſic ſtantibus varia adhibita fuerunt medicamenta, indicationibus hujusmodi ſymptomatũ correſpondentia, tùm carminativo-Balſamica, tùm aperitivo-laxativa, diuretica, vulnerariaque &c. partim proprio, partim aliorum conſilio, præprimis Experientisſimi ipſius Parentis & Excell. Dn. D. Chriſtophori Beckeri, Phyſici Provincialis Ducat. Glogav. &c. Ducibus, ſed fruſtraneo utplurimum effectu, & Pertinaciâ Tumoris renitentisſima, quanquam ſine inſigni reliquarum corporis Functionum hinc turbatione. Tandem, quæ divina benedictio eſt, gravida iterum facta, ſed æqualibus, ſi non majoribus, ac ſub primâ geſtatione, infortuniis expoſita fuit. Sub principium enim ſeptimi exinde menſis, Rhedâ penitus ſubverſa, graviter iterum corruit, nonoque, ex quo conceperat, menſe, 18. ſcilic. Auguſti 1684. Filium denuò peperit egregiæ indolis, qui adhuc in vivis, optimæque quæ Dei gratia, valetudinis eſt; Partu tamen & hâc vice ultra biduum durante, difficillimo & maximè præternaturali, ſiquidem fœtus, haud parvæ molis, & ſitu planè perverſo, corporeque complicato prodiens, ab obſtetricibus Frauſtadienſibus non adeò peritis vî quadam protrahendus erat. Quo facto Lochia copioſa tùm cruenta, tùm purulenta tandem fluxerant, c. dolore tamen & tumore uteri iterum inflammatorio ardentiſſimoq; nec non ſuffocationib' hyſtericis & febre Synochâ, Aphtis tandem quoque ſtipata. Quibus ipſis licet uſu conſimilium ferè, ac ſub primo puerperio, remediorum, maximam partem denuô ſublatis, venter tamen pariter prorſus, imò longè magis adhuc, ac poſt primum partum, tumidus, doloreque hinc inde pungente, tenſivo ac gravativo, affectus permanſit, caloribus ſimul hecticis, vagis, per intervalla ipſi ſocia-

tis,

tis, ita quidem, ut ad auſpicium usque anni ſequentis (1685. ſcilicet) ferè nunquam non ægrotarat. In uſum autem vocatis antihecticis, anticachecticis, Martialibus, carminativis nec non diaphoreticis diureticis & laxativis nodulis, clyſmatibus &c. ſubinde interpoſitis melius dehinc iterum habuit, coloremque & habitum nativum, licet paulo macilentiorem ſemper ac ſanitatem priſtinam maximâ ex parte recuperavit, exceptâ Phlogoſi interdum vaga & Tumore ventris prædicto, firmiter perſiſtente, utut poſt purgantia interdum, & ob flatuum ſimul junctorum inconſtantiam, variaque mucaginoſa & purulenta ex utero ſubinde evacuata, per intervalla modò minore paululum, modò majore iterum facto; Ita ut tolerabiliter ſic per Annum hujus Seculi 85. 86. 87. 88. 89. & 90. vixerit. Et quanquam varia porrò auxilia contra tumorem iſtum fuerint adhibita, fruſtranea tamen fuerunt cuncta, etiam Lixivia Diuretico-laxativa, & Hirſchbergenges tandem thermæ, ægra maximè efflagitante Majo 1689. tentatæ. Nuptiis quibusdam cum interfuerat Menſe Octobri Anni 1690. deque piſcibus variis tunc comederat, cyprinis inprimis, inſequente motu corporis poſt paſtum vehementiore, & frigido hunc excipiente potu, nauſeam contraxit inſignem, cum ſubſequa febre acuta continente, comitata iterum dolore ardentiſſimo, ſeu inflammatorio, Regionis uteri, à prægreſſis impreſſionibus, atoniis & reliquiis ulceroſis, eò jam diſpoſiti, ut & ſuffocationibus Hyſtericis tuſſiculoſis, ſatis frequentibus, ita ut ſub declinationem hujus febris, cum appetitu urgente, cœnâ liberaliore aliquando uſa eſſet, motusque & compreſſio corporis levior hanc excepiſſet, ſenſu ruptionis quaſi cujusdam internæ in Ilio dextro animadverſo, totus venter actu-

tum inſtar Tympani ſummè tenſi & duri, c. enormi dolore & reſpirationis interceptione adeò intumuerit, ut eo ipſo momento rupturus, ægraque exſpiratura videretur; Hisque turbis (beneficio præcipitantium antiſpasmodico hyſtericorum &c.) licet iterũ ſedatis, venter tamen in iſto, quin & majori ſucceſſivè, diſsenſionis ſtatu poſthac nunquam non perſeveravit exhibuitque tumorem durum renitentem, in ſiniſtro potiſſimùm Ilio ſonum, ſi percuteretur, edentem, in dextro autem magis elevatum, ibidemque ac in regione hypogaſtrii anteriore ſiniſtra verſus ſub umbilico, & inferius adhuc paulò circa pubem, protuberantias inæquales, duras, aliquo modo rotundas, & diſtinctas, ſeu circumſcriptas quaſi, pugni magnitudine ſingulas habentem & murmura quaſi ac fluctuationes, vel effuſiones varias aquarum, ſub inflexione corporis vel compreſſione inguinis ſiniſtri, auribus ſiſtentem, tuſſiculâ ſimul ſiccâ, c. urina ſubinde purulentâ & frequentibus ac vagis, circa veſperam imprimis, caloribus, his ſimul junctis. Quoad cæteras autem corporis functiones melius iterum ſucceſſivè habuit, floridum denuò faciei colorem recuperando, unà cum optimo eſculentorum & potulentorum appetitu, menſiumque ordinario iterum fluxu, ſatis copioſô, & benè tincto, utut interdum (collecto iterum ac coäcervata per intervalla pure, uti ex inferius recenſendis patebit) unà cum urinâ purulentâ, inſtar cornu-recens uſti enormiter hic fœteret. E mammis quin etiam lac ſeroſum ſubindè, preſſis, potiſſimùm papillis, ſtillavit, & unà cum motibus flatulento-ſpasmodicis intra abdomen novam quaſi imprægnationem aliquando mentitum eſt, ob vaſa ventris ac trunci inferioris, per enormem abdominis tumorem, nimis fortè compreſſa,

ſan-

ſanguiniſque ejus lactei majorem hinc in partibus pectoris vicinis ac ſuperioribus redundantiam.

Tandem Anno milleſimo ſexcenteſimo & nonageſimo Aprili, poſtquam per integrum menſem. Menſes ipſi alternis ferè diebus ſemper fluxerint, ut ut parci nunc, doloroſi, pallidi, & fœtore prædicto putrido, unà cum urinâ, inquinati, propinatâ ipſi parcâ Doſi aliquando pro nocte ad putrediñe hanc aliquo modo corrigendam, Eſſentia Myrrhæ ſuccinatâ, ceu Balſamica, enormis floridiſſimorum Menſium fluxus ſecutus, unà cumconatibus parturiendi, & ſub his Excretione per uterum Maſſarum decem Sanguineo-carneò-membranacearum ac moliformium quaſi, licet plane informium, ſatis firmaæ tamen compactæque Texturæ, quarum aliæ minores, aliquę autem Pugnum æquabant, Unaque ex illis obſcurum & confuſum quaſi rudimentum Embryonis, inſtar carinæ cum membranis involventibus apparentis, exhibebat. Sub & poſt quarum enixum verò, dolorem ingentem Ilii dextri uterique, unà cum horrore & æſtu febrili, magnâq; debilitate, Ægra perſenſit, ita tamen, ut turgentiſſimus Venter poſt tot tantasq; excretiones nehilum ferè relaxatus, & diminutus fuerit, licet fluxus etiam ſanguinis uterini tantâ in copiâ & exceſſu tunc continuaret, ut ſingulis momentis ſvaviſſimam conjugem enecturus videretur, Cujus ergo moderandi gratiâ, hoc rerum ſtatu periculoſiſſimo, 13. Aprilis 1692 alios ſimul Medicos, Excellentiſſimos Experientiſſimosque Domines Doctores, Thileſium ſcil. ſocerum, & Jæniſium Phyſium Vratislavienſem, Oehmiumque Practicum & Academicum Leopoldinum Naturæ curioſorum Celeberrimum, convocavi, ubi in extremo hoc neceſſitatis caſu junctis Conſiliis applicavimus,

præter interna abſorbentia & confortantia temperata, ſtypticaque blanda cydoniata, injectionem in uterum, cujusdam decocti blandè adſtringentis, Balſamici, & vulnerarii, è decoct. ſcil. in aqua ſimplici: Rad. Tormentillæ & Symphyt. Cort. Granator. Fol. Plantagin. Portulac. & Veronicæ, Florumq; Chamom. Rom. in cujus colaturæ ℔j. diſſolv. Mell. roſ. ℥vj. Thereb. Ven. c. v. o. ſol. ℨij. & Balſ. Peruv. ℈j. M. Extemplo autem poſt injectionem, horror totum ejus corpus invaſit, cum conatibus vomendi, paſſionibusque hyſtericis quaſi, æſtu ſubſequente etiam febrili, ac quotidie circa veſperam redeunte. Hoc perinde viſo, injectione porrò omiſſa, internis ſaltem prædictis continuavimus, moderato hinc quidem ex parte fluxu ſanguinis uterino, non tamen penitus ſic ſublato, ſed conſiſtentiâ parùm ſpiſſiore ſine intermiſs. diu adhuc continuante, unà cum aliis liquaminibus variis, ſeroſis, ichoroſis valdeq; fœtentibus, ex utero, uti pariter ex veſica c. Lotio, emanantibus, usq; dum Junio Menſe poſt Venæ ſectionem parcam, ob fluxum ſanguinis uterinum nullo modo iterum coërcibilem, ægramq; diuturnitate nimis enervantem, Revulſionis gratiâ inſtitutam, fluxus omnis ſanguinis, & menſtruus etiam, poſthac prorſus ceſſaret. Cumq; deinde Tuſſis ſicca ſubinde repeteret, magis quàm tolerari poſſet, aliis initis, abſtergens laxativum cum aliquali Euphoriâ, Tuſſisque maximam partem ſublatione, propinatum. Nihilominus tamen & poſteà calorem ſemper corporis naturali paulò intenſiorem, & quotidiè circa veſperam nonnihil auctum, paſſa eſt, c. ſapore ſimul putri in Ore, Doloreq; Lumborum ac Ilii dextri, nec non debilitate & Emaciatione hinc notabili, adeò ut ſub finem ejusdem menſis lecto iterum prorſus, & ſatis quidem diu affige-
retur.

retur. In quo cum 7. Julii in latus alterum ſe volveret, Rupturam quaſi alicujus partis, (procul dubio autem Sacculi è quorundam Lymphaticorum, ut inferius apparebit) perſenſit, è veſtigioq; hinc, ac prima demum vice, Pedes hydropice, & totos quidem enormiter, à calce usq; ad Femora intumeſcentes, ſucceſſive tamen, imprimis poſt Fluxum Alvi aliqualem obortum, ſpontè iterum decreſcentes, inſigni tamen corporis debilitate & Lypothymiis quaſi ſæpè inſequentibus.

Æſtu autem febrili continuò nunc magis evadente, poſt inſignem morbi exacerbationem, nono Aug. per univerſum Faucium Iſthmum totamque Linguæ ſuperficiem Aphthæ quaſi criticè apparent, cum inſigni in faucibus proventu muci ſalivalis inſpiſſati & ſuffocationis ingenti periculo, à quibus tamen aſſiduis injectionibus Gargarismatum, illituque mucilaginis è ſemine Cydoneorum, nec non emulſionibus internis diluentibus, attemperantibus & confortantibus, Bezoardicisque præcipitantibus, feliciter iterum liberata, & in meliorem valetudinis ſtatum induciis quaſi cum morbo factis, reſtituta fuit, imprimis cùm 23tio Auguſti manè, ingenti prægreſſo ardore circa pubem, præter abſceſſum procul dubio aliquem uteri aut veſicæ maturatum ruptumque, ultrò & altera quaſi ac divisâ criſi, copioſisſimus, ad 16. Libras ſpatio bidui ſe effundens, ſequeretur urinæ & cum eâ ichoris purulenti, craſſi, virideſcentis & putentisſimi, fluxus, cum ſubſidentiâ aliquali ventris, & omnium ferè functionum redintegratione, excepto Menſium fluxu, nullo modo reducibili, etiamſi ad hunc ſolicitandum venæſectio quoque pedis celebraretur. His peractis, urina iterum reddebatur clara, per intervalla tamen ſæpiùs, e. g. ſingulis ferè tribus vel quatuor ſeptimanis loco

Men-

Menſium quaſi ſuppreſſorum, aut usque dum (vi infra demonſtratorum) novus puris Folliculus maturatus ac diſruptus, brevi poſt cauſas, utplurimum occaſionales, animum irâ, aut corpus motu vel calore quodam leviter exagitantes, æſtumq; hinc febrilem ephemerum, urinam aqueam, pallidam, tenuemque & ruptionis quendam ſenſum verſus veſicam, præcedentes, uno vel altero die magnâ in copia. Lotium iterum ſequebatur turbidum & ſupra dictis modò qualititibus virulentis notatum. Cui ſub conatu alvum deponendi & ſimul quaſi parturiendi graviſſimo, unà cum fæcibus alvinis ex utero ſimul excreti, ſteatomatoſi & purulenti haud raro ſociabantur folliculi. Hæcq; cuncta cum æſtus, dolorum & ſymptomatum plurimorum levamento aut remiſſione notabili ſemper, ita ut Novembri ejusdem anni Grabato relicto, in Templum illa denuò conceſſerit, mediocriter ſe habendo, optimeque iterum comedendo: quanquam nihilominus prædictæ modò excretiones alvinæ, uterinæ & urinariæ, præintimatis intervallis, cum euphoria aliquali brevique porrò repeterent, uti & tuſſis nonnunquam, circa veris & autumni tempus ſingulis annis potiſſimum, redierit, aliis irritis, catharcticis è cremore Tartari & Scammoneo ſulphurato, aut radice ebuli, mox iterum cedens, ſine tamen notabili ſtabilive ventris hinc decremento, quamvis magna ſæpè quantitas ſeri folliculorumque prædictorum ſteatomatoſo ichoroſorum iisdem fuerit evacuata. Imò, quod magis miraberis, Anno 1694. Aprili 17mo tuſſi ſiccâ contumacius redeunte, aliisque auxiliis fruſtaneis, cum purgante modò indigitato iterum uſa eſſet, hocque per accidens vomitus ſimul aliquot moveret, ex tumoribus iſtis inæqualibus ſupra memoratis in

dextro

dextro. Hic vel hypogaſtrio potius aliquis ſupra pubem magis hinc extuberavit, majoremque dolorem & ruborem quaſi maturativum ſucceſſivè ſic contraxit, quin & emplaſtro ſpermatis ranarum impoſito, die quarto Maji ſpontè ſe aperuit, primitùs ichorem purulentum cruentumque aliquo modo, qualem furunculi ſolent, exhibens, emplaſtris verò & Turundis convenientibus ſatis mundificatus & ex parte conſolidatus, exigua tandem ſcaturigine, extremum pennæ anſerinæ æquante, per integrum Annum nil niſi Lympham limpidiſſimam, modò fluidam, modo ſpiſſam inſtar gelatinæ cryſtallinæ pellucidiſſimæ, in magna ſatis copia tum ſpontè, tum preſſione aliquali (è folliculo extra dubium lymphatico uteri, cum cute connati, ſic rupto, uti mox patebit) quotidie plorans fundensque, quamvis & hoc pariter, ac ſuperius tacta excreta, ſine ulla ferè aqualiculi diminutione aut ſubſidentia, haud alia fortè ex cauſa, quàm quod uterus abdomini circumcirca adnatus, multisq; ſolidioribus etiam contentis ſcatens & infarctus fuerit deprehenſus. De cætero tamen tolerabilius deinde vixit, ſi dolorem Ventris à multis Annis jam roſivum, tenſivum & gravativum exceperis, usq; dum Februario Anni 1695 ex Lympha ſalſa procul dubio (ob adnatum itidem, ceu poſt mortem patuit, undecunq; in circumferentia abdominis uterum) in Epigaſtrii tantùm ſummitate intercluſa & denuò coäcervata, ſicq; Diaphragma ſuperincumbens continuò rodente & irritante, Tuſſi iterum & Tumore Pedum hydropico usq; ad Femora enormiter & contumaciſſimè vexaretur, nullis Remediis, ſeu evacuantibus, ſeu demulcentibus, amplius auſcultante, ſed unà cum hectico iterum calore ſucceſſivè eam ita defatigante, viribusq; extremum tandem exhauriente

ente ac enervante, ut Martii ſecundo Nocte, tertio poſt octavam quadrante audito, piiſſima ac devotiſſima ad beatam Analyſin Præparatione præmiſſa, integris intellectus ad extremum usq; Halitum viribus oſtenſis, placidiſſimè exſpiraret Animamq; Deo redderet. Aurora proin proxima illuceſcente in præſentia trium præter me Medicorum, Excellentiſſimorum ſcilicet Dominorum Doctorum, Joh. Jæniſii prælaudati, Samuelis Graſſii, & Chriſtiani Rieſii, Chirurgiq; exercitatiſſimi, Godofredi Purmanni, Corpus exanime curatius luſtravimus cultroq; anatomico examinavimus, ſequentia notatu digna in illo deprehendentes:

Totum abdomen enormiter, & cum protuberantiis hinc inde inæqualibus, tumidum, ſplendens, & ad Genua ferè usq; propendens ac extenſum erat.

Inciſa Cute Abdominis, Lympha puriſſima impetu quodam proſiliebat, turgens maximè in ſpatiis intermuſcularibus & ſummitate Epigaſtrii imprimis, in qua Ventriculus & Inteſtina ferè cuncta verſus Diaphragma & dorſum reclinata & in ſummas anguſtias adacta erant.

Uterus enim inſtar ſummùm gravidæ per totum Abdomen extenſus, omnibusq; ferè integumentis & Viſceribus Ventris inferioris firmiſſime adnatus ſeu accretus deprehendebatur, cujus totum, tùm ſuperficiem & ſubſtantiam, duos pollices undiq; craſſam, tùm cavitatem quoq; ſatis capacem, innumerabiles ubiq; ferè perreptabant replebantq; Cyſtides magnitudine ovorum columbinorum & gallinaceorũ, quarum aliæ repræſentabant ſteatomata; ſebaceo-cartilagineâ materiâ repleta, aliæ verò ſacculos Lympha pellucidisſima plenos, quorum unus quoque in Ilio dextro, 2. Palmis ſub umbilico, Muſculos abdominis, Macie pror-

prorſus fermè conſumtos, & Cutem ad extima usque, unà cum Pedunculo ſuo penetraverat, Lymphamque ſtante adhuc vita per integrum ferè Annum modo prędicto extra Corporis Limites profuderat; conſimileſque plures intra cutis & Muſculorum abdominis interſtitia diſruptus illi pariter & Pedes totos ſeroſitatibus ſuis inundaverant. Aliæ porrò earum abſceſſus veros tunicatos referebant Içhore purulento, ex viridi albescente ſummeque fœtido refertiſſimos, qualis quidam & veſicam urinariam, cum utero circumquaque in unum quaſi viſcus coälitam, hinc inde perforaverat, cumque urina pus conſimile è Corpore ſæpius effuderat.

Sanguinem in Venis Arteriisque totius Corporis ferè nullum deprehendimus, eò quod omnis ejus materia in ſacculos & abſceſſus prædictos depoſita & conſumta.

Viſcera verò reliqua Abdominis Pectoriſque (etiam Renes) cuncta integerrimæ & ſaniſſimæ erant conſtitutionis, partes tamen externæ omnes, præter Abdomen & Pedes, inſtar Sceleti emaciatæ.

In Vaginâ uteri Tunicam ejus poſteriorem quaſi Sacculum pyriformem extenſam vidimus, quæ interdum Pondere & Flatibus Conatibusque alvinis deorſum preſſa, Prolapſum quaſi Uterum, forma rotunda inſtar Veſicæ inverſæ & ſummum inflatæ, Spithamæque longitudine propendentis, repræſentabat.

SCHOLIUM.

Ex prædictis in caſu hoc circumſtantiis luce meridianâ clarius patet, prima tumoris hujus

morbique potiſſimùm uterini incurabilis, hincque homicidæ titulo à me inſigniti, fundamenta ex prægreſſis variis hinc inde cauſis externis, imprimis lapſibus ſub geſtatione ventris gravioribꝰ, nec non aëris minus cautâ in uterũ ſub & poſt partꝰ difficillimos, maximèq; præter naturales admiſſione &c. jacta fuiſſe. Siquidem ex tot contuſionibus, contorſionibus, diſtenſionibus, irritationibus & inflammationibus uteri enormibus, tàm ſuperficierum, quàm totius ſubſtantiæ ejus Fibræ & vaſcula non niſi discontinuari, lacerari, & excoriari hinc inde potuerunt. Unde non ſolùm uterus summè diſtenſus Partibus & integumentis circumſitis ſucceſſive magis magisque adnaſci, ſed per vaſa quoq; lymphatica eorumque interſtitia valvuloſa (juxta modum in Obſ. 141. Ann. 7. Decad. 2dæ Ephemeridibus hiſce olim à me comunicata expreſſum) ſucceſſivè valdèq; tandem diſtenſa, ſecundum ſubſtantiam æquè ſuam ac cavitatem excavari facilè potuit in varios diverſæ magnitudinis nidos ſeu receptacula Lymphæ, tùm tenuioris & liquidioris, tùm, glandularum imprimis quarundam, ſpiſſioris quoque ex compreſſione & æſtu majore adjacentium hinc inde copioſiorum & majorum vaſorum ſanguiferorum diverſa facie modoque in iis inſpiſſatæ ſeu coagulatæ & induratæ, cumque ſanguine ſimul intra quædam illorum extravaſato, eique commiſto in ichoroſam materiam ſuppuratæ.

Ex quibus ſanè licet ante exenterationem occultisſimis obſcuriſſimisvè, non niſi talis adnaſcentia & tumor Cyſticus uteri oriri potuit, miſtus ex ſteatomatibus ſebaceo-cartilaginoſis, & folliculis ſacculisvè tùm lymphaticis, hinc inde ruptis, tùm ichoroſis, ſeu abſceſſulis, veſicam quoque cum utero connatam perforantibus, hincque hydropem partim uteri botryoidem

dem, aut (ſolam magnitudinem ferè, quæ radicalem tamen differentiam parit nullam, ſi exceperis) ſaccatum quaſi, ſeu intra vaſorum interſtitia valvuloſa expanſa comprehenſum, partim in abdomen & pedes, ex ruptis quibusdam Lymphaticis, extravaſatum, hecticamque diuturnam & incurabilem, totum corpus contentis ſuis vitalibus ſucceſſivè exhaurientia & conſumentia, producentibus. Hujus autem ex caſus rariſſimi delineatione & ſignis, ſin ſimilia fortè occurrant, haud diſſimiles quoque affectus latentes quilibet facilè augurari & dignoſcere, eorumque Prognoſin infauſtam (ob tot complicatas, & impletu partim impoſſibiles, partim prorſus ſibi contrarias invicem, indicationes curativas, ita ut uni ſuccurrendo in reliquas neceſſariò & inevitabiliter impingendum ſit fueritq;) formare poterit. De cætero parallelam in nonnullis Obſervationem octavam Anni Imi Actorum Hafnienſium legere dignetur benevolus Lector, adhibitæque in Hiſtoria hujus morbi recenſenda prolixitati ignoſcere, cum ſine hac obſcura, mutila, & manca prorſus fuiſſet, & ſucceſſus mutui antecedentium & conſequentium circumſtantiæq; omnes, inſtar circuli aut catenæ cohærentes, unicè ac omnium optimè ſe invicem explicent. Styli autem impuritatem & inconcinnitatem uſûs hactenus raritas, brevitasque temporis eò conceſſi, ob clinicorum ejulatus continuò interrumpentes & avocantes apud prudentiores facilè excuſabunt.

OBSERVATIO CCXXVII.
Dn. D. MAXIMILIANI PREUSSII.
De Febri putrida ſine putredine ſanguinis animatâ.

MArgaretha Georgii Bienneri, Æditui ad S. Cathar. Uratislaviæ, conjux, media 7ma matutina 22. Sept. A. R S. 1694. Partu laborioſiſſimo graviſſimoq; enititur puellam vivam, altero abhinc die horrore ac æſtu febrili intenſiſſimo correpta, iisque alternis primùm, dehinc autem ſingulis quoque diebus, atrocius ſemper recurrentibus, hocque potiſſimùm, cum Lochia juſto etiam citius deficerent. Quare præter Bezoardico præcipitantia, chinata, & confortantia diluentiaque temperata, hactenus propinata, his reducendis venæſectio pedis dextri quoque inſtituta, junctis ſimul uterinis balſamicis ac emmenagogis blandioribus.

Fruſtraneus autem cum eſſet conatus omnis Lochia reſtituendi, Febris hæc, magis magisque ſemper exacerbata, in continuam putridam tandem degeneravit, cum intolerabili ardore ſub pube & præcordiis, doloreque punctorio & tuſſiculoſo circa pleuræ latus ſiniſtrum. Cumqve in hoc rerum ſtatu octavo & nono Octobris die in matulæ, urinam ejus auream continentis, fundo, ut & per omnem ferè circumferentiam vaſis fictilis, in quod alvum ægra noviſſimè dejecerat, iñumerabiles ac minutisſimi vermiculi candidiſſimiq; inſtar Acarorum aut Aſcaridum, ex uteri partiumque vicinarum inflammatione & abſceſſibus putridis ac verminoſis fortè enati, deprehenderentur, ſicque ſuſpicionem aliorum de putredine animatâ, in ſanguine hic forſan etiam latente, in mentem revocarent, certitudinis hujus explorandæ gratia, urgente inſuper hoc dolo-

dolore æſtuque pleuritico & deſiderio puerperæ abſolutiſſimo, ex mediana brachii ſiniſtri ſanguinis tunc floridiſſimi 4. vel 5. uncias præter propter extraxi, nullo tamen veſtigio fœtoris aut putredinis animatæ, etiam cùm aſſervatus ultra diem integrum eſſet, notati aut conſpicui. Ne exiguum autem vel doloris, vel æſtus febrilis, levamen cùm ab hoc, aliisque auxiliis indicatis ægra ſentiret, quin tandem quoque delirio atrocisſimo corriperetur, 18vo Octobris die, à puerperio 27mo placidè exſpiravit, extiſpicio tamen, poſt mortem à me deſiderato, per Maritum Agnatosq; ejus pertinaciſſimè denegato.

OBSERVATIO CCXXVIII.

DN. D. MAXIMILIANI PREUSSII.

De Viſceribus curru tranſeunte ruptis cute illæſâ.

ABlegante Incluto Senatu Vratislavienſe, in præſentiâ Georgii Mähreri Diſpenſatoris in Hoſpitali ad SS. Trinitatem, & Prædiorum eò pertinentium Præfecti, Judicumq; paganorum Loci, per Matth. Godofr. Purmannum, Chirurgum Civitatis Vratislav. juratum & ordinarium, Klettendorffii d. 28 Maji 1695 cultro anatomico aperiri curo Puerum ruſticanum 14. annos natum, Johannem Ulbersdorffienſem, pridie horâ 4ta Veſpertina, cum ebrius eſſet, è Plauſtro delapſum, Axique ſic & Rota poſteriore Currus everſi & tranſeuntis graviter preſſum læſumque, hinc proprio motu è viâ publica ſe adhuc volventem, vomituque contenta Ventriculi ejicientem, Klettendorffium deinde ceu Pagum proximum deportatum, & poſt inſignes Lipothymias viresque penitus exhauſtas, circa ſextam ſubſequentis diei matutinam Animam ibi efflantem.

In

In cujus Cadavere dehinc deprehendimus Contuſionem inſignem Tibiæ ſiniſtræ & ſuggillationes latiſſimas circa Lumbos & os ſacrum, Cutem tamen externam nullibi, nec in abdomine, ruptam. Hâc verò cultro Chirurgi diſciſſa, enormis collectio ſanguinis extravaſati, univerſam fere abdominis Cavitatem occupans ac replens, & Inteſtina hinc inde valdè contuſa ac livida, dextrum verò ventriculi orificium, una cum Hepate, venâ Portæ, & Rene ejusdem Lateris, nec non Lien, per medium prorſus rupta apparuerunt: miranda ſane hic impenetrabilitate Cutis externæ, niſi ob cedentem facile hujus Mollitiem & extenſibilitatem, viſceraque mollia immediate eidem ſubjecta, illæſam, hæc autem in poſterius abdominis ſeptum, maximam partem oſſeum, Terramq; ſubjacentem firmiſſimam violentius adacta aut impulſa, hincque extendi amplius neſcia, per medium neceſſario fiſſa dixeris. Vitam autem quomodo trahere tàm diu adhuc poſt tantam Læſionem potuerit, non minus obſtupeſcerem, nî conſimilia quædam aliàs vidiſſem, & parallelum imprimis exemplum Affinis & Collegæ æſtimatiſſimi, Dn. D. Samuelis Graſſii, in Ephemerid. noſtr. Anno ſecundo Decad 3. Obſ. 70. legiſſem &c.

(*Miſſæ Noribergam Uratislaviâ d. 3. Jun. 1698.*)

OBSERVATIO CCXXIX.

Dn. D. WILHELMI HULDERICI WALDSCHMID.

De Filis minutiſſimis argenteis, in vitro natis.

ACceperam antè plures annos à Dn. Merwizio, Med. D & Practico apud Lubecenſes feliciſſimo, vitrum, quod quartam menſuræ partem, ſive libram medicam capit,

capit, ejuſdem cum vitris iſtis, quibus ad mixturas utuntur Pharmacopœi, figuræ, vacuum quidem, ſed cujus lateribus, ſiccis admodum, nec ullo liquore humidis, fila laminata aut bracheata adhærebant, ſpiraliter contorta, & aranearum telæ inſtar ſubtilia, rigida tamen, & quæ vitri in modum diſſilirent argentei coloris & ſplendoris, ita tamen, ut vitro ſolis radiis obverſo, iridis colores, aut illum, quem in columbarum collis cernimus, exhibeant: ſaporis ferè nullius paucam ſalſedinem ſi excipias. Stetit ſic per biennium aut triennium vitrum, quod, dum caſu iterum reperio, ad unius digiti altitudinem repletum video materiâ iſtâ argentea, pilorum inter ſe contortorum globum repræſentante, & vitrô commotô, illud quod lateribus ejus adhærebat, decidebat. Hanc verò in fundo jacentem materiam, alii indidi vitro, & plures poſt ſeptimanas, prius de quo ſermo eſt, vitrum, eâdem materiâ ad certum ſpatium repletum offendi: atque hoc poſtmodum ſæpius obſervavi, generari nempe hanc materiam de novo, in vitro illo evacuato. Difficilè verò eſt determinatu, qualis ſit materia, & quæ ejus generatio? Tantum quidem mihi hâc de re innotuit: expoſitum fuiſſe Menſe Martio hoc vitrum, in quo antea Spiritus Terræ cujuſdam per ſe volatilis & oleoſus asſervabatur, rore majali refertum, radiis ſolaribus, & poſt humidi evaporationem, dictum apparuiſſe phænomenon, de cujus generationis modo, ſi quid certi conſtaret, aliis phænomenis explicandis dubiò procul inſerviret.

OBSERVATIO CCXXX.

DN. D. WILHELMI HULDERICI WALDSCHMID.

De Vitulo monſtroſo, ſine cerebro nato.

QUæ in vitulo, monſtroſo capite nato, obſervaverim, communicabo: Conſpiciebatur in capite tumor quidam, ſatis magnus, ex fronte ad unius pedis altitudinem aſſurgens, ad baſin rotundus, tres ulnæ partes in peripheria habens, protenſus ad aures, & coni inſtar ſenſim in apicem deſinens, qui ſimile quid capitis ornatui, quo fœminæ honoratiores hoc tempore utuntur & Fontanges vocant, exhibere videbatur. Ipſũ verò caput, breve nimis erat, deficientib⁹ nariũ oſſibus & cartilaginibus, ita ut non inepte cum capitibus novi canum generis, quos mopſos, aut Steendoggen vocant, comparari potuerit. Sed ad tumorem redeundum, in quo, apertâ cute piloſâ, membranam ſatis craſſam & validam cernebamus, internè totam cutem inveſtientem, ſub quâ tenuior alia, atque ſub hac alia tenuiſſima conſpiciebatur, ut ſi tumorem hunc, tanquam ſaccum ex tribus diſtinctis membranis conflatum, & cute piloſà tectum, quis imaginari velit, quàm optimè rem ſibi repræſentabit. Continebantur autẽ in hoc ſacco lymphę cruentę, ſpumoſæ & ſubſalſæ cochlearia aliquot, (exitum enim per foramẽ, cultro inflictũ à ruſtico, reliqua lymphæ portio, quâ extenſus antea fuerat tumor, invenerat.) Examinatis probè membranis his interior, quæ lacera hinc inde erat, tenuis meninx eſſe videbatur, media craſſa meninx, & extima ſub cute latens, pericranium. Cranium verò ipſum, aut pars ejus quæ calva in homine dicitur, non aderat

erat, nec cerebri, præter exiguas portiones, piſum magnitudine vix æquântes, ad oculorum fundum utrinque ſitas, ullum apparebat veſtigium. Cerebellum verò in canali oſſeo, ad colli vertebram primam per digiti longitudinem pergente, ſenſimque anguſtato, integrum continebatur, ex cujus parte anteriore, nervi optici utrinque ad oculos ferebantur. Vixerat autem vitulus hic per ſemihoram, ſed aperto tumore, procul dubio ex aëris acceſſu deceſſerat. Hydrocephali quandam ſpeciem ſi quis nominare velit non equidem refragabor, quamvis in eo quàm maximè differat, dum nullum hic fuit cranium, quod tamen ordinariè in hydrocephalo non deficit. Vixiſſe verò vitulum hunc absque cerebro, rarum quidem eſt, ſed ad motum & vitales actiones ſufficere potuit cerebellum, quod totius cerebri vices hic ſubiit.

OBSERVATIO CCXXXI.

DN. D. WILHELMI HULDERICI WALDSCHMID.

Lampetræ fluviatilis Anatome.

CUm ea, quæ ex *Brunzero* in Anatome animalium de Lampetra habet *Blaſius*, hepar ſolùm concernât, quod viride eſſe communiter ſtatuunt, quæ ipſimet ante paucas ſeptimanas, in lampetra, 18. pollices longa, 2. lata, & in fluvio Swendin, ex oppoſito urbis noſtræ aquam dulcem in mare præcipitante, captâ, notaverim, brevibus recenſebo. Corpus apertum, à bronchiis ad anum usque refertum cernebatur ovario, ad quod bini obſervabantur diſtincti meatus ſeu tubi, quorum unus, nonnihil ad latus ſiniſtrum reflexus, alter verò ex oppoſito, ad dorſi ſpinam jacebat.

Repleti erant aëre, & ſtraminis culmum craſſitie æquabant. Ipſum verò ovarium, tenui membranâ pluſimis referta vaſis ſanguiferis, dorſo adhærebat, quæ in folia membranoſa, tenuia admodum ſibique invicem impoſita, minimi digiti latitudine dividebantur, quibus laciniis ovula exigua, inſtar ſeminum papaveris albi firmiſſimè adhærebant. Ad inteſtinum rectum quinque vaſcula admodum exigua, ex ovario tendebant, quorum inſertiones ob nimiam exilitatem perveſtigare non licuit. Hepar ſub corde, nullo intermedio diaphragmate, pericardio arctiſſimè annexum apparebat, unico ſaltem lobo, ſemi digitum longo conſtans, figura gloſſopetram æmulans, colore verò, niſi quod pallidius eſſet, ab aliorum animalum hepate non differens, nec ullum coloris viridis, aut biliariæ veſiculæ in eo apparebat veſtigium. Pericardium penitus cartilagineum erat, magnitudine nucis avellanæ, cujus humor aut aqua ſubſalſa erat. Cor unico præditum ventriculo, conicæ figuræ, ad bronchiarum finem ſitum; hujus parti ſiniſtræ, interveniente ductu, ut videtur, arterioſo quàm breviſſimo, jungebatur auricula, magnitudine à corde vix diſcernenda, cujus pulſus diu poſt evulſionem è corpore, cernebatur. Ex corde verò ad dorſi ſpinam duæ arteriæ, ſatis exiles totidem comitatæ venis decurrunt. Duorum ab ore digitorum, in latitudinem ſumtorum diſtantiâ, ductus occurrit, ſenſim ad pennæ anſerinæ craſſitiem ampliatus, pollicis articulum longus, quem ventriculum eſſe cenſebam, apertus enim, cavitatem exhibebat cum ductu admodum exiguo, ſetam vix admittente qui ad os pergebat, atque in illud hiabat, ſuctione namque alimentum capiunt, nec ut videtur ſolidiores cibos aſſumere poſſunt. Aqua verò, quam

aeris

aëris loco hauriunt piſces, per foraminula, quorum ſeptem utrinque cernebantur, ad bronchias admittebatur, quæ pro oculis vulgus habet, unde Neunaugen piſces hi audiunt.

(*Miſſa Kilia Norimb. p. Exc. Dn. D. Schelhammerum die 3. Junii Anno 1698.*)

OBSERVATIO CCXXXII.

Dn. *D.* JOSEPHI IGNATII MUSCHEL de MOSCHAU, De Febrium intermittentium cura.

NEminem latet, febrium intermittentium curationes innumeras, & diverſiſſimas reperiri; ità, ut ad eas deſcribendas, magnum volumen non ſufficeret. Inter alias inuſitatas eſt ea, quam quidam in Comitatu noſtro habitans, in ſummo occulto habebat, & ægrotis adminiſtrabat. Remedium autem erat hoc: accipiebat modicum panis ſecalini recentis & lucidi (qualis communiter quotidie â piſtoribus venditur) ſalis communis, & ſalivæ hominis ſani & jejuni quantum ſatis erat ad formandas pilulas; has febricitanti ſumendas porrigebat, & iis febrem profligabat. Novi hoc remedium felici eventu eſſe porrectum: quapropter operæ pretium eſt examinare; in quo dicti medicaminis virtus antifebrilis conſiſtat? nam ſi ingredientia conſideremus, reperimus; quod ſal & panis alimenta potius, quàm medicamenta ſint: cùm quotidie ad noſtri corporis reſtaurationem ea aſſumamus; tota igitur vis in salivâ hominis ſani & jejuni ſtatuenda videtur. Clariſſimus Sylvius de le Boe diſp. de alimentorum fermentatione, ſtatuit in ſalivâ primarias fermenti vires contineri, quibus mediantibus alimenta

in ventriculo transmutantur in chylum. Ex quo concludere licet, quod bona chylificatio in ventriculo primariò à ſaliva dependeat; & conſequenter ea fiat na vel mala, quatenus ſaliva bonæ vel malæ conſtitutionis eſt. Secundò concludere licet, quod ſaliva bonæ conſtitutionis (quia ciborum in chylum convertendorum fermentum eſt) in parvâ quantitate cibis admiſta, chylificationem bonam efficiat. Nam fermenta ejus ſunt naturæ & efficaciæ; ut in parva quantitate rem fermentandam fermentent, & ſpirituoſam efficiant; quod manifeſtè probatur per maſſam panis, quæ per modicum fermentum ſpirituoſa evadit. Has duas illationes ad dilucidandum antefebrile propoſitum eſſe convenientiſſimas liquet ex ſequentibus. Primo in omni febre intermittente læſa eſt chylificatio; quia in omni febre intermittente producitur in ventriculo chylus acidus & viſcoſus, qui ob acorem febrilis effervescentiæ radix eſt, quique varias in viſceribus ob craſſitiem ſuam obſtructiones gignit. Quod autem acidum viſcoſum in febribus intermittentibus peccet, nemo facile negabit: ſiquidem ex juvantibus antifebrilibus medicinis, utpote acidum infringentibus, & viſcoſum incidentibus, manifeſtè id colligere liceat. Secundo, cùm per bonam chylificationem ſanguinis laudabilis & ſpirituoſus generetur, qui ob ſuam ſpirituoſitatem incidit ſeu viſcoſitatem corrigit, nec non aciditatem attemperat; eo quòd ſpiritus volatilis partim ſulphureis partim ſalinis alkalicis conſtet particulis, quibus acidum infringendi & viſcoſitatem incidendi ineſt vis maxima: ſequitur, quod à bona chylificatione dependeat ſanguis tali craſi præditus, qua mediante poſſit cauſa febris intermittentis depelli. Quapropter, cum antifebrile propoſi-

poſitum conſiſtat primariò in ſaliva hominis ſani, qua mediante tanquam fermento ſpirituoſo, bona in ventriculo procuratur chylificatio; ab hac autem, ut oſtendi, ſanguis tali craſi præditus dependeat, qua mediante febris intermittens depelli poſſit: ſequitur à dicto antifebrili febres intermittentes depelli potuiſſe. Hæc febrium intermittentium cura videtur originem ſuam trahere ex veterinariâ. Solent animalia ruminantia fere ſimili modo curari, quando actum ruminationis perdiderunt: tunc enim ſumitur aliquid de cibo per actum ruminationis eructato ex animali ſano, & intruditur in os animalis ægrotantis, quo ſumpto animal ægrotans, actum ruminationis rurſus recipit. Sanatio iſta in nulla alia re, quàm in reſuſcitatione fermenti digeſtivi conſiſtit, quo adepto ſuctio ruminativa rurſus redit. Hanc curam forte quidam conſiderans, & effectum bonum cernens, concluſit, eam â brutis ad hominem transferri poſſe; & quod in brutis per eſcam eructatam & ſalivâ imprægnatam fieri conſuevit: id in hominibus per ſalivam pani & ſali admiſtam, perficiendum judicavit.

OBSERVATIO CCXXXIII.

DN. D. JOSEPHI IGNATII MUSCHEL de MOSCHAU

De Fletu pueri in utero matris.

Cùm fletus hominis, adhuc in utero matris exiſtentis ſit rariſſimus, teſte experientiâ: operæ pretium judicavi ejusmodi caſum ephemeridibus Nat. Cur. inferendum: Illuſtriſſimi Domini Domini S. *R. J.* Comitis de Cellari Domini hæreditarii in Lublinetz &c. filius ſecundò natus, fletu ſuo (cum adhuc in ute-

ro matris eſſet) omnes in admirationem traxit: flevit enim, antequam naſceretur, clariſſimâ voce, ita ut omnes adſtantes audiverint. Hunc Illuſtrisſimum puerulum vidi optimè valentem, menſe Januario Anno 1696. apud periIluſtrem ſuum avum; nimirum Dominum de Oſterberg, qui me tunc temporis de fletu ſui nepotis in utero matris exiſtentis certiorem reddidit: erat autem præfatus puerulus quando ipſum vidi circiter annorum trium. Ejusmodi fletus ſolent communiter eſſe ominoſi, trahentes poſt ſe varias provinciarum calamitates: quas clementiſſimus DEus, ſecundùm ſuam magnam miſericordiam avertere dignetur.

(Glacio die 6. Junii Anno 1698. Norimb. miſſæ.)

OBSERVATIO CCXXXIV.

DN. D. CAROLI SCHROETERI.

De Muliere paganâ Hypochondriaco-Melancholicâ, quæ ad Templi ſacraria ſe appropinquare non audet.

Fœmina pagana maritata, ex Hypochondriorum vitio diu inhæſo, tandem in Melancholiam incidit gravem & pertinacem, quæ tamen diverſis Medicaminibus tam Univerſalibus quàm particularibus & ſpecificis, præprimis tamen vino medicato quod obſtructiones lienis & Meſenterii reſerare valeret, eo usque ſe expugnari paſſa eſt ut rarò & nonniſi longo intervallo eam invadat.

Duo autem Symptomata prædictæ Patienti tenaciter adhuc inhærent, quod in omnibus actionibus, etiam recta ratione inſtitutis, imò inter fuſas preces, ſemper ſecum murmura fremat, & quando ad ſacras ædes accedere debet, præ anxietate incredibili in viâ vexata, hinc inde ſe movet & titubat quaſi pedes esſent

ſent ligati, ut officium denegari velint, dumque ſacris intereſſe cogitur nullibi in loco præ animi perturbatione ſe continere poteſt, ſed citò citius evadit, regreſſa domum, omnia bene ſe habent & ſana videntur, quapropter ſibi ipſi relicta nunquam ingreditur templum, ſed cane & angue pejus illud averſatur.

Similem ferè caſum in viro Epileptico animadverti, qui quidem Concioni & aliis ſacris intereſſe poterat, quando autem Sacerdos finitis jam ſacris, populum benedictione conſveta, benedicat nobis Dominus &c. dimiſſurus, præ anxietate cordis, quæ ſæpiſſime ſudorem faciei copioſum ipſi exprimebat, ſe amplius in templo continere non poterat, ſed quam citisſimè ſe abſondebat; extre autem templi ædes, omnia cordolia & anxietas evanuerunt.

OBSERVATIO CCXXXV.
DN. D. CAROLI SCHROETERI.
De Loquelæ & Auditûs ſubitâ reſtitutione.

IN admirationem ferè duxit totam civitatem noſtram ſubita illa Loquelæ & Auditus Reſtitutio, quam prætento, Anno 1697. d. 20. Novembris ſtyli novi divina potentia circa diluculum in Juvene Sutore, Georgio Frideburgio Zittaviæ clementer exhibuit. Ille in peregrinatione ſua Anno 1695. Lipſiæ ex febre maligna delirans non tantum in ἀφωνίαν, verum etiam in ſurditatem incidit, (ſine omni dubio, quia materia febrilis per metaſtaſin ad nervos conjunctos quintæ conjugationis, quorum ſurculus major ad aurem, minor, ad linguam & laryngem excurrere ſolet, delata fuit,) inque tali ſtatu miſerrimo, quo nec ullum verbum. imò ne ſyllabam pronunciare, multò minus eloqui potuit ſed loco Loquelæ, digitis & ſcriptura uti,

isque anima voluntatem ſignificare neceſſum habuit, duos integros años & quadrantem anni ſurdus & mutus permanere coactus eſt; licet interea remedia interna & externa revulſoria, omniaque quæ ex artis methodo agi poterant, applicata fuerint, irrito tamen ſucceſſu, ut de ſanitate integrè recuperandâ ipſe deſperaret patiens; interdum etiam eum ſuſpicio Veneficii in pomo per ancillã ſibi porrecto & dimidium eſo, non leviter anxium tenebat; Eapropter etiam pomorum genera averſabatur, quamvis aliàs corpore ſano ubique ambularet & calceamenta conficeret.

Sed quid accidit; Sutor noſter Juvenis, cum ſuis commilitonibus d. 9. Novembris intrat Tabernam Cereviſiariam, ubi inter longam compotationem magnæ cum ſuis commilitonibus & ruſticis exortæ ſunt rixæ, ut à verbis ad verbera procederetur, noſter autem Sutor magis mutus quum piſcis, neque Dux neque Autor rixarum, absque culpâ, ab aliquot Sympoſiaſtis ruſticis, multis tractatur verberibus, in terram proſternitur, vellicatur, & fortiter aliquoties capite pavimento illiditur, ut inde non ſolùm in occipite ſupra nucham & ſuturam mendoſam cutis leviter intumeſceret, ſugillaretur, ſed & nonnihil contrita & corroſa videretur, quæ tamen intra octiduum iterum ſubſedit, ut nulla læſio externa amplius conſpiceretur, nihilominus tamen poſt paucos dies male ſe habere cœpit, & non ſolum de torminibus ventris, verùm etiam de dolore inſigni frontis quandoque occipitis & viciniarum partium conqueſtus eſt, non ſine tinnitu & perpetuo ſibilo aurium, ita ut inſomnes conduceret noctes, quapropter ex metu deterioris morbi ipſi vigiles ex ſuis commilitonibus conſtituti ſunt, cum aliquando in nocte dormitare inciperet per horæ quadran-

drantem, ſibi ſomniavit ac ſi clara voce loqui poſſet, ſed tum demum adhuc fruſtra, ſequenti autem nocte poſt levẽ ſomnum, die nempè vigeſimo Novembris, ex benignâ Dei gratiâ, circa horam quartam matutinam citra omnem ſpem & expectationem clarâ quidem, ſed nonnihil tremulâ voce, (quæ ipſi adhuc interdum adhæret) com̃ilitonem his verbis allocutus eſt: Bruder ich kan reden. Hinc expergefacti omnes domeſtici â proprio & com̃ilitonum clamore, in genua procumbunt & Deo benigniſſimo

Dulcia lætifico diffundunt jubila plauſu

etiamque rem mirandam Sacerdotibus Templi commendant, ut eorum precibus ardentiſſimis publicè Deo ter optimò ter maximò gratias perſolvant.

Firmiter ego & mecum alii in hâc verſantur opinione, quod â prægreſſâ vellicatione, forti capitis commotione & contuſione, ſuperaccedente Fervore Sanguinis Materia obſtruens nervos, commota, â calore rarefacta & tandem reſoluta fuerit quia ab hoc tempore non tantùm rectè loqui, ſed bene audire valet & cum omnium admiratione ſanus ſuo fungitur officio. Hinc verum eſt, quod in proverbio dicitur: Vexatio dat intellectum, nobis dedit Loquelam & Auditum.

OBSERVATIO CCXXXVI.

DN. D. CAROLI SCHROETERI

De Epilepſiâ admirandâ.

QUid hodierno ſeculo ſit Affectus Epilepticus convulſioni finitimus, etiam lippis & tonſoribus innoteſcit, verùm enim verò nonnunquam talibus conjunctus conditionibus, ut & Medicis ipſis doctiſſimis effectu dignam admirationem incuſſerit, id quod ſequentes Obſervationes teſtificantur.

Anno 1694. Menſe Maji me conſulit pannifex peregrinus de fratre ſuo Epileptico, qui non tantùm in die ſæpiſſimè uti ipſe vidi, Epilepticis convulſionibus iisquè horribilibus divexabatur, ſed etiam quod mirum viſui & auditui erat, uti canis, latrabat, omniaq; quæ inſtante paroxyſmo ore accipere poterat more canum primo quatiebat & deinceps dilacerabat.

Virum quoque Epilepticum novi, qui paroxysmum Epilepticum non tantùm prævidet, ſed etiam cùm admiratione omnium ut alii Epileptici non concidit, ſed corpore preſſo lento gradu obambulat, volam manus Nuchæ apponit, interdum valde ridet, nonnunquam uti canis latrat, ſæpè etiam uti felis totum hypocauſtum clamore ſuffundit, ceſſante paroxysmo totus defatigatus accumbit & potum expetit. Interrogatus, ſe à terrore felium in juventute acquiſiviſſe hoc malum recenſet.

Non ignota quoque mihi eſt nobilis virgo, quæ quoties inſultu Epileptico infeſtatur, id quod plerumque fit inſtante Menſium Tempore, nihil loquitur, ſed apertis oculis & immotis torvum videt, in unico momento quaſi ſtatua rigida evadit, quid agat planè ignorat, ubi ad ſe revertitur, quod fit poſt ſemihorulam, quærit quid egerit? in fine paroxysmi urinæ mictiones & ſudores largiſſimi ſubſequuntur.

Medicamenta in hoc affectu conducibilia fuerunt ſequentia.

℞. *Viſci Corylin. virid. ℥iß.*
Raſur. Corn Rhinocerot. ℈iv.
Ægagrop. ℈j.
Ungulæ Alcis præp.
Stercor Leon exſicc. aa. ℈ij.
Cinnab. Antim. novies. ſublim.
Succin. præparat. aa. ʒj.
Caſtor. elect. gr. xj.
Salis Succin. volat. gr. viij.

Miſce

Miſce fiat pulvis D. ad ſcatulam Sig. Sonderliches Pulver/ wieder die ſchwere Noth auf vielmahl.

℞. *Ol. Scorpion.*
Lumbricor.
Caſtorei aa. ℥ß.
Ol. deſtill. Succini albi ℈j.
Zedoariæ
Cortic. aurant.
Origani aa. ℈ß.

Miſce D. ad vitrum. S. Euſerliches Oel.

℞. *Ol. deſtill. Rutæ*
Origani
Succin. aa. gutt. 10.
Spir. Salis Armoniaci ʒiij.

Miſce D. ad vitrum S. Spiritus vor die Naſe zu halten.

℞. *Eſſent. Caſtorei* ʒiij.
Elixir. Epilept. Crollii ℥ij.
Spir. Salis Armoniaci ℥iß.

Miſce D. ad vitrum S. Sonderliche Mixtur.

℞. *Auri fulminant.*
Nitri Mercuriati aa. gr. iij.
Dent. Equi Marini gr. iiij.

Miſce fiat pulvis D. in duplo
Sign. Zwey eröffnende Pulver.

(*Miſſæ Uratislaviâ per Exc. D. D. Schulz. Norimb. die 6. Junii Anno 1698.*)

OBSERVATIO CCXXXVII.

Dn. D. GEORGII HANNÆI.

De S. Viti Schola Saltatoria.

RArò panditur hæc Orcheſtra, ut intromittantur ſpectatores ad luſtrandum hunc Saltum, non riſu, ſed lacrymis digniſſimum. Tam rarus quippe Morbus eſt, ut inter millenos ægrotos vix ſemel occurrat aliquis, in huncce referendus cenſum; atque hinc apud plurimos Medicos altiſſimum de hoc Saltu ſilentium eſt, cum viderint eundem pauciſſimi. Referunt itaque Saltum iſtum ad Morbos Magicos, alii; alii, ad Aſtrales; hi, ad dementatam Phantaſiam; illi, ad ictum Tarantularum; iſti ad Levitatem Animi, ut audiat Chorea laſciva. Certè, quò probabatur Paracelſus, non capio, dum Tract. I. de Morbis Amentium, Cap. 3. fuſiùs aſſerit, Venas R ſui deſtinatas (quas tamen ne quidem indice digito oſtendit,) huic Morbo Cauſam & fomitem præbere. Verùm, ea noviſſe haud quaquam pigebit, quæ de primo hujus mali auſpicio, utut ſimulato, linguâ vernaculâ, annotavit, Lib. I. de Orig. Morbor. Inviſibil. p.m. 150. Troffea, mulier perverſa & infrunita, hunc Morbum, prima omnium, dolo finxit. Hæc, ut Maritum ſuum, chorearum hoſtem, eò fortiùs exagitaret, finxit ſe, quoties iraſcebatur, inaudito quodam Morbi genere affligi, quô correpta, non poterat non ad ſummam usque laſſitudinem ſaltare. Texit hanc pervicaciam ſuam aſtu vaferrimo inepta mulier, morbum prætendens; donec, eosdem clanculum edoctæ mores, conſimilem mimum agerent Saltatriculæ plures, maritos Importunitatis ſuæ maceraturæ aceto. Tandem in auxilium evocatus eſt DEUS Averruncus, ut compeſcerentur aliquando pulicoſæ mulierculæ, & commodum exoratus eſt Gentilium Magor. At, non multò poſt, tranſierunt ab hoc, ad Divum Vitum, faſces Præſidatus, à cujus nomine hodienum hic Affectus nuncupatur Saltus S. Viti.

Lepidula ſunt hæc, & argutula! ſed ego ad magis ſeria divertar, quæ in lurida hujus morbi obſervavi Cataſta, Anno DC. XCIV.

Fœmina Rensburgenſium primaria, quæ cum binis Maritis ſterile Conjugium abſolverat, nunc, (præter opinionem, imò

mò præter omnem ſuſpicionem ſuam,) in tertio fœcunda Thoro, parum rectè per aliquot dies habere cœpit. ſed d. 1. Maji, circa horam ſextam veſpertinam, poſt inſignem horrorem, inuſitato, & omnibus ſpectantibus inviſo, corripiebatur Morbo. Ego præproperè accitus, ut afflictiſſimæ ſuccurrerem, Maritum mœſtiſſimum inveni, Amicosque lymphatis ſimillimos, mortem metuentes ſubitaneam. Ipſamet Ægrota, mente ſana ſatis, Brachia, Pedes, totumque Corpus, contrahens & extendens, jactabat impenſiùs, ſaltantium mores ad ſuos referens, lectumque pedibus pulſabat ſat violento motu; imò ſi extra lectum fuiſſet, ſaltaſſet, utique donec corruiſſet. Interdum uterq; Pes, cum Femoribus, affligebatur, interdū alter; quieſcentibus inferioribꝰ corporis partibꝰ, laborabant ſubinde ſuperiores, & vice verſa; modò totū Corpus ſimul & ſemel vapulabat, donec poſt ſesqui alteram horam ſaltuaris ſic conticeſceret tumultus. Interea dum hæc agebantur, dabam ægrotæ Spiritus Vitæ mei guttulas triginta, (eandemque Doſin fructuosè repetii ſæpiùs, diebus ſequentibus,) in vino Lilior. convall. atque rogantibus Amicis, qualis eſſet monſtrificus hic inſultus, regeſſi, Saltum S. Viti nuncupari à Medentibus: oriri autem odioſum tripudium aſſerui, quoties Muſculorum mæandros, Nervorumque tubulos, ad ſatiem usque impleviſſent mercuriales halitus, ſtimulis acido-acribus rigentes, adque motus involuntarios membra motitata mordicùs inſtigantes. Nec mora! Enema revellens quantocyus, datâ pauſa, applicandum curavi, quod noctu alvum excuſſit quater; & ligaturam extremorum (quam tulit egregiè,) imperavi. *S*uaſiſſem equidem Phlebotomiam, ſed terrebat quovis momento, novæ invaſionis metus. Imò, & hoc non reticendum erit, quod in pleno involuntarii ſui motus curſu, ſe ſufflaminari nullo modo ferre potuerit; quoties enim conqvaſſationem membrorum violentam detinendô inhibere vellent Amici: deſinite! clamabat, ex uno malo geminum mihi facturi. Mox è meis, quæ mihi reſervo, Medicamentis, hanc Mixturam Balſamico-Confortantem parabam, quam per integrum octiduum quater cochleatim hauſit quotidie, cum felici ſucceſſu ℞. Aqu. Vit. Stomachal. m. Elix. Citr. ana ℥vj. Tinct. Supt. m. ʒj. Tinct. Anodyn. m. ʒj. Spirit. Vit. m. ʒß. M. d. in vitro. His adhibitis, redierunt equidem Paroxyſ-

mi, ſed rariores & breviores. Noctem penè inſomnem traxit, at Vomitibus interdiſtinctam.

Sic tranſiit primus & Menſis & Morbi dies, quid autem de ſequentibus factum ſit, memorabit Diarium Practicum meum, modò grave id non futurum ſit Lectori benevolo.

2. Maji ſine turbis tranſactus eſt, niſi à Vomitu concitatis, habuitque Noctem placidiſſimam.

3. Maji. horis antemeridianis benè ſe habuit, & remiſerunt egregiè Vomitus enormes; ſed horâ ſecunda pomeridiana rediit ſoporatus hoſtis, eâdemque, quâ antea, detonans ferocia, modò alterum, modò utrumque, cum femoribus & Ventre, Pedem, ſub jugum miſit vehementiſſimè pars; Corporis ſuperior unicâ tantum, eâque leviſſima, exercebatur velitatione. Paroxyſmi inſtabant pertinaces, durabant diu, recurrebant frequenter, donec ſenſim abbreviati planè ſe ſubducerent, horâ mediata quarta. Horâ mediata octava veſpertinâ, bis recurrebat unus, poſt alterum, Paroxyſmus, ſed uterque brevior. Nox quieta fuit.

4. Maji, horâ mediata octava antemeridiana, tres patiebatur inſultus. Clyſtere admoto, iterum, poſt frictionem cum calidis linteis, inungebantur Dorſum, Brachia, Femora & Pedes (quod & antea, & poſtea factum ſæpiùs,) Aquâ Reginæ Hungariæ. Toto die redierunt aliquot Paroxyſmi, Femoribus, Cruribus, & Pedibus, ſolùm moleſti. Nox bona ſecuta eſt.

5. Maji, horis antemeridianis, acceſſerunt Paroxyſmi quater, at iidem leviculi; ſed Vomitus Ventriculum everrebat fortiter, Statim poſt meridiem, urgebat ipſam inſultus haud adeò levis. At, horâ quinta veſpertinâ, ſurrepſit frigus, triſtis nuntius, totumque corpus perambulabat (ultra quadrantem horæ,) tumultus inconditus, ut quævis triſtia metueremus omnes. Verùm, poſt uſum largiorem mei Spiritus Vitæ, meliora dedit Deus, & deſiit tantus apparatus in ſuccuſſum inſignem, cum tremula inferiorum corporis partium agitatione, eademque ſat violenta. Nox bona ſecuta eſt.

6. Maji, triplici equidem invaſu perhorruit, quorum unus aliquantum gravis. Tulit tamen pulcherrime hæc omnia Noſtra, eoque faciliùs, quo lætior ſentiret, favore Numinis, evaneſcere, cum hoc ipſo die, Salturam tædioſam, nec unquam rediiſſe eandem. Nox modicè quieta fuit.

7. Maji.

7. Maji. Tranſierat jam Eberinus Abaddon, ſed remanſit, toto die, Græcorum Apollyon, crebris impetuoſus Vomitibus. Nox bona erat.

8. Maji. Vomitus ſolito urgebant more, niſi quatenus iisdem aliquam injiceret remoram propinatum Catharticum. Nox ad votum fuit.

9. Maji. Vomitus frequentes aderant. Nox modica.

10. Maji. Dies & Nox priori ſimilis.

11. Maji. Dies priori compar; ſed Nox faventior.

12. Maji. Ut ut nihil intentatum relinquerem, quibus, & externè & internè admotis, pacari poſſet nauſeabundus hicce Stomachus; nihilo tamen ſeciùs obſtitit refractarius, atque Eſculenta, Poculenta, Medicamenta, eâdem, quâ intraverant, ſtatim exire juſſit, via. Nox turbida fuit.

13. Maji. Vomitus ſine intermiſſione inquietabant. Nox confuſa.

14. Maj. Remiſerunt nunc aliquid è ſua violentia Vomitus, quos commitigare non deſii; ſed ſucceſſit Ardor Ventriculi graviſſimus, cum Siti ingenti. Nox irrequieta erat.

15. Maji. Ardor Ventriculi, unà cum Vomitu, gravis ægrotæ incubuit. ſed poſt uſum crebriorem hujus Pulveris, partitè cum cultri cuſpide ſumpti, pacari cœpit uterque hic hoſtis.
℞. Ocul. Cancr. pp. Lap. Prunell. ana ʒj. Sacch. alb. ʒij. M. Nox infra votum ſtetit.

16. Maji. Dies, talis, qualis. Nox moderatior.

17. Maji. Vomitus interdiu moleſtus fuit. Nox, circa Auroram, placida.

18. Maj. Incendium Ventriculi, & Sitis, ita evaneſcere cœperunt, ut mediocriter ſe haberet ægrota. ſed Nox turbida fuit.

19. Maji. Vomitus, more ſolito, moleſti erant, ſed Sitis & Ardor Ventriculi evanuerunt; imò, Alvus (quod hactenus non contigerat,) ſponte ſe reſerare cœpit. Nox placida ſecuta eſt.

20. Maji. Vomitus modeſtus fieri occœpit. Alvus ſpontanea erat. Nox modicè quieta.

21. Maji. Vomitus ſedatus erat, ſed Alvus tacuit. Nox egregia fuit.

22. Maji. Ventriculus, demum exoratus, ingeſta, etiam calida, (quod jam diu ſatis planè obſoleverat,) retinere cœpit.

Alvus paruit. Nox irrequieta fuit, cum ſub vesperam inhorreſcens, tota nocte incaleſceret ægrota.

23. Maji. Vomitus pacatus erat. Nox bona.

24. 25. 26. Maji. Vomitus ceſſarunt; & Noctes optimæ fuerunt.

E Medicamentis autem infinitis, quæ adhibebantur, nullum erat vomitanti Stomacho magis conducibile, Mixturâ ſequente, vel millies aſſumptâ cochleatim: ℞. Aqu. Vit. Stomachal. m. Elix. Citr. m. ana ℥jv. Syrup. Corall. rubr. Tinct. Sulph. Vitriol. Tinct. Anodyn. m. Liqv. Stiptic. ana ʒß. M.

Hic ſtatus, reſtitui cœptus, continuabat usque ad diem.

3. Junii, quô rediit Vomitus.

4. Jun. Vomitus nullum cibum admiſit.

5. Jun. perdurabat Vomitus.

6. Jun. Vomitus è ſua violentia aliquid remiſit.

7.8.9.10.11. Jun. redierunt tantummodò ſub veſperam Vomitus, ſed Appetitus prorſus proſtratus erat.

12. Junii. Ubi largiter, poſt ſumptum Emeticum, vomuiſſet, non rediit ſub veſperam conſuetus Vomitus.

13. Jun. Eadem fuit morbi facies, ſed dies nihilominus aliquantulum moleſtus erat.

14 Jun. Melius ſe habuit, quàm priori die, & eadem, quæ biduô, ſub veſperam conditio morbi fuit.

15. Jun. Novo Ardori Ventriculi opponebatur Pulvis, qui, d. 15. Maji præſcriptus, laudabilem ediderat effectum, at redierunt Vomitus enormes, diu noctuque moleſtiſſimi.

16. Jun. Antemeridianæ horæ ſat triſtes erant, Vomitibus interpolatæ crebrioribus. ſed poſt meridiem levius ſævire incepit Ventriculus. Nox ſine Vomitu tranſigebatur.

17. Jun. Mediocriter benè valuit, Vomitus modeſtiam colebat, & penè nullus erat. Appetitus cum Anorexia de Genu (ut verbis Senecæ loquar,) pugnare cœpit.

Ab hoc die ſemel quotidie regurgitabat tantum Vomitus; donec d. 27. Jun. planè iret in exilium, redeunte poſtliminiô, Deo Gloria! grata Sanitate. Demum ſub exitum laudati Anni apparuit adſcititium tot horrendorum Vomituum fomentũ, (quod ego incredulæ aliquoties prædixeram,) tum cum bona illa Matrona Filiolam pareret vegetam, & hodienũ una cum Matre, viventē.

OBSER-

OBSERVATIO CCXXXVIII.

Dn. D. GEORGII HANNÆI.

Puerperum Gymnaſium.

Neminem moveat Titulus hicce, modò noverit, Libanum ſervum, à Leonida Plautino, Gymnaſium flagri olim dictum fuiſſe. Et certè, non Diſcipulam, ſed Magiſtram hujus Gymnaſii in Scenam modò adducere animus eſt, imò, ipſiſſimum Gymnaſium Puerperum! cum unusquisque, qui hæc legerit, fateri neceſſe habeat, exantlatum heic eſſe, quicquid malorum tolerari poteſt, ſub torculari Junonis Lucinæ. Ignoſcat mihi autem Lector Benevolus, ſi de die in diem annotavero, per omnes & ſingulos Prædicamenti Paſſionis loculos pectinatim inſtitutum, & gloriosè abſolutum, Examen.

Heroina Nobiliſſima, duodecim antea Liberorum Mater, (quorum quinque, carè ſatis redemerat,) iterum prægnans, Anno M. DC. XC VI. die 12. Januarii, poſt crepitum Secundinæ, Partus prænuncias Aquas, primum confertim, inde pedetentim, ultra quatuor dies continuos, Egeriæ offerre cœpit, non ſine inſigni laſſitudine. Triſte hoc omen ingratô adauxit ſuperpondio dies XVI. Januar. obſtantibûs ſc. parituræ, Dearum difficillimis, Pertundâ atque Poſtvertâ. verùm, hîs aſtu exoratis Obſtetricio, prodiit, horâ quartæ matutina, in lucem viva Filiola.

Dies 17. 18. 19. 20. Januarii, continuas Cordis Anxietates, & Animi ſecum vehebant Deliquia.

Dies 21. 22. 23. 24. Januar. pacatius abſolvebantur.

At dies 25. Januar. faciem ſuam efferare cœpit. donec ſub veſperam Lochia, quæ hactenus commodè fluxerant, effunderentur impetuoſiùs. Atque hic triſtioris Scenæ Prodromus, Noctem reddidit moleſtiſſimam.

26. Januar. nihil, præter collapſas vires, in poteſtate habuit.

27. Januar. propter vicinum malum, & ipſe malus erat, accedente Febricula.

28. Januarii dies attulit, ſub veſperam, novam Lochiorum alluviem & inundationem. Tunc ego primùm vocabar. Noctu ſæviit, quæ pridie luſerat, Febris.

29. Januarii acceſſit Febris, rariſſimi commatis, quæ, intra viginti quatuor horas, Feſtum Paroxiiſmi celebrabat quater; primùm Frigore inſigni, inde Æſtu fervente, quavis vice inhorreſcens, tandemque in *S*udorem frigidiſſimum deſinens. Ego qui nutanti vel potiùs ſuccumbenti, Natura ſuppetias ferre, inde usque ab initio acceſſus mei, deſtiteram nunquam; quadrifidam monſtroſæ hujus Febris Belluam ad obſequium cogebam indeſinenter. & tantum, Deo Gloria! proficiebam, ut, decuſſis tribus hujus Hydræ Lernææ Capitibus, poſtero die unicum tantummodò aperiret rictum.

30. Januarii. Unicus ſolùm apparuit Paroxyſmus, cum leni frigore, & calore tolerabili, rediit tamen ſub Febris diſceſſū, frigidus iſte *S*udor, ipſiſſima Febre longè inclementior.

31. Januarii horâ ſeptima matutina, factus eſt denuò, è Lochiorum rivo, immanis profluens, plurimis comitatus Lipothymiis & Cardialgiis. Cumque priorum violentiam longè ſuperaret hic tertius Cataclyſmus, *S*acram Corporis atque Sanguinis Chriſti Anchoram pio morſu tenere, conducibilius viſum fuit. Interim Febris ne mutire audebat; niſi quatenus, poſt intemperatiorem aliquantò Calorem, frigidè iterum Ægrota ſudaret. At graviter, hoc die, olere cœpit effuſus cruor, crevitque. per integros dies duodecim, iſte fœtor adeò, ut planè cadaveroſus fieret.

1. Februarii dies, juſtò calidior erat, cum magna Cordis Anxietate nec aberat Sudor iſte frigidiuſculus.

2. Febr. Dies non contemnendus fuit, & Nox congrua, penè ſine omni vago Calore.

3. Febr. Dies æquabilis erat; Nox commoda ſatis, & ab omni moleſtia libera.

4. Febr. interdiu ad deteriorem inclinabat partem; Nox Æſtum reduxit & Laſſitudinem.

5. Febr. Heu importuna Deæ Stimulæ exactio! quâ, levatis quartùm Cataractis, novum tributum cruentatum, prioribus haud levius, tumultuosè pendere cogebatur emedullata Noſtra; accedente unà Ardore febriculoſo, & alterâ, poſt alteram, Lipothymiâ.

6. Febr.

6. Febr. nimium laſſa, vomuit ante meridiem magma nigricans, id quod ſemper aliquid mali obſcævare ſolet, & Mortem plerumque oſtendit, vel in inſidiis, vel in janua. Per quietem, primùm torpere, inde tumeſcere, cœperunt & Crus, & Pes, lateris ſiniſtri. qui Tumor, poſtea dextrum occupabat Pedem, ubi diutiſſimè habitabat his laribus ſuis aſſuetus Paraſitus, licet ſæpiùs de mutando commonefactus hoſpitio.

7. Febr. Cum ultimæ ſuæ horæ fecialibus luctari omnibus adſtantibus videbatur ſpirans adhuc (quamvis ægerrimè,) Sceleton, toto antemeridiano tempore. In tam arcto quippe, imò inevitabili, conſtituta apparuit exitii confinio, ut ſemi tertiatis mihi inſuſurraret verbis Terentianum illud: Deſine, jam conclamatum eſt! Ego verò non deſii huc conferre quicquid domi erat Auxilii & Conſilii, mutuati ab Apolline, quo ruinoſum hoc Charitum Gratiarũq; domicilium, extremo jam tum expoſitum Fatorum ictui, quavis ratione ſuffulcirem. Atque in tantum, Deo Gloria! profecimus, ut pomeridianis horis Inducias cum Parcis videretur morticina paciſci. Nox irrequieta fuit.

8. Febr. Dies turbulentis accenſebatur, ingruente, circa veſpertinam ſeptimam, Lipothymia forti, unde Nox irrequieta erat.

9. Febr. Dies ſerenior erat; ſed Nox novis obducta nebulis.

10. Febr. ante meridiem valuit mediocriter. at poſt meridiem oppreſſit pandiculantem, & clarè ſonorèque aliquoties oſcitantem, Horror frigidulus, Calore inſigni per totam expiatus Noctem.

11. Febr. incaluit toto die plus ſatis. mediam Noctem in utrumvis dormiebat Oculum; ſed media, pervigil.

12. Febr. Deferbuit prioris diei Calor. at, poſt meridiem, Animo linqui cœpit, unde bona pars Noctis ſine ſomno tranſmiſſa eſt.

13. Febr. Dies, inculpatus erat, licet non ſine ſenſu Caloris. Nox optatiſſima.

14. Febr. Dies nihil monſtri aluit, modò liber à Calore fuiſſet. Noctem verò temerabat accedens Febris, quâ, unicam riguit horam, tres arſit ſemiſomnis & ſemiquieta.

15. Febr. Totus dies in bivio nos reliquit & trivio. Ægra quippe confuſa, ac leviter delirans, ſtertebat continuè, nec apud ſe erat evigilans. Noctem inquinabat pertinax Diarrhæa.

16. Febr. Laſſa admodum erat & defatigata, crebrisque mactata Cordoliis. dormiebat equidem ſubinde, ſed ſine levamine. Nox innumera reduxit Phantaſmata.

17. Febr. Dies fuit nullius pretii, novumque prioribus addidit Symptoma, Dolorem ſc. acutiſſimum in ſiniſtra Hypogaſtrii parte; unde Ægrota, quæ hactenus ſat fracta erat viribus, debilior fiebat. nec reddidit Nox, quod dempſerat Dies; quin potiùs compreſſionum Cordis, & febricoſi Caloris largiretur affatim.

18. Febr. Evigilabat Cardiaca, ſed debitis, pro more, Medicamentis refocillata, æquabilius ſe habuit. Nox haud ingrata fuit, niſi quatenus Dolor interpellaret pridianus.

19. Febr. Agebatur eadem Fabula, ab eadem Perſona. at mitigati, per interna & externa Doloris lenimen Noctem ſuaviorem effecit.

20. Febr. Vix compeſcueram Tumultus inferos, antequã ingruerent ſuperi, & Jugulum peteretur non quidem plumbeo gladio.

21. Veriſimile jam erat, ſenſim ad ſe redituram, poſt ſuperatos tot ſcopulos, Morti toties totiesque viciniorem Ægrotam. cum ecce Collum pro novi Belli ſede eligitur! id quod hodie magis, quàm heri, patuit.

22.23.24.25.26. Os, Faucesque vapulabant egregiè, imò & Pituitâ mucoſa replebantur ita, ut incruſtatos juraſſes utrinque parietes.

27, 28, 29. Febr. Dilutâ muccedine lubricitante, ſucceſſit in ejus vicem, primùm Inflammatio ignigena, inde exſucca Ariditas, Gulæ ne quidem ad Stomachum usque parcens.

1. Mart. Adeò aduſta erat Lingua, ut prorſus nigricaret, ad motum penè obſtinata.

2. Mart. Mitiùs cum deplorata agi viſum eſt, & è tot objectis iterum eluctari cœptum Labyrinthis.

3. Mart. Nullus adhuc Calamitatum finis! Plures, eheu! in receſſu latitare Vitæ ac Valetudinis inſidiatores, prodebant hinc & inde occurrentes de novo Lipothymiæ, Suſurrus Aurium, Subſultus membrorum, imò, quoties nictare voluit, innumerîs actutum excitabatur terriculis.

4. Mart.

4. Mart. Heri, quid futurum eſſet, odorati ſumus, per exploratores, hoſtium cuniculoſa indagantes cubilia. Hodie, eunte vix in lucem Nocte, obſervavimus, renovaturas prælium, Turmas hoſtiles; quæ, tot retrocedentium ſociorum repulsâ ne tantillum territæ, rejicere in nos Bellum, & cum Bello, Exitium perniciabile omni conabantur niſu. Nec mora! irruit in Arcem Ægrotæ, hoſtili cinctam coronâ, ferox Lipopſychia; ingerunt Catapultas altera, poſt alteram, Syncope; tandemq; Baliſtis & Tormentis ſuis irrumpere ſatagunt Convulſiones Epileptico-Apoplecticæ, tres integras horas, ſine intermiſſu durantes. Crederes, & crederet totus Orbis, patere nunc Hoſti liberrimam viam graſſandi per evulſas, unà cum poſtibus, Gymnaſii *P*uerperi noſtri fores! Vicimus tamen etiam rebellem hunc Guneum, Laus Deo! ſed vicimus ita, ut vinci porrò & poſſet, & deberet.

5. Mart. *Q*uod Victoribus in Bello contingit, id Noſtræ quoque Heroinæ contigiſſe, quis miretur, etiam Præliis ſecundis atterebantur heic virium Copiæ. imò, tot petitionibus, tot incurſibus, tot verberationibus propè propriùs enecta, tuber fiebat. Sed ecce! circa Meridiem, Natura ipſa (infinitis hactenus animata Confortantibus,) velut ſuam ſimul, & Hoſtis, toties profligati, librans Potentiam, bis, per ſuperius Guttur, per inferius, novies, amoliri tentabat morboſum fermentum, quaſi tantâ Machinâ Pacem reductura. Verùm, dum Hoſti ſolitudinem facere nitebatur, ſe quoque depauperatam didicit. Nox extra teli jactum ſtabat.

6. & 7. Mart. Inducias impetrabant, cum diurnas, tum nocturnas.

8. Mart. Deo publicè grates agebantur, è Suggeſtu, ob evitatum feliciter, tot inter Syrtes & Charybdes, naufragium mortiferum.

*S*ic undecim abſoluti ſunt dies, ſed ab iteratis proruptionibus hoſtilibus haud quaquam immunes minuebat tamen harum terrorem frequens aſſuetudo ita, ut, quæ Cataphractis non ceſſerat, Velites timere dedignaretur.

Noctu,

Noctu, 19. inter & 20. Martii, inopinanti non exſpectatus in Pace Leo, proruente ſc. ſignis infeſtis atrociſſima *Paſſione* Hyſterica, enormi comitata Diarrhœa. utriusque tela acutiora, utut ſæpiùs oppoſitis Medicamentorum eluderentur ſcutis, ſagittare tamen ad metam pergebant, integrum triduum, jam retrocedendô, jam revertendo. Certè, nunc pro deſperatione res erat! verente nimirum ad Aras Nixii toties mactatâ, ne à meta ad carcerem iterum retracta, vel in longum Morbonæ reſervaretur ludibrium, vel occiſiſſimis tandem (cui tamen ſemel mori ſuffeciſſet,) annumeraretur.

Adauxit hunc metum haud ita multò poſt accedens Tumor, doloris pleniſſimus, alterum Genu occupans, idemque affligens graviſſimè, ut nulla pars Corporis ſine edito certamine haud in glorio diſcederet.

Dum verò deliberant Cœlites, quid de hac Mumia Europæa fieret; magnus è Nubibus affulſit Deus, qui, diſcuſſis tot voraginoſarum Tempeſtatum voluminibus, ſerenam Sanitatis reduxit meridiem.

Tandem Lectum morbiferum relinquens, (ubi, quaſi in nova aliqua Bracciana Spelunca, tredecim ſeptimanas, à Serpentib9 exſucta, fuerat) aëri ſe expoſuit liberiori! Feſtumq; Paſchatos publicè in ſacris celebrans ædibus, haud inelegans Glorioſorum, poſt Reſurrectionem, Corporum Emblema, Deo Grates, mihi *S*oſtrum, Gallum Æſculapio, reddidit.

His, & ſimilibus, convictus Documentis, quis unquam negabit veriſſimum eſſe illud, vulgò quod dici ſolet: In Medicina ſæpè fiunt Miracula!

(*Miſſæ Othiniâ Norimbergam die 26. Junii 1698.*)

(o)

OBSER-

OBSERVATIO CCXXXIX.

DN. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De terra quadam Freyenvvaldenſi.

FOntem Salutiferum, quod ipſi nomen â primâ ejusdem detectione vulgò tributum, ſex abhinc miliaribus, propè oppidum, ad ripam Viadri ſitum Freienwalde dictum exortum fuiſſe, Anno 1684, ejusque ope, Divinâ ſecundante Gratiâ patrata in plurimis miracula, jam pridem Miſcellaneorum Naturæ curioſorum Dec. 2. anno 3. Obſ. 14. Academiæ Imp. Leopoldinæ Apollo, Collega Honoratiſſimus, Dominus D. Chriſtianus Mentzelius retulit. Hujus occaſione cum plurimi Sanitatis recuperandæ ſpe quotannis confluerent, Vir metallicarum rerum peritiſſimus, Monetæ Electoralis diu Præfectus, Arthritide vagâ ſcorbuticâ identidem afflictus, adverſæ ſuæ valetudinis Solamen aliquod quærens, illuc quoque concedit, & dum hauſtâ acidularum ê fontè illo ſcaturientium doſi conveniente, corpus exercendi gratiâ Amico quodam comite & congerrone ſtipatus, montis ſcaturigini proximè adjacentis cacumen conſcendere nititur, incidit in lapidis obvii haud exiguum fruſtum, metallici quid præ ſe ferens, quod, uti egregius docimaſta & curioſus metallorum ac minerarum Scrutator, tollit, & pro minerâ ferri agnitum ſaxo majori illidit, inque fruſta minora confracti unum alterumve reliquis rejectis, ſervat, Vulcani adminiculo, ubi domum reverſus fuerit, examinandum. Mox â reditu accedo ordinarius aliàs ejus Medicus ſciſcitaturus quodnam ê fonte Sanitatis hauſerit incrementum. Ille, dato reſponſo, fruſtum mihi lapidis prædicti offert, & quid de illo ſentiam rogat. Mineram Martis pronuntio, annuit, & quidem plus dimidio optimi ferri ex illo ſe eliquaſſe aſſerit; ſed latere adhuc aliquid præſtantius. Roganti, quid illud? Argentum & quidem illius in centenario ſemunciæ plures quam viginti, reſpondit. Pergo: Cælo illum vix eſſe delapſum, latere in illo Monte dubio procul plures illi analogos. Non

diffitetur. Rem hanc majoris eſſe momenti, inſto, ac altioris indaginis, quàm quæ negligatur aut ſilentio ſepeliatur, inquirendum in illum locum diligentiùs, aut, ſi è re viſum, deferendum potiùs ad Superiores. Tandem ipſo non renuente Conſiliario cuidam Electorali Intimo, Supremo Cameræ redituum Electoralium ac rei monetariæ Præſidi aperio, placet huic primâ fronte & quidem perplacet. Hinc Sereniſſimo tunc Sceptra tenenti Friderico Wilhelmo Glorioſæ memoriæ refertur; verùm hîc, uti in Aulis ſolet, in diverſas itur ſententias, quibusdam arridet negotium, ut publico proficuum, alii & quidem plures, ſiniſtrè de illo ſentiunt, & fieri non poſſe, ut Marchia ſabuloſa ſit metallifera objiciunt, plurimi, & quidem invidi, malevolè obtrectant. Sereniſſimus, ut Princeps ac Heros prudentiſſimùs, in medio rem relinquit, ac Denunciatoribus licentiam cum privilegio tribuit, aſcitis in Societatem aliis ſumptu privato quid tentandi. Hinc ut de rei Statu ac loci conditione certior fierem, cum prædicto Docimaſtâ illuc tendo, aſcito itineris comite, Chimico quodam experto, prætereaque virgulæ divinatoriæ, ut vocant, ope expedito minerarum ac metallorum exploratore. Examinatur regio ac locus inventionis, omnia aut ſaltem pleraque, quæ à metallurgis externa terræ mineris aut metallis factæ cenſentur indicia, adſunt. Montium excelſorum concatenata juga, vallibus & convallibus hinc inde interpolata, ſolum paſſim quadantenus ſterile, & dubio procul ob exhalationum frequentiam ac vehementiam, ne graminis quidem quibusdam in locis ferax, arborum varii generis, pinorum præſertim, quercuum, betularum, quæ hinc inde proveniunt, ut & arbuſtorum, faginorum, corylinorum cacumina bifida (Zwieſelicht) paſſimque marceſcentia, ſcaturiginum ac acidularum ubertas & vicinia, & quod certiùs habetur minerarum ſignum, obſervatæ ſæpiùs ab accolis circa illa loca corruſcationes nocturnæ ab halitibus minerarum ſulphureo-mercurialibus oriundæ, imò limi quoque in ipſo illo montis, in cujus acclivi latere prius illud dives lapidis fruſtũ repertum, vertice ochræ inſtar flaveſcentes glebæ quædam, ſub dio â pluviâ ac ſole concretæ, rudimenta mineræ Martiæ lapidi illo primitus invento, haud multum abſi-

milis præ ſe ferentes. Annuit præterea ut illîc, ſic plurimis aliis in locis ferula indicatoria, ac fundum hinc inde mineris divitem judicat & teſtatur. Aſſumitur ſolearum aut glebarum prædictarum portio, & examini ſubjicitur docimaſtico, non modo ferrum, ſed & argenti, non ea quidem, quæ in illo divite ſaxo, ſufficiens tamen pro ſuſcipiendo cum emolumento opere, pars elicitur.

Hinc communi calculo digna labore metallico regio cenſetur, me itaque hactenus ê Medico, ſed ad tempus, ecce! Metallurgum; Sed, ut ê diverticulo, in quod, ut inventi pateret occaſio, excurrendum tantisper erat, ad propoſitum revertar, interea dum in hoc examine occupamur, ac ſitum atque conditionem diverſorum locorum hunc in finem explorando triduum fortè aut quatriduum impendimus, eandemque ob cauſam cum incolis quoque oppidi adjacentis ſermones eâ de re inſtituimus, alia inter refertur, dari illîc loci, ê regione Vallis illius, in quâ fons acidularum ſcaturit, cavernam, ê quâ certum terræ genus quandoque eruatur, quod accenſum ardeat & odorem haud inſuavem ſpiret, hinc ſuffimenti loco oppidanis ſerviat; ſed infeſtam eſſe ſpeluncam illam exhalationibus quibusdam noxiis ac ingreſſis ſpiritum præcludentibus, imò enecantibus, niſi maturè liberum rurſus aërem repetant. De origine illius, ſitu & conditione ſciſcitantibus decrepiti quidam Seneciones referebant, â parentibus ſe audiviſſe, avorum ſuorum ævo ultra Seculum puteum illîc fuiſſe in montis faſtigio excavatum, ac cuniculum hunc ſimul actum, ad metalli aliquod genus copiosè eruendum, peſte verò ſubortâ ac aliquantiper graſſante, omnibus foſſoribus ac operariis ſtrage illâ ſublatis, deſertum hactenus jacuiſſe illud opus. Subiit itaque cupido antrum illud viſendi, accedimus adducti, invenimus aditum collapsâ undique terrâ ſentibus ac vepretis horridâ ferè penitus obſtructum, ablegamus, qui illud ſubeat, cum lampade foſſorem veteranum, ſed ad tertium fortè aut quartum, paſſum extinctâ lampade anxius & anhelus revertitur, ac cuniculum illic eſſe ſatis amplum qui erectum caperet hominem, refert, verùm quousque penetret, non potuisſe inquirere ob præcluſum ſibi ſpiritum & extinctum lampadis lumen.

Invenimus quoque in vertice montis foveam, effoſſi quondam putei indicem, proceris varii generis arboribus, tam ex imo ejus fundo, quam in ambitu acclivis circũcirca marginis ſuccreſcentibus obſitam. Statuimus itaque, virgulâ inſuper metallicâ magnifici quid pollicente, & cuniculi inferioris aditùm ampliare & in illius collapſi putei viciniâ alium cavare, cujus beneficio aër cuniculi transpirare, ſicque depurari poſſit. Quo tandem peracto & effoſſo ad quindecim orgyarum profunditatem puteo in cuniculum illum incidimus, ac duplex in fodinâ terræ genus invenimus, quorum alterum terram quæ alias pictoribus Colonienſis dicitur, omnibus qualitatibus exactiſſimè referens, igni injectum fumum equidem, ſed inodorum emittit, ac poſt reverberationem & calcinationem exactam, cineres albentes relinquit, alterum quod hujus loci, exteriori viſu, quâ colorem, niſi quod huic paulo dilutior ad helvum vergens, ſatis exactè conveniens, priori tamen, utpote cujus conſiſtentia gleboſior ac ſolidior, friabilius & ubi ſiccatum ferè pulverulentum, ignem interea fomitis inſtar, quamprimum ipſi admotum promtiſſimè concipiens, ac in aëre libero in cineres usq; flaveſcentes & ex parte rubentes effumando fatiſcens. Odor ille hujus terræ, promte adeo ac conſtanter ardentis, Gagatis accenſi æmulus, utrumque noſtrum domum reverſos ad indagandam ejus indolem invitabat. Primus itaque Docimaſta Chymiæ ſic ſatis peritus, utpote ſui juris, cui pluſquàm mihi, negotiis aliâs obruto, otii, partem illius ſecum avectæ aliquam retortæ inditam, aperto igne deſtillat, ac ſpiritum elicit, ut & oleum, deque illis in ſe ipſo, paulo poſt affectu ſuo arthritico vago divexatus, experimenta capit, ſpiritum nimirum pluma tepidum articulo dolenti, rubenti ac tumenti illinit, mox & linteolis applicat, ac vix mediæ horæ ſpatio ab applicatione, levamen inſigne dolorum experitur, & tumoris quoque atque inflammationis paulo poſt remiſſionem. Aliâ vice ab applicato oleo idem adhuc citius ac in momento ferè percipit, ſed excitatis, ob ſummam tenuitatem ac igneam ferè penetrandi vim, cauſtici inſtar veſiculis, nimiam ejus energiam ſuſpectam habens, ab ulteriori applicatione, ſpiritûs uſu contentus, abſtinuit, ac unum alterumve annum dolores acceſſuum arthriticorum quandoque immanes, illo ſolo ſopivit, donec ſep-

ſeptuagenario major ob ætatem ac frequentes morbos viribus penitus fractis & exhauſtis decederet. Ejus exemplo excitatus, eandem terram ignis examini poſtea in retortâ commiſi, ac præter inſignem copiam Gas, uti Helmontio illud vocare libuit, ſeu ſpiritus ſylveſtris, quo nomine aliis placet, incoërcibilis, & quod admoto penetranti illi omne lutum propiùs cerei lumine expertus, inflammabilis ac flammâ ex albo cœruleâ deflagrantis, ſulphur tamen nullatenus ſed ſuccini empyreuma redolentis, phlegmatis ſpirituoſi graveolentis, coloris ex albo punicei, prætereaque olei ſubtilis penetrantiſſimi ſupradicti, petroleo vix cedentis, aliquotam partem dedit, atque unâ florum flavorum ſulphuris ſpeciem colore præ ſe ferentium, haud exiguam copiam, quos tamen, utpote ab oleo craſſo tandem ſuccedente abſorptos, hactenus variis obſtaculis intercurrentibus impedito ab illo ſeparare non datum. Phlegma illud ſpirituoſum, tam rectificatum & ab olei potiori parte ſeparatum, quàm non rectificatum ac olei modicâ quantitate, quod omne tractu temporis rurſus imbibit imbutum, præeunte exemplo ſuo amico piè defuncto, cum inſigni fructu hactenus arthritidis vagæ ſcorbuticæ doloribus, tumoribus & inflammationibus applicui, imò quosdam ægros juniores præſertim & temperantes hoc ſolo externè adminiſtrato, paucisſimis internè adhibitis, Divinâ opitulante Gratiâ reſtitui, ſimulque quaſi præſervavi, ut plurium annorum morbus daret inducias. Remanens in retortâ carbo, aut ut Chimicis audit, caput mortuum, ab extractione nigrum, etiam absque ulteriori calcinatione ſimplicis aquæ pluviæ extractione ſalem præbet ſalſi, non lixivioſi aut alcalini ſaporis. Ulteriori verò pro calcinatione reverberio commiſſum, dum rudicula inter calcinandum ſubruitur, flammulam emittit cæruleam ſulphureum acrem ſatis odorem ſpirantem, ac ab ambiente æthere colorem nigrum in ruffum paulatim mutat. At, quod admiratione non vacat, in patinâ apertâ aëri libero expoſitum, ignem ac flammulam prædictam cum odore ſulphureo ab igne omni ſemotum, in tertium usque diem ſervat candentem.

OBSERVATIO CCXLI.

Dn. D. GVSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Luxationis oſſis Coccygis periculoſæ facili, utut empirica, ſatis tamen rationali curatione chirurgica.

QUantos lapſus in os Coccygis dolores cieat in juventute non ſemel expertus, adhuc dum memor, horreo, vox faucibus ſæpè numero hæſit, aut hæſitavit potiùs rauca, ſuſpirioſa, anhela. Periculo tamen tenerâ in ætate ille ut plurimum vacat; rarò enim ab ejusmodi infantum lapſu aliquid funeſti, tum quòd impetus ob pondus corporis exiguum non adeò ſit gravis, tum quòd cartilagines & oſſicula tenera adhuc oneri faciliùs absque dearticulatione cedant; at in grandibus & grandævis impetus alliſionis ob corporis molem multò vehementior, ac cartilagines jam ſolidiores cedere ſpontè neſciæ, ê ſede ſuâ vi dejectæ neceſſariò exarthroſin patiuntur, eamque, uti ſequens docet caſus, periculo haud vacantem.

Socer primi mei matrimonii, Septuagenarius circiter viduus, dum ê Baſilicâ Mercurio Gedani dicata, quæ ab Arturi Regis Daniæ, utpote â quo exſtructa fertur, nomine Artus aut vulgo Junckerhoff dicitur, ſcalis lapideis, â nivibus ac hyberno gelu admodum lubricis, in forum ſubjacens negotiorum cauſâ deſcendit, utroque pede antrorſum proruente, retrorſum cadit, ac poſteriora duro impingit graduum ſaxo, ſicque os coccygis non ſine immani dolore luxat. Domum proinde maximâ cum moleſtiâ tendit, filiæ autem, quæ ipſi unica erat, tum temporis adhuc virgini, nil ejus quod factum, aperit, ſicque dolores tacitus ſenſim decoquens, quatriduum tranſigit, alvo interea onus debitum neutiquam deponente, unde malè habere incipit, ac moleſtias, quas obſtructa parere ſolet, de die in diem majores patitur, donec vehementia tandem ſympto-

ptomatum caſûs ipſi confeſſionem extorquet. Filia conſilii inops, hinc inde conſtipati ventris remedia quærit; ſed verâ causâ latente, de luxatione enim oſſis coccygis nec Medico nec Chirurgo, nec cuiquam alii quicquam ſubolebat, fruſtra. Donec quinto tandem die, quo peſſimè jam habere cœperat, ac abdominis turgeſcentis dolores, flatus, borborygmi, ructus, nauſea, inappetentia, cephalæa, febricula, ſiniſtrum portenderent eventum, ex Ambubajarum Collegio Thekoitæ cuidam ſagaci fors incidit, dum in poſteriora lapſum audit & recordatur, num etiam os coccygis introrſum forſitan luxatum, fæcibus ex inteſtino recto tranſitum præſtruens, hujus tragœdiæ choragus ſit. Suadet itaque, ut veſtibus exutus æger, ſolo induſio tectus, pronus ſcamno ligneo incubet, ac duæ robuſtæ mulieres ab utroque latere ſtantes alternatim coxendices unâ cum clunibus, utrâque manu utrinque applicatâ decuſſatim, ſurſum, deorſum, rurſum, prorſum, trudendo agitent, Arripitur conſilium dubium pro nullo, & dictum factum exſecutioni non ſine effectu optato datur. Os coccygis, quod interiora verſus adactum erat, unâ alterâve motitatione in nativum reducitur ſitum, alvus oppeſſulata remoto obice, cum impetu ſummo laxatur, ac omnes inde natæ ægritudines momento quaſi ſolvuntur.

Miſſæ Berlino, Norimbergam d. 2. Julii A. 1698.

OBSERVATIO CCXLII.

DN. D. VITI RIEDLINI.

Ex Calculo ſub Lingua ſubſequentia Mala.

DOlores illi, qui calculis ortum ſuum debent, merito inter acerrimos numerâtur, ſi præſertim in iis nidulentur partibus, quæ præ aliis ſunt ſenſiles, quorſum uti non abs jure referuntur renes & Veſica, in quibus partibus plures ac alibi Calculi plerunque reperiuntur, ita, ſi & in aliis exacto ſenſu gaudentibus generentur, vel hac de cauſa intenſior eſt dolor, quia in prin-

principio de Calculo nec cogitamus quidem, & hinc eo minus eidem obiam imus, quod vero tantum non ubique in corpore humano ſubinde Calculi inveniantur, toties jam probatum fuit, ut ulterius hujus rei mentionem facere vix opus habeam, at novos & nondum deſcriptos caſus producere, cum non omni careat utilitate, & ſequentia ſine nauſea leges: Cuprifaber quidam Vir quadratus & robuſtus, quinquaginta fere annorum, cum ea Cephalalgiæ ſpecie, quam Clavum nominant, gravisſime decunberet, dolorem huic ferme ſimilem ante hos viginti & quatuor annos perpeſſum fuiſſe, narravit, cumque ulterius & in illũ inquiſiviſſem, ſequentia addidit, dolor tũ temporis præſertim os atque fauces occupavit, cum tanta harum partium inflammatione, ut, licet illis gargariſmorum injectione poſt ſingulas fere horas proſpectum fuerit, impediri tn. non potuerit, quin brevi ſemper nigro colore denuo obductæ fuerint, præcipue vero moleſtus fuit ſub lingua, & nulli remedio vel minimum ceſſit, licet per integras ſex hebdomadas tum Medicus tum præſens, tum Chirurgus, ambo jam dudum defuncti, omnem adhibuerint diligentiam, donec tandem ſub lingua, circa illam partem, quam frenulum nominant Anatomici, tumor quidam notatus fuit, quem jam jam exulceratum iri, quædam ſigna indicarunt, unde meliora ſperare cœperunt, at tantum ſimul exaſperatus fuit dolor, ut Chirurgi adventum expectare non potuerim, ſed ab immenſis doloribus mente pene privatus, ipſemet eundem adierim, &, ut tumorem aperiat, ſumme rogarim, qui & petito meo ſatisfecit, cumque in tumore durum quoddam corpus notaſſet, illud forcipe extraxit, mirarique ſatis nõ potuit, cũ calculũ eſſe vidiſſet, hunc ipſũ vero calculũ mihi quoque monſtravit, qui magnitudine fabam minorem æquat, ceteraque tam exacte cum illis, qui per veſicam excernuntur, convenit, ut niſi indicaſſet, ipſemet pro tali habuiſſem; ab hoc vero calculo omnia recenſenſita mala orignem ſuam traxiſſe, vel ex eo patet, quod eodem extracto, illa ſtatim ceſſaverint, nec mirum vero fuit, quod medicamentis nil quicquam effici potuit, cum hæc cauſa nec Medico, nec Chirurgo vel in mentemquidem venire potuerit.

OBSER-

OBSERVATIO CCXLII.

DN. D. VITI RIEDLINI.

De Hormino travmatico.

LAtent nos plurium Herbarum virtutes, unde ſæpe eas pedibus calcamus & plane nihili habemus, quas, ſi virtutes, quibus pollent, nobis cognitæ eſſent, in longe majori haberemus pretio, ignotæ autem nobis ſunt egregiæ quarundam virtutes, aut, quia plane nunquam innotuerunt, aut &, quia, quæ innotuerunt, tum ob magnam remediorum copiam, tum forſan aliis de cauſis, in deſuetudinem venerunt, inter minus uſualia numerari cœperunt, & hinc vix ac ne vix quidem reproducuntur, niſi caſu aut forte fortuna contingat, ſit hic exempli loco Horminum, quæ herba hodie rariſſimè in alios uſus, quam ad vinum corrigendum vel potius adulterandum adhibetur, quam tamen veteres in aliquot aliis morbis, & inprimis in albugine, ac argemate, eo oculi ulcuſculo, quod in iridis circulo naſcitur, in uſum duxiſſe ex Dioſcoride conſtat, ex quo ſicut patet, horminum olim jam in ſoluta cutis unitate, commendatum fuiſſe, ita nuper demum comperi, hodienum in vulneribus conſolidandis â quibusdam haud omnino fruſtra in uſum duci, uti quidem ex ſequenti narratione magis percipies. Cum ante aliquot menſes cum Illuſtri quodam Equite in horto cujusdam amici deambularem, hicque inter ceteras herbas horminum in primis luxuriare vidiſſet narrare cœpit, hanc herbam vulnera quævis ſanandi vi pollere, â quodam ordinis mei, cui Piſcator detexit, & mihi communicatum fuit, & ex illo tempore pluribus tanto cum ſucceſſu in vulneribus recentibus ipſemet commendavi, ut inter vulneraria locum tantum non primarium omnino mereatur; fidem non adhibere dictis tanti Viri, nefas ducens, quam primum occaſio ſuppeteret, experientiam hujus rei facere, mecum conſtitui, & ecce! dum poſtea ab Horti Patrono Convivio lauto excipimur, Matrona quædam in pullo Indico dividendo occupata, cultro digito vulnus haud ita parvum infligit, cui an hanc herbam admovere liceat? hoſpes, qui, quæ Eques narraverat, audiverat, interrogat, & ego non ſolum concedo, verum ſuadeo quoque, urgeo, petitur itaque ex horto Horminum, decerpitur foliolum, & digito

læſo applicatur, jamque de vulnere parum ſolicita eſt Matrona, & quidem ſummo jure, nam cum domum rediiſſet & herbam removiſſet, vulnus ſic coaluiſſe invenit, ut vix lene ejusdem ſuper fuerit indicium; hoc & in aliis ſi præſtiterit horminum, non abs re in poſterum frequentius denuo in uſum vocabitur.

OBSERVATIO CCXLIII.

DN. D. VITI RIEDLINI.

De Calculo Veſicæ arcte agglutinato feliciter exemto.

QUando duo ad id apta corpora ſibi invicem agglutinantur, & gluten ſic comparatum eſt, uti quidem, ſi boni nomen mereri vult, eſſe debet, haud ita facile â ſe invicem denuo ſeparantur, & quando vel maxime unum ab altero vi avellitur, plerumquē ſimul quædam ejusdem particula abrumpit, & ei, cui prius peregrinum fuerat, adhæret; eodem prorſus modo & peregrina quedam corpora quibusdam corporis humani partibus interdum agglutinari, experientia jam dudum nos docuit, ſique alia exempla deeſſent, vel calculis veſicæ ſufficienter hoc aſſertum probari poſſet, quos interdum huic viſceri tam firmiter adhæſiſſe, notatum fuit, ut ab eodem, non niſi illo læſo, & cum quadam ejusdem particula ſeparari potuerint, quod licet non nemo vix contingere poſſe, niſi calculus in peculiari contineatur membrana, credat, contrarium tamen me obſervaſſe ex jam jam narrandis conſtabit: Hoſpitis cujusdam in pago Neuſäß habitantis filiolus, undecim annorum puer, cum ante hos ſeptem annos doloribus calculum Veſicæ prodentibus identidem valde tortus fuiſſet, jam tum quidem, ut ſectione mediante ab hoc tam moleſto hoſpite liberaretur, parentes deſiderarunt, utque ad hoc opus manus ſuas commodaret, Lithotomum quendam jure celebrem rogarunt, qui vero ob ætatem tenellam ut tam periculoſam operationem differrent, ſuaſit, facileque perſuaſit, cum præſertim poſtea dolores paulatim ſic remiſiſſent, ut jam, an calculo laboret? interdum dubitarint. At cum ante ſemeſtre & quod excurrit, equo conſcenſo puer aliquandiu corpus ſuper eodem nimium moviſſet, inde non ſolum dolores intenſiſſimi, verum & reliqua calculi præ-

ſentis

ſentis ſigna tanto cũ fœnore redierunt, ut jam ejusdem Chirurgi opem ardentius ac antea imploraverint, quam quidem hac vice Eidem addixit, & una mecum duobus ꝙ Urbis noſtræ Chirurgis in pagum delatus, operationem aggreſſus fuit, & quidem ea via, quam brevem nominare ſolent, puero nempe cuidam Viro robuſto in menſa ſedenti alligato, ſiniſtræ quidem manus duos primores digitos butyro inunctos ejusdem ano inſeruit, dextraque ex veſica eo detrudere calculum omni ope conatus fuit, quod tamen prima vice non ſucceſſit, puerque ob inſignes clamores ſolutus denuo urinam cruentam excrevit, Parentibus tamen urgentibus & ſedulo rogantibus, brevi poſt ſe iterum operi accinxit, jam mediante itinerario perficere illud intendens, cum vero hoc puer admittere nullo modo vellet, monitus â Chirurgo adſtante, priorem modum denuo tentavit, & quidem hac vice feliciter, haud ita magna enim opera jam calculus ad digitos detruſus fuit, unde ſupra eodem inciſione facta, paulo poſt illam extraxit pendentem drachmas ſeptem, & tum forma, tum magnitudine ovum Columbinum aliquantum excedentem, inprimis vero notatu dignum, quia alteri ejusdem extremitati membranæ duplicem groſſum Imperialem æquans, firmiter adhæſit, quæ non niſi vi avelli potuit, quam uti partem eſſe Veſicæ, nulli dubitavimus, ita merito de Curæ difficultate ſoliciti fuimus, at utique illud nos magis confirmavit, tum ipſa conſpecta membrana, tum tam diuturna dolorum abſentia, qui demum calculo per equitationem aliquantum avulſo redière, tum difficultas in ipſa operatione prima obveniens, ob calculũ in principio ſine dubio nondum penitus â Veſica ſeparatum, ita omnis ſolicitudo brevi ſublata fuit, dum non ſolum nullum periculoſum ſupervenit ſymptoma, verum quinto jam die lectũ reliquit puer, quin duodecimo ferè ſic convaluit, ut jam ulteriori cura non indiguerit, quæ magis adhuc poſtea confirmata fuere, cum puer cum patre ſanus & incolumis nec de minimo malo conqueſtus me viſitaſſet. Ex dictis vero ſicut patet, nec de iis ſemper deſperandum eſſe, quorum Calculus veſicæ agglutinatus eſt, ita longe majorem ſpem felicis eventus concipi poſſe, ſi pueri, quam ſi ſenes ejusmodi Curæ ſubjiciantur, itidem ex iisdem facile colliges.

(*Auguſtæ Vind. d. 24. Julij A. 1698. exhibitæ.*)

OBSERVATIO CCXLIV.

DN. D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI,

De prægrandis Epulidis felici per ſingularem Enchiriſin, Extirpatione.

CUm Peritus Chirurgus, Joh. Nicol. Marſchalckus, notiſſimus apud nos Balneator, Anno Chriſti 1690. Menſibus Jun. & Jul. haberet, quod Viennæ Auſtr. coram Judicio Imperiali in communi Balneatorum Norimbergenſium cauſa ageret, commodum accidit, ut ab Illuſtri Sexagenariâ majori & quidem admodum obeſâ Matronâ, de ſatis magna, eâque carnoſâ excreſcentiâ in inferiori maxilla dextri lateris, inter caninos dentes enatâ, conſuleretur. Hæc Epulis per quinque fere annorum decurſum in tantam indies accrevit molem, ut jam dimidii ovi gallinacei magnitudinem (vid. Fig. n. LX.) ſuperaverit;
Fig. n. 2. & 3. quo factum, ut inde duobus illis dentibus, intra quos primùm, luxuriantis carunculæ adinſtar, propullulare cœpit, ultra digitalis articuli ſpatium ab invicem divulſis, ſuisque ex alveolis excuſſis, rictus oris indecorè ſubinde hiaverit, nec unquam claudi potuerit. In conſilium interea vocati ſunt diverſi iique celebriores cum Medici, tum etiam Chirurgi, quorum plerique, quòd Tumorem, præmiſſis univerſalibus, aliisque neceſſariis internis Remediis corrigere, & cauſticis exedere ſtuduerint, tantum abfuit, ut iis remiſerit Malum, ut potiùs magis magisque inde exacerbuerit. Hîc Marſchalckus noſter in tempore recordatus, ſimilem Epulidem jam olim Patrem ſuum itidem Chirurgum in plebejo homine ſingulari enchiriſi ſuſtuliſſe, eandem ipſe quoque proponere ſategit. *Q*uum verò operatio iſta ceu minus nota, nova, inſolensq; & ambigua videretur, undique conquiſitis priùs, ſuper propoſita hac enchiriſi, plurimorum Medicorum Judiciis, in conſilium adſciſcere placuit adhuc alium, & quidem ordinarium celebriorem Viennenſem Chirurgum, nomine Georg. Schlenzkium, qui re, quâ licuit ſagacitate, penſi-

penſiculatâ, non potuit non annuere, inque medium allatum procedendi modum approbare, quem uterque prævia ex Pilulis conſtante à Medico præſcripta Purgatione, convenientisque diætæ ordinatione, ardenter implorato DEI adjutorio, hoc feliciter excogitato artificio, aggreſſus eſt. Nimirum ferreum repetitis incandeſcentiis ductilius redditum cheleuma Tumoris radici ſtrictè injecerunt, quod cùm in dies arctius ad exhibiti iconiſmi formam ſingulari forcipe conſtrinxiſſent, tandem die nono eò deventum eſt, ut ob illas à maxillari oſſe interea ſponte ſemotas lamellas ulterior conſtrictio fieri nequiverit; unde reliqua radicis tenuior portio, quâ adhuc cohæſit, peculiari ad hunc ipſum uſum fabricato inſtrumento abſcindi & debuit, & facilè potuit. Hoc facto, in locum ablatæ Epulidis applicuerunt *Pulverem Pannonic. rubr.* quo, exacto triduo, in conſpectum venit ipſe Tumoris fundus, ex quo absque ullo dolore novem oſſium ſquamæ prodierunt. Quare viſum eſt, ulcuſculum *Unguento fuſco* Fel. Würzii, addito tantillo *phlegmatis Vitrioli*, mundare, illudque medicamentum diu adhibere, usque dum eſchara excidit, & caro paulatim repullulaſcere cœpit; in uſum poſthæc porrò vocato *Gargariſmate adſtringente*, nec non exteriùs, defenſionis quodammodo loco, appoſito conveniente *Epithemate*, unà cum *Balſamo Florum Scletani.* Quibus adeo feliciter ſucceſſit curatio, ut Nobiliſſima fœmina non ſolùm integrè convaluerit, ſed & hodienum optimè habeat, valeatque pancraticè.

Fig. n. 4. Fig. n. 6. & 7. Fig. n. 5. Fig. n. 8.

Fig. LX.

OBSERVATIO CCXLV.

DN. D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI,

De Aſthmate convulſivo, eoq; lethali, ex aura venenata.

IPſe anniverſarius menſis agitur, quo accidit, ut quidam G. Grub. neſcio cujus plebeji hominis inſtinctu, in futuros, pro metallorum transmutatione, quam clanculum moliebatur,

tur, uſus, materialia quædam, nempe *Vitriolum*, *Sulphur* & *Mercurium ſublimatum* figlinæ ollæ indiderit, eamque in foco igni admoverit. Huic uxor aliam ollam *Braſſicâ capitatâ* repletam, pro cœna decoquendâ, proximè apponit. Quid fit? dum uterque vir, itemque mulier, coctâ hâc Braſſica in cibo veſcuntur, haud morâ omnes malè habere incipiunt, & quidem convulſivo corripiuntur Aſthmate, idque tantâ vehementiâ, ut altero ſtatim die mulier præfocatione vitam finiverit; uterque vir autem tandem quidem, adhibitis convenientibus remediis, convaluerit, attamen eodem cum morbo aliquandiu graviter fuerit conflictatus. Et fœmina quidem obiiſſe, viri verò evaſiſſe videntur, vel quòd illa jam tum cachectica viribusque exhauſta, tantæ virulentiæ reſiſtere impar fuerit, vel quòd etiam in culina, cum ſpiritum reſpiratione ducendo, tum olus ipſum, ut â coquis fit, aliquoties fortaſſis, inter parandum, deguſtando, plus venenoſitatis imbiberit. Aſt viri cum robuſtiores integroque corporis habitu fuerint prædi ti, non mirum eſt, quòd ſubjugato tantillo ingeſto veneno, tandem, licet ſumma cum difficultate, ſint eluctati.

Hoc ampliùs animadvertere hîc juvat: (1) quòd, etſi venena intra corpus noſtrum non admittantur, tamen ſolâ exhalatione nocere queant: (2) Quòd propterea cautos eſſe oporteat eos, qui venenatas res tractant: (3) quòd deleteriæ res nervis potisſimum videantur infeſtæ.

OBSERVATIO CCXLVI.

DN. D. GEORGII ABRAHAMI MERCKLINI,

De Epilepſia ſolius ſiniſtri lateris, eâque periodicâ, feliciter curatâ.

COnſpicui apud nos Mercatoris Filius, Juvenis viginti duorum circiter annorum, tenuis texturæ, & gracilis corporis habitûs, ſtaturâ tamen ſatis procerus, & cætera benè valens, (præterquam quòd ſternum cum cartilagine mucronata ſupra modum à nativitate depreſſum ac incurvatum aleret)

ret,) jam inde ab aliquot annis rarò obnoxius eſt morbo, quo quando corripitur, ſiniſtrum brachium pedemque & pleraſque ejus lateris partes continuis iisque admodum inſolentibus motionibus agitare tenetur, nec unquam quieſcere ſinit, donec, exactis duobus aut tribus diebus, præ virium proſtratione exanimis quaſi miſellus concidit, tragœdiâ hac ſua quaſi ſponte ad finem vergente, & priſtinâ valetudine paulatim revertente. Nam etiamſi in Helvetia, (ubi primùm, neſcius ex qua cauſa, hocce prehenſus affectu, & per integrum ferè biennium ſingulis circiter trimeſtribus uno eodemque plerumque modo tentatus eſt,) à celebribus illis Medicis, qui conſulebantur, nihil fuerit omiſſum, quod ad averruncandum Malum, & prævertendum paroxyſmum, facere poſſe videbatur, nihilo tamen minùs magnitudo morbi omnia iſta præſidia, & quævis remediorum genera eluſit. Quare optimum Filium huc in patriam revocare, conſultiſſimum Parenti viſum, ubi cùm ego primo hîc loci ingruente Morbi inſultu accerſerer, non potui non eum probè perpenſis omnibus circumſtantiis & rerum momentis, pro verè epileptico agnoſcere. Unde potisſimum ant-epilepticorum armis hoſtem impetere, interque ea imprimis Liquor. C.C. ſuccin. Tinct. caſtor. nec non ſingularibus huc reſpicientibus Pilul. aliisque debellare ſategi. Non omisſis frequentibus fomentis, quin etiam parcâ quidem, ſed iteratâ celebratâ Venæſectione. Quibus per tres quatuorve annos ſollicitâ curâ continuatis, adeo feliciter ſucceſſit curatio, ut Juvenis integrè convaluerit, jam dum per annuum ab hinc decurſum liber ab omni morboſa ejusmodi invaſione.

(Noribergâ Auguſtam Vindel. 22. Sept. An. 1698. miſſæ.)

OBSER-

OBSERVATIO CCXLVII.

DN. D. JOH. GEORGII SOMMERI.

De ſingulari animalium volatilium digeſtione.

OMnium animalium volatilium vim digeſtivam ventriculi digeſtionem animalium quadrupedum, etiam ipſorum luporum, in ſuo genere, ſuperare, in aprico eſt: ſiquidem potisſimæ aves dura frumenti grana in ſuccum reſolvunt; ciconiæ viperas & alia reptilia venenata, quocunque iræ œſtro ſint enecta, ſine noxa devorant, iisdemque pullos ſuos feliciter alunt, imò aviculæ vermes omnis generis, ipſaque inſecta venenoſa, araneas, bupreſtes (*παρὰ τὸ πρῆσαι τὰς βοῦς, ab inflando & rumpendo boves dictæ,*) impunè, imò cum volatilium recreatione ingerere & in ſanum ſanguinem vertere valent, quin imò araneæ etiam ægris gallinis, anſeribus &c. cum butyro datæ ſanitatem illis reſtituunt.

Ex eadem cauſa minorum avium ventriculus arenam, majorum ſilices, aliósque lapillos, ductu naturæ pro ſui conſervatione, poſtulat, nempe ut avium ventriculi fermentum æſtuans attemperetur, & excedenti appetitui frænum injiciatur, quare in avicularum ventriculis arena conſumitur, in majoribus autem avibus lapilli ingeſti acuti fiunt obtuſi, donec ſucceſſivè penitus conſumantur. Alimenta contrà acida, quæ fermentum aliorum animalium roborant, volatilibus nocent, hinc pullos gallinarum aut ægros aut mortuos reddunt, quos theriaca, piper integrum, allium & ſimilia conſervant.

Ubi, ὡς ἐν παρόδῳ, notandum, quod aves ſylveſteres, quàm diu vermibus & inſectis vivunt, &, ut gallinagines &c. captæ necantur, vix tertia temporis parte ſine corruptione conſervari poſſunt, quàm ſi baccis juniperi, ut turdi &c. aluntur & alimento hoc balſamico in vita quaſi condiuntur, eadémque qualitate præ aliis avibus ſanitati inſerviunt.

Cauſarum autem digeſtionis hujus ſingularis *prima eſt* ipſius ventriculi ad hanc actionem deſtinati *calor*, qui mediante ſanguine ſpirituoſo ex carnoſa illa ventriculi ſubſtantia & partibus adjacentibus fermento digerenti vigorem adſpirat: *ſecun-*

ſecunda eſt amarities in ventriculis volatilium ipſi ſenſui patens. *Tertia eſt qualitas alkalina* ventriculo & inteſtinis, propter remanſionem urinæ in his animalibus naturalem, domeſtica. Quæ cauſæ conjunctæ his in animalibus præ aliis vim digeſtivam roborant, in ventriculo alimenta quaſi aromatiſant, fermentando reſolvunt, & digeſtionem etiam ad lapillorum ingeſtorum conſumtionem roborant, effectu analogo, quo in ſtatu p. n. ſpiritus ſalis ammoniaci & ejusdem flores martiales in digeſtione humana eſſentiis amaris & ſpecificis juncti febribus ex cruditate ortis bellum indicunt, eáque qualitate multis antifebrilibus palmam præripiunt.

Quamvis autem hæc volatilium vis digeſtiva ventriculi aliis brutorum digeſtionibus longè prævaleat in vitâ, poſt illam tamen facultas illa exſpirat, quare pulvis tunicæ interioris ventriculi gallinarum &c. aſſumtus, hominis labaſcenti digeſtioni (ceu quidam Autores ſtatuunt,) ſuccurrere non valet, quare etiam *Galenus 2. de ſimpl. med. fac.* vanam hanc promiſſionem eſſe expertus eſt, item *Helm. de Lithiaſi cap. 7. ∫. 28.* hujus tunicæ effectus ſpem fallacem eſſe judicat, quia vis fermentalis viſcerum unà cum vita extinguitur. Ex eadem ſpe quidam lupi ventriculum ſiccatum ventriculo humano contra ejus βραδυπεψίαν & δυσπεψίαν imponunt, inteſtina etiam lupi ſicca umbilico contra colicam applicant, ſed utrumque conatu irrito, quia uti jam dictam, horum vis digerens cum vita deſiit. Alia ratio eſt, ſi bufo ſiccatus carbunculo peſtilenti imponitur, qui illum alterat, maturat, rumpit, &, ceu animal virulentum, virus, qualitate ſua magnetica extrahit.

Analogum effectum præſtat idem bufo ſiccatus ulceri cacoëthico vel cuivis ulceri æſtuanti impoſitus, qui dolorificum æſtum non ſolum lenit, ſed etiam ejus ferociam ita cicurat, ut tumor ulceroſus ſine maturatione inſenſibiliter diſcuſſus in ſeſe concidat & totum malum diſpareat,, uti enim venenum à cute forinſecus hauriri poteſt, *vid. Kircherum de peſte Sect. 3. cap. 3. p. m. 307.* ita idem per appropriatum remedium externum iterum per poros difflari aptum eſt.

OBSERVATIO CCXLVIII.

DN. D. JOH. GEORG SOMMERI.

Cautela circa hæmorrhagias curandas.

VIr Nobiliſſimus, toga ſagóque Illuſtris, annorum quadraginta duorum, temperamenti calidi & humidi, animi concitati, cætera laudariſſimi, aliquoties narium hæmorrhagiam patiebatur ad 12. & 18. horas durantem, quæ remediis probatiſſimis internis & externis difficulter cedebat. Aliquando peregrè aberat, hujusque vitæ theſauri iterum quantitatem immodicam perdebat, inter cujus curationem remediis enormis perfrigerationis circa caput & genitalia ſcopum ferire anniſi ſunt, domum redux, animo & corpore alias alacris, nunc utróque fractus obibat, paulô poſt, accedente aëre autumnali nebuloſo patiebatur inſultum apoplecticum poſt biduum funeſtum. Ex quibus haud difficulter patet, quanta diſcretione in pacando furioſo archeo opus ſit, ne ille ſibi relictus cum ſanguine ipſam exturbet animam, néve Medicus immodica perfrigeratione interna aut externa paucos adhuc reſtantes ſpiritus vitales extinguat, ſicque ſanguinem congelando vitam cum gelida morte permutet.

OBSERVATIO CCXLIX.

DN. D. JOH. GEORG SOMMERI.

De Cautelis circa febrium ardentium curationem.

PAr ratio eſt in febribus ardentibus, petechialibus, variolis, morbillis &c. uti enim in his per medicamenta præcalida, victum πολύτροφον, & aromaticum, aquas ſpirituoſas, hypocauſtorum & ſtragulorum calorem excedentem ignis igni additur, & ita, ſanguine his juſtô rariore facto, ſpiritus & humores inflammantur, ut ægri, quo ſe præ æſtu interno vertant, neſciant, hinc orta deliria, vigiliæ, epilepſia & ſimilia ſpiritus vitales tantis naturæ laboribus depaſcendo, vires frangunt

& naturam ſuccumbere jubent; ita horum contraria ægros ita febricitantes itidem necis periculo exponunt, ſi agyrtæ ſive adſtantes ſine conſilio medico ſolum calorem p. n. per potum actu & potentiâ refrigerantem nimium reſtinguere laborant, imò etiam inter ſudorifera adhibita, ſola perfrigeratione excedente naturæ vim inferunt, dum ſanguinem attenuandum incraſſant, & malignarum atomorum per habitum corporis diſpulſionem impediunt.

In idem periculum ſe præcipitant, qui in his febribus totum corpus aut partes externè plus æquo refrigerant, ceu interdum delirantes æſtum, quo flagrant, ut reſtinguant, ſe ſe frigidæ immergunt, ſicque citam ſibi conciliant mortem. Huic affine exemplũ *Greg. Horſt. part. 2. l. 4. obſ. 24.* de duobus adoleſcentibus deſcribit, quorum unus in febre ardente manus, alter brachia frigidæ immerſit, & poſteà ille manus fuſcas & penè emortuas, hic brachia ex nigro livida & mortua extraxit.

Analogum effectum mihi conqueſta eſt mulier plebeja, quæ ſana mente in tali æſtu febrili ſolamen & recreationem quandam ſibi procuratura, ſæpè brachia aquæ frigidæ paulùm immerſit iterúmque retraxit: hæc quidem benignitate divina ſine medicamentis à febre liberata, poſt morbum autem continuis brachiorum doloribus cruciata eſt, omnibus internis, & externis remediis incaſſum adhibitis.

SCHOLIUM.

Ex duabus his obſervationibus patet, contraria quidẽ contrariis curari quatenus, illa juxta naturæ ductũ moderentur, omniſque exceſſus evitetur, qui etiam, uti ſecundum majus & minus differt, ita etiam majus aut minus damnum efficit, hinc ſupra memorati juvenes manus & brachia diutius perfrigerata ſphacelo emori permiſerunt, ægra autem alternis abluitionibus frigidis brachia cum venis, arteriis, nervis & tendinibus ita debilitavit, ut poſt morbum in illis non niſi ſenſus & motus dolorificus remanſerit.

Uti igitur omne NIMIUM naturæ inimicum eſt, ita MODERATA eandem conſervant, imò in ſtatu etiam politico, œconomico & quovis conſortio humano DURANT.

OBSERVATIO CCL.

DN. D. JOH. GEORGII SOMMERI.

De aſitia in gallis Indicis.

UTi volatilium vis digeſtiva aliis animalibus prævalet, ita in eadem gallus Indicus præcalido ſuo temperamento & æſtuante ventriculi fermento præ multis avibus coryphæi loco agmen ducit, adeoque etiam multum ſolidi & humidi alimenti poſtulat, quare qui tales gallos ad famem & ſitim tolerandum vulgò ineptos judicatos, tempore æſtivo ex pagis in urbes portant, ne quâ ſiti pereant, aquâ ſæpè reficiunt. Nihilominus domi meæ accidit, ut gallus Indicus tempore Majali in novo ſuo hoſpitio poſt ſarmenta forſitan à cane fugatus totos 17. dies ſine omni alimento latuerit, poſtquam autem cum omnium admiratione vivus repertus & in lucem eſſet protractus, carne & viribus adeò erat exutus, ut ſine titubatione ſtare non valeret, poſteà autem alimentis refectus, pinguefiebat ex voto. Alius gallus Jndicus in Senatoris hujus urbis horreo ſtramine obrutus totas tres ſeptimanas etiam ſine victu incarceratus latuit, poſtque dictum tempus vivus quidem, ſed exſuccus ferè inventus eſt, qui ſaginatus poſteà Junonis pronubæ holocauſtum factus eſt.

Cauſam hujus aſitiæ quod ſpectat, notum eſt, calorem animalium naturalem ſemper agere in humidum, humidum autem eſt vel molle vel denſum, inter molle numeranda hic veniunt corpora animalium rara, ceu ad ſudorem & tranſpirationem facillima, in quibus; longè plus ſeri, tùm alibils, tùm morbiferi per inſenſibilia cutis ſpiracula diſſipatur, quàm in conſtitutione craſſa, nam pro majori vel minori tranſpiratione à corpore humano quovis die naturali ratione ætatis, motus corporis conſtitutionis, victus & temporum anni libræ 2. 3. 4. aut 5. per poros diffluunt, hnc illa corpora rara, ſi levi tentantur morbo, aut ſaltim per aliquot dies genium ſuum defraudant, facilè corporis & animi viribus franguntur, colore vivido, ipſaque carne magis privantur, quàm corpora muſculoſi habitus per morbos, curas anxias aut labores duplum paſſa aut minimum paſta. Et hinc corpora & viſcera ſolida & du-

duram carnem alentia pane bis coсto & laboribus athleticis felicius durant, quàm mollia regionum medullâ nutrita, quorum tamen quædam corpora mollem alunt carnem, quorundam cutis vix oſſibus hæret.

Ex quibus manifeſtum eſt, calorem animalium naturalem, minus agere in corpora denſa, eorumque humiditatem concretam, adeoque illa etiam diutius durare & tardiùs depaſci, quàm corpora rara facilè diffluentia: & hoc ipſum cauſa eſt, quod gallorum noſtrorum Indicorum habitu corporis denſorum unus 17. alter 21. dies jejunium faciliùs ſuſtinuerit, quàm mollis & imbellis columba ſine victu vix per quatuor aut quinque dies ſuffectura.

OBSERVATIO CCLI.

DN. D. JOH. GEORGII SOMMERI.

De oleorum cornu cervi & tartari fœtidorum extractis volatilibus.

PRæterquam quod oleorum horum uſus externus in emplaſtris ſpleneticis, hyſtericis, travmaticis, bubonibus peſtilentibus, morſibus venenatis, aliisque tumoribus malignis aut renitentibus ſit egregius, effectum tamen non minus ſalutarem horum oleorum extractum, uſu etiam interno præſtat, quod ita parari poteſt: nempe miſceat aliquis alterutrum horum oleorum ſale volatili prægnantium ſpiritu baccarum juniperi, aut baccarum aut florum ſambuci, aut ebuli per fermentationem parato, paulum digerat, & dein diligenti conquaſſatione ſal volatile nigris olei atomis immerſum eluat, poſteà, cum oleum verſus fundum receſſerit, liquorem ſalinum per manicam Hippocr. chartaceam aquâ fl. tiliæ aut aliâ madidam ab oleo ſeparet. Effectus ſpiritum imitatur.

OBSERVATIO CCLIII.

DN. D. JOH. GEORG. SOMMERI.

De ſemine phaſeoli minoris in pulmonem hauſto.

PUer ferè quinquennis fabulam ſeu ſemen phaſeoli minoris ſumit in os, poſt fugatus ſpirando in pulmonem attrahit aërem copioſiorem, & ſimul phaſeolum in aſperam arteriam haurit. Hic puer ex Schola domum reverſus, extemplò ingentem præcordiorum dolorem, cordis anxietatem & reſpirationem difficillimam verbis manibusque indicabat, paulò pòſt accedebat calor p. n. vires non parum frangens. A Domino Parente, Dn. Joh. Jabobo Hartung, J. U. Doctore & hujus loci Practico Conſultiſſimo vocabar cum Filio meo in conſilium, ut & Medici ex vicinis urbibus expertiſſimi, remedia reſolventia & expectorantia adhibebantur omnifaria, ut & ſternutatoria conſilio D. D. Muyſij in Obſervationibus, ſed nullo feriebamus ſcopum, quamvis adſtantes motum phaſeoli in exſpiratione verſus epiglottidem, in inſpiratione verſus arteriæ aſperæ ramos,&ita ſurſum deorſum cum ſtrepitu moveri adverteremus.

SCHOLIUM.

CUm igitur in vita ad expectorationem nullum ſufficeret remedium, poſt eam cultro anatomico phaſeolus dictus eximebatur, invenitur eâ aſperæ arteriæ parte, quâ abit in ramos. Hic poſt moram & motum novem dierum in loco calido & humido aliquatenus emollitus inveniebatur, adeò, ut, ſi vires in puero optimæ indolis & Nobilisſimorum Parentum filio deſideratiſſimo ſuffeciſſent, ad ulteriorem vitæ moram, non dubitandum fuiſſet poſteà phaſeolum particulatim tuſſi per os potuiſſe reſpui aut ſternutatione excuti. De hoc plura vid. *Ephem. Germ. Cur. Ann. II. Dec. I. Obſerv. CLIII.*

Verum enim vero, ſtatum eſt homini ſemel mori, alium tali, alium alio fati genere: Si enim Majorum noſtrorum ſcripta evolvimus, quot quæſo, quàmque levis ponderis cauſæ, telis non prævidendis, vitæ noſtræ inſidiantur? quotnam cauſæ vitæ filum non rarò in momento, nemini parcendo,

do, abrumpunt? Et quamvis ejusmodi cauſæ in vita humana fragili dentur innumeræ, nos præſenti noſtro exemplo ſaltim addamus ab autoribus quibusdam obſervatu ſingularia, ubi homines etiam ſummæ dignitatis illâ ipſâ cauſâ, nempe inter aëris attractionem ſimul uno vel altero corpuſculo aut animalculo in aſperam arteriam inſinuato ſuffocati ſunt.

Sic Tarquinius ſuffocabatur coſtulâ piſcis intra epiglottidem ſubreptâ: Fabius pilo cum lacte hauſto: Lucia, Cæſaris Aurelii ſoror aciculâ: Poëta Anacreon uvæ acino: Sophocles grano quodam ſtrangulatus: Druſus Pompejus, Imperatoris Tiberii filius ludens, pyrum ore captando ſuffocabatur: Spurius Saufejus ovo ſorpto: Cæſar Heinricus panis bolô: Carolus Sextus, Rex Navarræ filo urente: Papa Adrianus Quartus, muſcâ in aſperam arteriam inſpirando hauſta fato ceſſerunt.

Et D. D. Caſp. Theoph Bierling Anno Ephemeridum II. Dec. I. Obſ. CLIII. refert, quod puer 6. annorum in montibus Rhæticis cum coætaneis ſuis ludens, inter diſcurrendum phaſeolum grandiuſculum. quem incautè ore tenebat, deglutivit, (potius in tracheam hauſit.) Cum autem puerum vomitoriis in caſſum affligerent, ipſaque mater externè digitis & unguibus phaſeolum evellere tentaret, cum ſauciatione faucium, ceſſavit quidem ſpirandi difficultas, redeunte autem paroxyſmo catarrhali, quo aliàs affici puer ſolitus eſt, derepente ſuffocatus fuit.

D. D. Roſinus Lentilius in Parallelismo ad hanc obſervationem Anno I. Dec III. pag. 129. annotat, quod Heidelbergæ contigerit, ut in Schola puellari virguncularum aliqua ridenti alteri decennali fabam in fauces injiceret, quæ in tracheam illapſa, miſeram ante, quàm quis opem tuliſſet, brevi ſuffocavit.

Mille alii alio fatorum genere rarò horrendo vitâ ſunt privati, imò quot & quoties homines cubitum eunt ſani, manè in lecto ſine manifeſta cauſa inveniuntur mortui. Et quid multa? Homo habet tempus moriendi à DEO ſtatutum Job. 14. 5. ſecundum genuinum fontis ſenſum verba hæc ſignificant: Dem Menſchen iſt ſeine Lebens-Zeit zugezählt/ zugemeſſen und zugerechnet. Talia ſi piè conſideramus, edocemur terminum vitæ noſtræ in manu & voluntate DEI conſtitutum eſſe, DEUMque hominum actiones probè obſervare, & ſecundum eas terminum

gratiæ

gratiæ in piis, ut Hiſkiâ, in impiis terminum iræ, ut Abſalone, Rege Aſſa &c. conſtituere, abbreviare aut prolongare.

Prudenti igitur circumſpectione vigilant, qui quemlibet diem ſuum ſupremum eſſe meditantur, & eandem ob cauſam, dum ſcopus vitæ noſtræ eſt, DEUM in verbo ſuo agnoſcere, amare, laudare ipſique ſervire, quisque vivat, dum vivit, in pietate ſeria & amore erga DEUM & proximum infucato ingenuus.

Quod autem benigniſſimus vitæ noſtræ Director multos pios in flore ætatis ad ſe vocat, fit, quia anima eorum DEO placet, illósque ante infortunium vult remotos; quod verò quosdam homines peſſimos DEUS jubet ſeneſcere, facit in ſui honorem, & ut impia hominum corda morâ, cruce & benignitate ad converſionem compellere tentet.

Dictas ob cauſas etiam noſtra adhuc tempora Nervam, Cæſarem ethicum, deprædicant, quod ſigillum ſuum, cui verba, *memento mori*, erant inſculpta, ſemper ante oculos geſtaverit. Sic etiam Philippo Macedonum Regi poſteritas Chriſtiana egregium adjudicat encomium, quod ſapienter ordinaverit, ut puer Nobilis ipſi quotidiè acclamaret:

MEMENTO MORI!

(Miſſæ Arnſtadio Auguſtam Vind. d. III. Octobr. A. 1698.)

OBSERVATIO CCLIII.


Dn. D. JOHANNIS *DOLÆI.*


De Miſcellaneis notatu dignis Chirurgico Medicis.

OBſervationes haſce nomine Exercitatisſimi Dni. Verduini, Chirurgi Amſtelodamenſis Clariſſimi, Amici noſtri ſuaviſſimi, Curioſis noſtris communicare voluimus, qui inter alia hunc in modum ad me tranſcripſit. Poſtremo pergratum mihi erit, ſi caſus tuos Chirurgicos mihi notum facere placuerit; ſequentes Tu accipe: Præcedenti anno, juveni quindecim annos nato, præſentibus & adjuvantibus Gen-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Fig. LXI. pag. 591.








Fig. LX. pag. 578.





Fig. LXII. ad obſ. penult.





Genero & Filio, calculꝰ ovo columbino major, apparatu majori, exſectus eſt, in cujus medio acicula, inventa eſt, calculi autem extremitatibus, inter extrahendum quadantenus contritis, globulus & cuſpis antea abſcondita, detexebantur. Jam quæſtio eſt, quâ viâ hæc acicula veſicam ſit ingreſſa? quidam eam deglutitam, membranas inteſtini recti ac veſicæ permeaſſe autumant, quod & mihi & pluribus non veroſimile videtur, quippe quod globulus, quo alterum aciculæ extremum eſt munitum, tranſitum impediret: Sed multò probabilius eſt, eam per meatum urinarium intraſſe, ſive illud negligentia cuiusdam muliercùlæ, quicquam hac acicula ex pene eximere conantis, factum ſit, ſivè alio quodam caſu: à primis enim cunabulis infans male cœpit habere magnis conatibus purulentam reddendo urinam, imò ter inter pus, paulatim auctum, vermes ſatis longos excrevit, quorum duos in meatu hærentes, â Chirurgo extrahi neceſſe fuit. Patiens hic Divina benignitate optimè eſt ſanatus, & ab omnibus ſymptomatibus liberatus.

Alius caſus, præcedenti infrequentia non eſt minor. Alio cuidam Juveni novendecim præterpropter annos nato, antea bis à diverſis lithotomis, calculis liberato, novus in ſcroto accrevit calculus, forſan ex fragmento quodam præcedentis inter extrahendum contrito, & inter cutim & muſculos in peritonæo remanſo, ibique delitеſcente. Hic calculus ſexennii ſpatio ita auctus eſt, ut hujus figuræ formam ac magnitudinem (v. Fig. LXI.) & Beſſis pondus adæquaret: qua mole ac pondere cutis extenſa & extenuata, lapidem diutius retinere non valuit, verum ea ſupurata ac quadantenus gangrænata, ultro decidit, ægro ex prioribus operationibus perterrito omnemque Chirurgiam denegante. Poſtquam tamen calculus excidit, Chirurgus Chriſtianus Brouver, vocatus, partem affectam tractavit & quantum potuit curavit, ſed non ut hic, ad gloriolam ſibi captandam, gloriatur, ſanavit: Æger enim relictis quibusdam fiſtulis, urinæ involuntarium tranſitum præbentibus, miſerrime vivit.

Addam tertium inſolitum atque nuperum caſum: Juvenis quidam triginta annos ætate major, quadam mejendi

laborat difficultate, unde calculum ſibi in veſica latere ratus, tereti quodam inſtrumento plumbeo, propriâ manu id explorare ac difficultatem mejendi demere conatur: quo inſtrumento in meatum urinariū ducto, ac ibi rupto, pars ejus in veſicā labitur. Hinc præcedenti mejendi difficultate aucta, aliisq; ſymptomatibus accedentibus, æger tandem lithotomi explorationem admittere cogitur, quæ, propter meatus urinarii, ex carunculis, anguſtiam ægrè fieri poteſt, cathetere tamen inducto Calculus ſectione indigens ſentitur; quæ lithotomo prædicto, Samuele Benarento, Judæo, pluribus ut & me præſentibus, & Genero adjuvante, ſexto Iduum hujus menſis, Harlemi feliciter eſt inſtituta, plumbei illam Stili portionem indicis longitudinis, totamque materia lapidea obſeſſam extrahens, patiens pro re nata bene ſeſe habet, & priſtinæ valetudinis recuperandæ non exigua affulget ſpes. Ex his aliisque exemplis liquido patet, ſi in veſica, imo extra veſicam, modo quid ſit, cui materia lapidoſa, alluente duntaxat urina, ſeſe affigere poteſt, facile calculos oriri: Imò Dom. Abr. Cyprianus Medicus eſt lithotomus eximius mihique familiaris, retulit nobis, ſeſe ſubinde portiunculam ſtraminis, cani per penem in veſicam truſiſſe, quo quodam tempore poſt diſſecto, calculus in veſica reperiebatur in cujus medio ſtraminis portio latebat. Quare in hac operatione caute eſt proſpiciendum, ne ullus lapillulus aut fragminis quicquam in veſica relinquatur, unde novus facile poſſit oriri calculus.

Fig. LXI.

OBSERVATIO CCXLIV.

Dn. D. JOH. DOLÆI.

De ſingulari viſus ſymptomate.

PUerulus unius anni & quatuor ſeptimanarum, quoties defertur in conclave radiis ſolaribus aut candelæ illuminatum, toties inſigniter intumeſcunt oculi, colore rubicundo ſuffundun-

duntur, lachrymæ fluminis inſtar fluunt, ſalivaque aquoſa tenuis, canis ad inſtar rabidi in magna quantitate ex ore deſtillat, eo tempore nihil videt, ſed maximo ac miſerrimo clamore omnes adſtantes ad commiſerationem invitat, quam primum verò iterum defertur in conclave radiis deſtitutum, oculique Tinctura Croci ac Benzoini illinuntur, illico tumor ac rubedo ſeccedit & pancratice vivit, interea quoad omnes partes ſanus libenter edit & bibit aſſumptaque in laudabilem Chylum mutantur. Hujus mali cauſam puto conſiſtere in tenuitate fibrillarum, ideoque juſſi, ut vitam degeret in camera quadam obſcura, quæ ſucceſſive illuminaretur, quo ſucceſſu temporis aſſueviat radiis ſolaribus. Ex relatione etiam Matris habeo, quod ipſa puerulo illo gravida, cum aliquando in templum iret, ſpeculo ſoli obverſo fuerit moleſtata.

OBSERVATIO CCLV.

Dn. D. IOHANNIS *D*ANIELIS *D*OLÆI.

*D*e Scirrhis ventriculi verminoſis, canibus admodum familiaribus.

MIhi obſervare contigit aliquando, cum olim ſub Ductu Excellentisſimi Domini Nebelii, Fautoris ac *Pr*æceptoris mei fidelisſimi, anatomicis operam darem, cumque canis inteſtina perluſtraremus *S*cirrhos quosdam verminoſos, invenimus quorum deſcriptionem à ſupra laudato Domino Nebelio Parenti meo transmiſſam hic communicare libet:

Anno MDCXCV. d. VI. Martii canem diſſecuimus, villaticum & voracem, in cujus ventriculo immane quantum diſtento, haud procul â pyloro vidimus duas glandulas albicantes, fabæ magnitudinem ſuperantes & veluti ſcirrhoſas, ſibique invicem contiguas, quas ubi evacuato apertoque ventriculo, penitus luſtravimus, tunica ventriculi villoſa obductas, & hac abraſa, ſubjacente nervea glanduloſa inveſti-

tas offendimus, quâ inciſâ illico ſeptem vivi implicatique vermes eruperunt, qui longitudinem unius articuli, craſſitiem acus mediocris habebant, toti rubicundi & translucidi, albis quaſi circulis diſtincti; In altera glandula itidem diſſecta tres reperiebantur vermes: omnes poſtea ubi in vas vitreum aqua repletum immiſſi fuerunt, in una extremitate acuto roſtello in altera tenuibus & albis filamentis, tribus vel quatuor, caudæ in modum expanſis, donati videbantur; Exemptis vermibus binarum glandularum interiora cancava rubicundis acinis obſita deprehendimus. Haud procul autem ab iſtis glandulis in ventriculi tunica nerveo-glanduloſa duo conſpeximus foramina valde exigua, quæ ob inhærentem mucum primo ſetam ſuillam non admiſerunt, poſtea tamen abſterſo muco eandem facile in glandularum cavitatem usque ductu obliquo receperunt; Unde concluſimus, vermes iſtos ab inſectorum ovulis, â cane unâ cum potu cibove deglutitis, & intra ventriculi villas illius calore excluſis ortum duxiſſe, & acutis roſtellis poſtea tunicam nerveo-glanduloſam perforaſſe, ibidemque ſibi nidum compoſuiſſe, in quo ſenſim ab extillante glandularum ſucco enutriti fuerint: Canem vero noſtrum propterea voracem fuiſſe credimus, quod ventriculi tunica nervea ab iſtis vermibus indeſinenter extimulata, continuam fere famem excitaverint, quæ non niſi copioſe devoratis alimentis deliniri potuit, unde ventriculi capacitas ſucceſſive in maximam amplitudinem diſtenta fuit. Iſtiusmodi vermes in hominum ventriculis quoque reperiri Miſcel. Nat. Cur. Germ. Dec. 2. n. 6. Obſerv. XXXIII. fidem facit, & ſubjunctum Illuſtris Præſidis Scholion confirmat.

Hucusqne verba Excellentisſimi Domini Nebelii recenſuimus. Ipſemet autem cum HalisSaxonum, ſtudio medico invigilarem non ſemel in quorundam canum ventriculis ejusmodi glandulas verminoſas ſupradictis prorſus ſimiles milii magnitudine & copia diſpares inveni, & quidem omnes vermes intus contenti in extremitate vel bifurcati, vel tres eminentias quaſi caudas, imo plures continebant, raro autem absque ejusmodi filamentis reperiebatur vermis, ut hinc non immerito quis ſuſpicari poſſet, an ad certam ſpeciem ejusmodi vermes referri queant, quod mihi admodum pro-

babi-

babile videbatur. De earundem generatione autem cum ſupralaudato Doctisſimo Domino Nebelio omnino ſentio, ob materiæ vicinitatem ſaltem breviter id addam, quod in multorum murium diſſectione reperi, cum enim aliquando curioſitatis gratiâ varia animalia etiamque inter illa quosdam mures cultro anatomico ſubjeciſſem, præter illa quæ jam nota ſunt, in quorundam hepate veſiculam quandem albicantem & quidem maximam conſpexi, quàm in principio pro apoſtemate quodam agnoſcebam, aperta autem tunica, ſubſtantia quædam convoluta apparuit, cumque illam extraxiſſem ad ſpithamæ longitudinem accedebat, erat albicans, ſtrias habens annulares, ac longitudinales, crasſitiem aciculæ majoris, in una extremitate protuberantiam quandam inſtar capitis, ut adeo omnino vermem referret, ſimiliaque corpora niſi minora in ejusmodi animalculis iterum aliquoties obſervavi: Tunica in qua funiculi hi (liceat mihi ob talem analogiam ita loqui) concluduntur membraneo-nervoſa eſſe ſolet, continetque mucum quendam absque tamen omni fœtore de cujus cauſa ac generatione forſan in poſterum, plura in Ann. IV. Dec. III. ejusmodi Exempla recenſuit Illuſtris Dominus Præſes.

OBSERVATIO CCLVI.

DN. D. JOH. *DANIELIS DOLÆI.*

De Fœtus mortui Anatome.

HOdie mihi fœtus fœmininus ad ſecandum fuit traditus, cujus cutis partim aſpera ac ſicca, partim etiam omnino abraſa extitit, fœtus uti conjecturari licet, ad minimum per octiduum ante partum fuit mortuus; quoniam partes hinc inde areſcebant, corruptæque reperiebantur, Secto itaque abdomine venas arteriasque umbilicales urachumque, communi membrana veſtitum egregie cernere potuimus, venaque arteriâ multò major inque hepar per fiſſuram inſerebatur atque intra jecur ex vena cava, mediante canaliculo venoſo in fœtu aperto deducebatur, Urachumque exploravimus, non admodum pervius tamen fuit repertus, arteriæ umbilicales ab arteriæ magnæ extre-

mitate prope diviſionem ejus in ramis iliacis internis uti plerumque accidit ortum trahebant, Inteſtina erant copioſiſſima nil niſi mucum quendam continentia, cœcum autem materiam aliquatenus virescentem continebat, ventriculusque præter mucum virulentum putrilagineumque nihil continebat, lien laudabilis coloris veſica nullam urinam continebat, renes molles flacceſcentes, jecur duriuſculum magnum coloreque paululum ſanguineo, veſicula fellis bilem flaveſcentè continebat, cor plane exſuccum ac flaccidum deprehendi inque vena cava prope cor foramen ovale, quo tranſitus patet è cava in venam pulmonalem elegantiſſime conſpici poterat; ita etiam à parte hujus venæ obtenta membrana tanquam valvula munitum, canaliculus item ex arteria pulmonali in aortam protenſus, ob tunicarũ craſſitiem arterioſus dictus, optime explorari poterat; de cujus uſu Anatomici paſſim legi merentur, pulmo erat rubicundior, admodumque ponderoſus, cumque in aquam projeciſſem ſtatim fundum petiit imo omnes partes disciſſæ quoque fuere ſubmerſæ; hocque fieri debere in omnibus in quibus aer craſſior nondum penetravit, vero videtur ſimillimum, hocque experimentum eſſet ſat certum, ſi à pulmonibus male affectis ſequestraretur circumſtantiæque magis conſiderarentur; ſed hæc in tranſitu; glandula thyma relicto abdomine, quam maxima apparuit, caput paululum perluſtravimus, ibidemque oſſa bregmatis penitus diffracta reperimus Cerebrique ſubſtantia totaliter vere effuſa albicans fluidaque extitit, adeo ut præter recenſita nihil in illo obſervari licuerit curioſum. Uterus erat ætatem ſi ſpectas, ſat magnus, fœtus enim fere novimeſtris fuit, magnitudinem juglandis complectens ligamentis ſuis gaudens ſat validis, ovaria erant vix conſpicua accidit vero ut non niſi feſtinanter in ſectione procedere debuerimus, quoniam parens & obſtetrix aderant nec longam moram concedere volebant.

OB-

OBSERVATIO CCLVII.

DN. *D.* IOH. DANIELIS DOLÆI.

De eruptione Saguinis è Vaſe brevi in ipſum ventriculum, mortis ac vomitus cruenti cauſa.

CUm nuper Miſcellanea Curioſa evolverem, caſuque obſervationem XX. decur. *1.* ann. IX. & X. de vomitu cruento (quam Excellentiſſimus ac Celeberrimus Dn. Wedelius Fautor meus Colendiſſimus communicaverat) per legerem, ubi in matronæ 38. annorum exenteratione vas breve calamum ſcriptorium majorem æquans, inque ventriculum deſinens, aliquotq; ibi ramos diſſeminans uno horum ſtylum in ventriculum admittente, reliquis in exteriorem ejus tunicam inſertis conſpectum fuit, ſimilem hæc in mentem mihi revocavit quam hic breviter recenſere eſt animus. Mihi enim (dum Halæ ſtudio medico invigilarem) ſingularem ejusmodi caſum licuit obſervare; & quidem hâc occaſione: *P*uella quædam undecim circiter annorum ſanguinem craſſum coagulatũ per ſuperiora pariter ac inferiora copioſe rejiciebat, magna denique tormina ac cruciatus inteſtinorum ſentiebat, doloremque fixum in ſiniſtro hypochondrio quam maxime accuſabat, appetitus omnino proſtatus, ſumma virium dejectio, pulſus rarꝰ. &c. corpusculum angebant. Mater tenuioris conditionis, practicum ibidem Dum Doctorem Stange Amicum noſtrum ſuaviſſimum, conſilii cauſa adiit, hic variis alias laudatiſſimis remediis fruſtrà exhibitis morbum expugnare non valuit, nam febris putrida ſimul aderat quæ etiam vitæ filum puellæ tandem abripuit. Ille pariter ac ego & Dn. Hillerus (practicus nunc Sanctogallenſis olim contubernalis meus exoptatiſſimus) magno ardore ſciendi cauſam tam multorum exitialium ſymptomatum flagravimus, hinc à matre defunctæ *S*ectionem facile impetravimus. Sequentia igitur notatu digna occurrebant: cutis omnino macra ac pallida ſub qꝫ eâ pinguedo fere nulla reperiebatur, aperto abdomine flatus mali odoris erupit, inteſtina erant corrugata, ac fere plumbei coloris, lien ſolito major, dimidiâ ipſius parte ſanguine craſſo turgido, ac plumbeo, cumque ibi mali fomitem ſuſpicaremur

mur paulo intimius ipſum contemplavimus, obſervavimus quòd vas breve ſanguine craſſo partim turgeret diverſiſque (uti fieri ſolet) ramis in ventriculi tunicam deſineret uno illorum majori ſanguinem in ventriculi cavum admittente, quod manifeſte ex levi ſaltem ſupra dicti vaſis brevis compreſſione obſervare licuit, aperto denique ventriculo, oſculum hians quod facile ſtilum ac flatum admittebat, fuit deprehenſum, manifeſtam vomitus cruenti cauſam nobis exhibens, ipſeque ventriculus adhuc quantitatem extravaſati craſſi polypoſique ſanguinis continuit.

Dubium tamen ſi quis moveat, dicendo, hoc contra manifeſtum ſanguinis motum accidiſſe, quod quidem negare nolumus venulæ enim numero ternæ vel quaternæ in ramum ſplenicum è ventriculi fundo tendentes, quæ vaſa dicta brevia audiunt, ſanguinem tantummodo revehunt à *Stomachi* fundo in lienis venam indeque in portam; omne autem dubium ceſſabit ſubito, ſi quis conſideret primò venas ventriculi nullis gaudere valvulis ſusque deque tam verſus ſuperiora, quam inferiora ex iisdem exprimi poſſe, uti illud autopſia pariter confirmat Excell. Dn. *Stalpartus in obſervat. part. 2. p. 190.*

Secundo. Medicorum quis non obſervat læſa œconomia animali ſanguinem alium plane acquirere fluxum? uti illud in quotidianis hæmorrhagiis ſat ſuperque conſtat; cum enim ſerum ac ſanguis in hac puella admodum fuerit viſcidum ac acre, hinc facile irritatæ venarum ac nervulorum &c. fibræ ſpasmodice ſe conſtrinxere, ſanguinique tranſitum denegavere, qualis conſtrictio accedente ſanguine craſſo viſcido quammaximè fuit aucta, hinc ſanguis exitum quærens qua data via erupit, ac regurgitavit: præſertim ſi maxima pars viſceris quod tranſire debet ſit ſanguine grumoſo repleta, uti in puella hac lien apparuit; Hæc de ſanguinis in Ventriculum defluxione ſufficiant; Cætera tamen quæ ſimul in ejusdem ſectione occurrebant paucis tradere eſt animus. Cor igitur cum diſſecaremus illud flaccidum, pauco ſanguine craſſo repletum reperimus, uti quoque venam cavam ac arteriam magnam, quæ tamen poſterior paulo majorem ſanguinis congrumati continuit quantitatem, pulmones nigricantes erant & corrugati, hepar ſanguine craſſo infarctum, colore livido, inteſtina partim in-

flam-

flammata ac corrupta, bilis in veſicula fellis lutei erat coloris, renes ad tactum duri, hinc illis diſſectis maximum calculum in rene ni fallor ſiniſtro offendimus, qui totam pelvim *figura ac craſſitie* replebat, alter parvos quosdam in gremio aluit lapillos, cuſpitibus inſtar ſpinarum acutis, armatos, colore autem luteo. Mater autem ſancte affirmabat, ſe nunquam obſervaſſe filiam dolore nephritico vel ſtranguriâ urinæ laboraſſe, quod tamen vix crediderim; accedit fortean quoniam lapillorum cuspides muco quodam fuere obliniti aut fortean ab imbecillitate ac laxitate nervorum qui non facile arcte conſtringi potuerunt, aut potius, quod mater filiæ dolores non multum obſervaverit; uti inter homines infimæ ſortis ſæpius accidit; uterus tamen ac ovaria ſat magna ætatem ſi ſpectes, dreprehendebantur; præter hæcce non multum obſervavimus, mater enim ac cæteræ fæminæ finem ſectionis accelerabant.

OBSERVATIO CCLVIII.

*D*N. *D*. JOH. *D*ANIELIS *D*OLÆI.

*D*e corpore glandiformi ingenti in abdomine mortis cauſa.

MUlier quædam mediæ ætatis, hic Caſſellis jam diu abdomen ſenſim atque ſenſim intumeſcere ſenſit, dirisque ejus tenſionibus moleſtoque pondere coripriebatur; plures hydropem autumabant, ipſa autem ſe vivos in abdomine alere catellos credidit, hinc nil magis optabat quam abdominis ejusdem poſt mortem apertionem, quæ etiam tandem, cum vitam exſpirâſſet, celebrabatur, quo aperto prout apud Tulpium legere eſt, ſtatim moles quædam adipoſa ac glandulоſa conſpiciebatur, cumque diligentius in illius ſubſtantiam ac connexionem inquireretur, repertum fuit, molem hanc ex meſenterio duxiſſe originem, variisque locis inteſtini tenuibus fuiſſe affixam, immò inteſtina ipſa illius ſubſtantiam permeabant; quæ ipſa fuit albicans, adipoſo-glandulоſa, intus veſiculas humore limpido ac flavo, partim turgidos teterrimique odoris continuit, venulæ ac arteriæ forſan ob exiguitatem in illa non conſpiciebantur, pondusque ipſius ad viginti aliquot libras ac-

cedebat; cæterum aliæ adhuc glandulæ reperiebantur lapideâ duritie, ſupra renes, prædiræ.

(*Caſſellis Auguſtam Vind. d. 13. Oct. A. 1698. miſſæ.*)

OBSERVATIO CCLIX.

DN. D. SALOMONIS REISELII.

De Limace in Ovo.

MAjo 1698. Nobiliſſima quædam Matrona prope *Stutgardium* cum ovum anatinum frangeret, uſui culinario adhibendum, invenit vitellum inter & albumen limacem parvũ, Quæ ſimul dixit ſe audiviſſe, quod inveniantur quandoq; ſcarabæi majores in gallinarum ovis, ſi illis paſtæ fuerint, ùtpote quos valde ament & avidiſſimè deglutiant. Quomodo ad ovarium integri pervenerint, teſtaque deinde concludi potuerint ſcrutinio dignum fuerit.

OBSERVATIO CCLX.

DN. D. SALOMONIS REISELII.

De Calculis veſicæ caninæ innumeris.

CAlculos in hominis & brutorum partibus fere omnibus, inprimis in veſica urinaria frequentiſſimè occurrere, ſatis notum eſt. Aſt in tanta copia inventorum hiſtoria rara eſt. Cum enim â Sereniſſ. noſtro Duce quidam Nobilis Sylvarum Præfectus, ablegaretur, canes venaticos Cellis emere, redux Aprili 1698. portavit ſecum lapillos quosdam albos, politos, duros, quatuor vel quinque laterum inſtar oſſeorum latrunculorum, prout in veſica plena ſibi invicem adjacentes & compreſſi talem figuram acquiſiverunt, magnitudine plerunque piſorum, quorum aliquot mille in veſica diſtenta, inventi ſunt in cane Danico, qui diu ſtillicidio urinæ laborabat. Subſtantiæ ſunt ferè talis, qualis oculi cancri, ſed ex laminis ſibi impoſitis concreti. Contunduntur facile in pulverem corruſcantem quodammodo, qui ſub dentibus contritus, crepat. In acerbo vix vel tandem ſolvuntur, in ſpiritu meo nitri faciliime.

OBSER-

OBSERVATIO CCLXI.

DN. D. SALOMONIS REISELII.

De noxa Lithargyrii Biſmuthi in vino.

POſtquam in Ephemeridum Germanicarum Dec. III. Anno IV. legiſſem, Medicos quosdam celebres partim in genere de Vini lithargyro & bismutho ſeu marcaſita mangoniſati malitia, partim de illius abuſu & lethalitate in Ducatu Wurtembergico perpetrata, ſententias ſuas publicaſſe, idque Sereniſſimo noſtro Duci Domino Eberhardo Ludovico oſtendiſſem, placuit ut publicè quoque hic producerem, quid circa hoc mangonium ſit factum, & argumenta Epiſtolæ, quam juſſu Principis Wurtembergenſes Archiatri, Excell. Joh. Caſp. Härlin & Matthias Scherpf mecum ad Medicos Ducatus hujus & vicinos Principum & Rerumpubl. Germanicè exararunt quidem, ſed ſilentio adhuc preſſam nondum publicarunt, quia fama lithargyriſati Vini Neccarini ceſſavit, cum ſeveriſſimè prohibitus eſſet illius abuſus ſeu veriùs facinus: & ad Ephemerides quoque latino ſermone translata traderem. Etenim nominatim Magnificus D. Joh. Cunr. Brunnerus Archiater Electoralis Palatinus, obſerv. 92. *cauſam Epidemicæ Colicæ cum aliis ſymptomatibus gravibus etiam lethalibus ſtipatæ, rejicit cum prudentioribus aliis in vina lithargyro & bismutho infucata, reique certitudinem experimento in cane didicit.* Ampliſſimus D. Joh. Jac. Franciſcus Vicarius Prof. Conſtantienſis refert, quod *audiverit in Suevia & Wurtenbergia à muliercula & cauponibus cereviſiam & vina lithargyro & bolo edulcorata fuiſſe ſequentibus plurimis accidentibus*: adſcribitque hæc mala *Vitriolo ſeu ſaccharo Saturni vel plumbi, ex quo lithargyrium conficitur frigido ſcilicet, obſtruenti & acido, præſertim ubi Vino exaltatum fuerit.* Excell. D. Eberhardus Gockelius Archiater Wurtenbergicus & Phyſicus Ulmenſis obſerv. 30. refert, quod *in Ducatu Wurtenbergico vina acida, auſtera & aſpera ultimorum annorum corrigi tentatum ſit, à venditoribus & aurigis ſolutione lithargyrii, cui & bismuthum aliquando additum fuerit. Periculoſam adeo & venenoſam illi vim adſcribit cum Veteribus & Modernis, ipſaque experientia moleſtiſſima.* Qualia repetiit Anno 1697. in Tractatulo Germanico Curioſer Beſchreibung des A. 1694. 95.

und 96. durch des Silberglätt verſüſten ſauren Weins und der davon entſtandnen neuen und vormals unerhörten Wein-Kranckheit. Cum quo conſentit Nobiliſſ. D. Melchior Friebe Medicus Ulmenſis im Mediciniſchen bericht von der Colica Scorbutica und daraus entſtehender Pareſi oder Lähmung/ edita A. 1696. Nec non illum laudat Celeberrimus D. Rud. Jac. Camerarius Prof. Tubingenſis in Diſp. de Colica Paretico-Epileptica A. 1698. habita, & aſſentitur, dum *Colicæ vinoſo plumbeæ principium accuſat, dulcedinem Saturni â lithargyrio in exemplis odioſis & paſſim notis.*

Subjungemus ergo veram facinoris hujus relationem. Cum ex vicina Imperiali civitate Ulma, aliisque ad Danubium ſitis locis compertum fuerit, plures homines vel ægrotaſſe graviter, vel abiiſſe miſerè ex vino Neccarino per lithargyrii ſolutionem dulcificato & corrupto, quam maximè verò, quod quidam auriga Göppingenſis advexit & vendidit, vinumque adeo illud nobile & verè Nectareum angue pejus damnatum & vitatum eſſet, magno Reipubl. damno: Sereniſſimus Dux 10. Martii 1696. poſt informationem accuratam & ſufficientem, docuit vicinos Status Imperii, quod quidam in Ducatu ſuo unicus homo, nimirum auriga Goppingæ Acidulis nobilitatæ habitans, cujus nomen, ut Heroſtrati illius incendiarii malumus delere quam proferre, quemque vindicta divina juſtæ pœnæ præripuit, tali mangonio uſus fuerit, in viciniâ verò aliæ quoque tincturæ ab aurigis & œnopolis uſitatæ fuerint: ideò ſub pœna capitali ejusmodi mangonium vel parare vel ex officinis promiſcuè cuique materiam illam malignam, ut venena alia vendere, nec non tæniis ſulphuratis aniſo, aliisque aromatibus atque marcaſitæ illa peſſima adſperſis, uti, prohibuerit: petiitque adeò ut notaretur, ſiquis ex Wurtembergicis tale facinus perpetraverit, ulciſcendum & puniendum. Idque fecit ad exemplum & imitationem Receſſuum Imperii Rotenburgi ad Tuberam A. 1487. & Friburgi A. 1498. promulgatorum, qui repetiti ſunt Auguſtæ A. 1500. in der Policey-Ordnung Francofurti A. 1548. & ibidem A. 1577. quibus publicandis Imperatores perſuaſi fuerunt â Medicis, quod inſuperabiles & lethales morbi præſertim in mulieribus ſterilitas & abortus exinde conſecuti fuerint. Quos Receſſus ſi cui libuerit integros, eosque ab erroribus typographicis cor-

correctos una cum Conradi Celtis primi inter laureatos Germanos Poetas gravi invectiva in vini corruptores adſpicere, legat Juris Conſultiſſimi Joh. Philippi Datt Conſiliarii Wurtembergici folium 632. usque 639. in Voluminis Rerum Germanicarum novi ſive de Pace publica lib. III. cap. XIV.

Quod verò Sereniſſimus noſter & Impp. ipſi ſufficientes rariones habuerint, prohibendi vina lithargyro & bismutho tincta, patebit ex ingredientium horum origine & qualitatibus. Lithargyrium, Silberglett/ Dioſcoridi & Aëtio λιθάργυρος, Ruellio & Cornario ſpuma argenti vocatur, dividitur in aureum & argenteum Silber und Goldglette ob colorem diverſum qui vel in *auri vel argenti purificatione colligitur* Hoffmanno in Clave Schröderi, quaquam Schröderus ſcribat, quod *nonniſi coctione differant*, cum & Agricola & Spleiſſius ſentiat, quod *à coctione longiori potius, quam auri mixtura color aureus oriatur.* Naturale non eſt, ſed factitiũ, & paratur dum ad purificandũ aurũ vel argentum, additur pulmbum, ut inter liquationem varia mineralia, quæcumque illa ſint, attrahat & ſibi coagulando uniat. Unde ſecundum Fallopium *facilè iterum in plumbum converti poteſt* : hinc Schröderus appellat *excrementum è purificatione argenti, quæ per plumbum fit, reſiduum.* Et quamvis Hoffmannus in Clave Schröder. ſtatuat, quod *immatura metallorum ſulphura in Saturno coagulata lithargyrium conſtituant, argenteum ex argenti fuſi ſcoriis, aureum ex auri ſcoriis mixtum* : deinde D. Davidi Spleiſſio in Notis ad Joh. Baptiſtæ Zapatæ Mirabil. Med. pag. 301. *conſtet ex mero ſale Saturni alcalino, addita non intimius ſulphurea pinguedine, vi ignis in maſſam efformatis*, attamen ut Tachenius in Hippocr. Chym. c. 26. obſervat, cum *plumbum omnis generis acida & acria abſorbeat, & metallum ab omni macula purum relinquat* : Quid de illius virtutibus ſit ſperandum, vel definiendum, in certum eſt, quia latet nos, quæ mineralia adfuerunt, mercurialia ne, an arſenicalia, corroſiva alia, benigna illa vel maligna.

Quodſi plumbum, lithargyrii matrem conſideremus, nec non quæ ex plumbo conficiuntur, puta ceruſſam, minium, ſaccharum Saturni & plumbum uſtum : illud Schrödero conſtat *ex ſulphure indigeſto, ſale aluminoſo ac arſenicò, naturam mercurialem æmulante.* D. Michaeli nihil eſt aliud quam *mercurius terræus, remiſtus mineralibus acribus præſertim nitro, & coagulatus.* D.

Bechero *continet multum mercurii impuri, & parum ſulphuris fœtidi, unde frigiditatem illius deducit.* D. Emanuel König illius *ſpiritum alsalico dulcem ex ſulphure & nitro* derivat. Inde Fernelio plumbum malè audit cap. 7. de lue venerea, qui recenſet, quantum malorum *ex pulveriſati ſesquilibra ortum ſit, nimirum dyſenteria, ventris, lumborum & ventriculi cruciatus, alvus adſtricta excreta plumbea, icterus.* Timæus à Güldenklee Caſ. Medic. l. 7. c. 10. *plumbi uſti pollinem inter incruſtandum fictilia â figulis reſpiratione attractum, attuliſſe præcordiorum anguſtiam, reſpirandi difficultatem, tormina, articulorum debilitatem & tumorem* refert: quod ipſi facile ex aliorum figulorum pareticorum exemplis credimus, quando & D. Cummenius Eph. N. Cur. Dec. I. Ann. III. Obſ. 131. *ſtannarium â vapore plumbi talia ſymptomata paſſum eſſe* edoceat, *in fundendo plumbum & ſtannum cum maracſita miſcendo:* ſimul notari debeat, quod figuli non ſolo plumbo, ſed & aliis mineralibus ad incruſtationem ſeu vitrificationem ſuorum fictilium utantur. Quæ verò ſymptomata ex fumo plumbi & lithargyrii oriantur metallurgis, affert Stockhuſius in ſingulari libro. Immo aquam ſuper minera plumbi effluentem non ſolum noxiam eſſe interiùs ſumtam, Tabernæmontanus im Waſſerſchatz c. 53. & Melch. Sebizius de Alim. Facult. l. 4. c. 1. affirmant: ſed & Galenus, Plinius & alii per tubulos plumbeos decurrentem rejiciunt, de quibus Sennertus Pract. l. 3. part. 2. ſect. 2. c. 7.

Zac. Luſit. l. 1. hiſt. Med. princ. dub. 3. Joh. Bauhinus hiſt. font. Bollenſ. lib. 2. c. 1. Langius part. 1. Epiſt. 44. & Conr. Barthold Beerens in Tract. de Conſtitutione Rei Medicæ lib. 1. lil. 5. §. 8. legatur.

Quid de Ceruſſa, minio, ſaccharo ſeu Vitriolo Saturni, plumbi progenie, ſit ſentiendum vel ſperandum? conſulatur idem Sennertus, qui ex Veteribus ſua contraxit. Quos ſi audiamus de lithargyrio differentes, arrigere aures debemus. Dioſcorides ſiquidem l. 6. c. 27. Aëtius tetrab. 4. ſerm. 1. & Avicenna lib. 4. Fen. 6. tract. 1. unanimiter queruntur, quod *intra corpus ſumtum afferat gravitatem ſtomachi, ventriculi & inteſtinorum cum magnis doloribus, nonnunquam inteſtina vulneret, urinamque ſupprimat, corpus inde intumeſcat, plumbeamque deformitatem concipiat, inſuper compagines articulorum incendantur & ardeant, inteſtina exulcerentur, unde ventris fluxus ſuperveniat, & aliquando*

egre-

egrediatur & promineat inteſtinum: non nunquam alvus ſupprimatur: in ſuperioribus inflatio appareat, flatusque ſeſe revolventes per medium ventrem & juxta umbilicum murmurent, mirisque cruciatibus hominem affligant: ſæpe etiam ileos ſuboriatur, lingua gravetur, ſermo impediatur, ſquama in ore adſit, & conſtrictio anhelitus, reſpiratio intercipiatur, fœdus ex ore halitus reddatur, lingua inflammetur, corpus totum livido colore tingatur, facultas motrix artuum impediatur, tandemque invaleſcente malo ſuffocatio ſequatur. Quæ Symptomata cùm planè eadem ſint, qualia ex relatione D. Gockelii Ulmenſis & vicini, vel qualia Paſtor Hohenſtauffenſis M. Joh. Ferdinandus Enslin, qui vinum lithargyriatum aurigæ Göppingenſis biberunt, paſſi ſunt, non niſi ex lithargyrii noxa proveniſſe concludendum eſt. Quod tanto ſecurius credendum, ſi D Matthæum Scherpfium olim Archiatrum Marchio-Badenſem, nunc Wurtembergenſem auſcultemus, qui refert, quod A. 1679. in Collegio ſoc. Jeſ. Eslingenſi, Frater quidam Vietoris munere fungens, vinum acidum lithargyrio feliciter edulcoraverit, ut cum appetitu bibi potuerit, ſed infelici eventu, quia & Pater Rector & procurator & plurimi Collegæ iisdem accidentibus ſint inveſtati, quæ vel D. Gockelius vel Veteres retulerunt, ipſe autem Frater cum aliquot aliis mortem obierit, alii diu miſerè vixerint vel paretici manſerint.

Has ergo ob rationes, hancque ob noxam non immeritò Veteres lithargyrium inter venena numerarunt, latiori ſcilicet ſenſu, quemadmodum & calcem, gypſum, vitriolum & alia, ipſaque etiam purgantia nimia doſi propinata: quæ verò D. Spleiſſius in Notis citatis pag. 130. eleganter & *mechanicè* diſtinguit, dum *venena viperæ dentibus acutioribus & quaſi falcatis, purgantia ſerpentis torpidioribus minoribus & minus acutis* comparat. Sed cum hodie Venena accuratius perquirantur & definiantur, ut ut juxta Paulum Ammannum argutum hominem pag. 208. Irenici ſui, *venenorum natura Medicis nondum ſit plenariè cognita*, quæ Fernelio ſunt *miſtum non naturale, cordi inimicum, & humanæ naturæ corruptivum:* ſecundùm Sennertum, Wedelium, Benj. Scharffium, Levinum Fiſcher in corpore Med. Imperial. hominis, (qui hic ſolùm conſideratur, cum brutis & hominibus non æquè omnia ſunt noxia) *partes principales, ſpiritus & ſanguinem cum vitæ periculo & maxima vehementia atque deſtructione lædunt tam*

mani-

manifeſtis & ſenſibilibus quam occultis qualitatibus. Poſt quos, aliosque multos excuſſos Wepferus ille noſter ſagaciſſimus Hiſt. cicutæ aquat. cap. 8. p. 107. ita concludit. *Certè ſi rem æquo animo æſtimabimus, non obſcurè deprehendemus in illis potiores vires eſſe â qualitatibus tangibilibus, quæ quidem non calefaciendo aut frigefaciendo agunt, ſed rodendo, vellicando, pungendo, aliterve affligendo, ob connubium particularum ſalinarum & ſulphurearum ut p. 79. addit membranas nervoſas, ad æquatum tactus inſtrumentum, nec magis occultè virulentiam ſuam exſerere reputandum eſt, quam inſtrumentum ferreum acutum, nervum pungendo, convulſionum ſubſequentium author.* Cui aſſurgit Clariſſimus D. Joh. Dolæus Archiater Haſſo-Caſſellanus Encyclopæd. Med. lib. 4. c. 5. §. 8. quatenus *conſiſtere* ſcribit *in glutine quodam volatili & ſale acri coagulatorio & contagioſo, vel in particulis acutis ſcindentibus & cumprimis necroſin partibus inducentibus & Reges noſtros planè è ſolio ſuo deturbantibus.* Strictiori itaq; ſenſu pro Veneno quoq; accipiemus Lithargyrium. Et quamvis objici poſſet, quod fortaſſis â pluribus abhinc annis non tantum in Ducatu hoc, ſed & in vicinia & alibi Lithargyrio vina fuerint fucata, ſine notabili periculo aut damno, reſponderi poterit, quod tam accuratè non ſit obſervatum, an ex lithargyrii uſu ſint facti paretici & colici, quorum tamen plurimi ſint obſervati. Multum enim refert an lithargyrium in ſubſtantia & pulveriſatum, an crudum vel extracti forma cum aceto facti, an vinis auſteris, acidis, novis recentibusve miſtum, an ſolum aliisve mineralibus ſuccisve combinatum, qua doſi & quantitate ſumtum epotumque ſit. Tantoque damnoſiora cenſet D. Fricke in tractatu ſupra laudato *vina acida & auſtera lithargyrio dulcificata, qualia ſunt Moravica, Auſtriaca, Francica ſuopte ingenio inſana & nervis inimica.* Unde inferri poterit an noxium, innoxiumve fuerit, quandoquidem & venena vehementiſſima, ut Antimonium, arſenicum, auripigmentum, mercurius, marcaſita, vitriolum album, in minori juſtaq; doſi artificioſe præparata & correcta, temperatioribus utiliter aliquando data ſint: ut Em. König Regn' minor. p. 82. *judicio magni Wepferi cautè Arſenicalibus* (quod de aliis quoque dicendum) *mercandum, ſi non omninò iis valædicendum, dum ſæpiſſimè peſſima induxere ſymptomata & graves tumultus excitavere.* Laudet igitur & in cœlum extollat Romanus Medicus Zapata *Aquam ſuam Æſculapii in cucurbita*

bita

bita cuprea & alembico plumbeo ex aceto deſtillatam, concedit tamen virtutes ipſius ſupra & infra movere. Quod ſi dicamus aurigam Göppingenſem vina ſua tincta ſine noxa aliqua ſingulari vendidiſſe; filium verò cum multo damno, id opponendum: patrem moderatius & extracto potius, nempe unciis tribus totum Würtembergenſe dolium (Eymer) continentem Menſuras 160. tinxiſſe, cum filius & vidua pulverem ipſum, fortaſſis & aliis rebus conjunctum indiderit, cujus reliquias nigras D. Gockelius & Paſtor Hohenſtauffenſis in dolio invenit. His præſuppoſitis & demonſtratis lithargyrum vel crudum vel extractum, paucum vel multum, ſolũ vel commiſſum aliis malignis rebus ad vina educoranda noxium atque pernicioſum vitandum, prohibendum, damnandum eſt, ut & abuſus tollatur, & vinum Neccarinum purum bibatur: quod, ſi hedera opus eſſet, â Johanne Neudecker in Geocomio proclamatur egregiè.

Sin verò ſcire quis deſideret, an ſit purum vel lithargyrii fuco adulteratum & corruptum, Oleo Vitrioli rectificato infuſo experietur, quando enim lacteſcit & turbatur, & præcipitat pulverem, lithargyrium id eſſe inveniet. Quandoquidem verò ad depuranda & conſervanda vina non tantum tæniæ ex Sulphure communi, ſed & aromatibus & ipſo biſmutho ſeu marcaſita tectæ & ornatæ adhibentur, Sulphuris deinde certa Doſis in ſupra laudato Receſſu Imp. præſcribitur, bismuthum autem ſeriò in Ducali Decreto prohibetur, de utraque quid ſentiendum ſit, dicamus aliquid: Sulphur commune nativum eſt *reſina ſeu pinguedo terræ chalcantoſa aciditate gravida, ex particulis acidis & alcalinis ſalinis, pinguibus, ignem concipientibus, vitriolicis conſtans, eſtque balſamum terreſtre, ignis coagulatus & palpabilis, quod putredini, venenis, ipſique peſti reſiſtit*, ut Schröderus in Pharmacop. Em. König Regn. Min. Kircherus in Scrutinio Peſtis, Rolfinck. Diſſ. Chym. de Sulphure, & Paracelſus de longa vita, laudat. Kircherus autem Sect. 3. pag. 360. experimento confirmat, quando *aquam jam corruptam penitusque fæcum commiſtione vitiatam fumo ſulphuris immiſſo intra paucas horas ita fermentat, ut omni terreſtrium impuritate partium fundo concredita, aquam mox limpidam ac claram ab omni terrena illuvie depurgatam relinquatur. Quin imò vel ipſa vaſa vinaria ſulphuris ſuffumigio medicata, vinum ab omni corruptione immune*

præſervare notius eſſe ſcribit, *quam ut dici debeat.* Paria ſentit Joh. Rud. Camerarius Memor. Med. Cent. IIX. §. 23. *Telarum ſulphuratarum*, inquiens, Einſchlag zu den Weinen / *ſcopus eſt præcipuus duplex: tum ad vaſa, tùm ad vinum, potiſſimum tamen propter vinum â Germanis hæc miſtura excogitari ſolet, ſcilicet ut vinum novas quaſi vires acquirat, majoremque calorem aut Spiritus acriores.* Quæ conſervatio aut correctio fortè ita fit & explicari poteſt, dum Sulphuris incenſi pinguedo vino incumbit veluti oleum olivarum aut amygdalinum ſuccis expresſis ſuperfuſum: Aër arcetur, qui ut omnia alia penetrat, turbat, movet, fermentat & putrefacit, ſic & vinum.

Quæ verò ratio Imperatorem permoverit in Receſſu certam doſin ſulphuris puri, nimirum dimidiam ad dolium certum einem fůdrigen Faß / & quidem unica ſaltim vice concedere, conſiderari meretur. A vinis enim nimium ſulphuratis caput dolere notisſimum eſt: unde & Tabernæmontanus in Theſaur. aqu. cap. 47. obſervat in *Acidulis Spahenſibus cerebrum & caput lædi ob abominabilem & fortiſſimum odorem ſulphuris & bituminis*: & Malach. Geiger in Microcoſm. hypoch. c. 13. §. 12. diſſuadet graviter. Sine dubio Imp. Maximilianus I. ab Archiatris permotus hanc ſtatuit menſuram, quando poſtea & Joh. Crato de Krafftheim celeberrimus trium Imperatorum, Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolphi II. Medicus, planè *Sulphuris uſum internum, præſertim ad vinum rejicit, Arſenico ipſi æquiparans*, quem verò Guern. Rolfinckius in Diſſert. ſingulari de Sulphure cap. 10. eleganter refutat, probatque, quod *vina ſulphurata non ſint noxia, ſed à ſulphuratis tæniis vires ſerventur, & noxa removeatur.*

Ut autem ad præceptum Cæſareum certa menſura Sulphuris in hoc etiam Ducatu teneatur, oportet menſurationem Brisgauenſem (die Eich) quia Friburgi Brisgauenſe oppido Receſſus fuit publicatus, cum Würtembergenſe comparare. Brisgauenſe dolium, ein Fuder von 8. Ohm / continet Menſuras Würtenbergenſes, Maſſe / Unciarum 64. 544. ubi Würtembergenſe ein Fuder von ſechs Aimern / 960. menſuras complectitur. Cum itaque Brisgauenſe dolium Sulphuris unciam dimidiam requirat, Würtembergenſe poſcit unciam

ſemis

ſemis cum tribus Drachmis & $\frac{1}{17}$ ein Eymer à 160. menſuris, drachmam unam cum $\frac{1}{17}$ Sulphuris.

Poſito jam Sulphuris communis fumum, ſi nimium & vicibus pluribus ſit accenſus, eſſe noxium, quanto magis marcaſita fugienda, cujus fumus venenatus & malignus per Sulphur accenſum & liquatum evehitur & vino immiſcetur, quia *Species Antimonii* ab Em. König Regn. Min. Sect. I. c. 11. una cum *Plinio* æſtimatur, cujus *Drachma vino infuſa hydropicos fortiſſimè evacuat inſtar Antimonii* ſecundùm Schröderum, apud quem & *reſpondet recrementis Saturni*, quemadmodum Baſilius Valent. geheimer Bücher / Part. II. cap. 10. *multum Arſenici albi inter liquandum ex eo ſurgere* affirmat. Hinc idem Camerarius loco cit. ita pergit: *Telam autem ſulphuratam, quæ Bismuthum capit, non laudo, ejus enim uſum potius noxium puto, quam ſalubrem. Minerale etenim hoc (in quo ferunt eſſe caput Chryſopœiæ) ſi quis in primam materiam poſſet deducere, fumis peſtilentialibus arſenicalibus eſt plenum, quanquam ſine reſolutione ignis vim purgandi habeat, ut Regulus Stibii. Telæ verò Sulphure perlitæ vi ſulphuris reſolvuntur, fumosque iſtos arſenicales habent. Fors inventor ejus putavit facere ad defæcandum vinum, ſicut videmus fieri muſto in ſtanneis vaſis ſervato, vel etiam ſtanno eodem liquato, & in dolia conjecto, neſcio enim quam vim defæcatoriam habeat ſtannum, quam tamen Hornungus Ciſtæ Med. ep. 56. prætendit.* Ita & Doldius Ciſtæ Hornung. ep. 251. *telas iſtas ſulphuratas bismutho adſperſas damnat*, quamvis *in Franconia*, teſte D. Laur. Bauſchio in literis ad D. Sachſium Amplogr. p. 164. *iis multi frequentiſſimè utantur vel abutantur.* Credi adeoque facile poteſt, quod Ampliſſimus D. Joh. Jac. Wepferus Ephem. Nat. Cur. Anni II. Obſ. 39. obſervavit, quod *aliqui Monachi Dominicani potu vini Alſatici Colica affecti ſupervenientibus convulſionibus enecti fuerint: vel ob vinum nimium Sulphure imbutum, ut putabant, vel ob ſulphuratam tæniam, quam dulcem vocant, & ſem. aniſi, Coriandri, cinam. bismutho, aliis conſpergitur, præſtitum ſuſpicabatur, quoniam & Bismuthum Th. Jordanus in Phænom. Peſtis jam olim damnavit, hujusque morbi pararium, ni fallitur, in* Moraviæ *exiſtimavit.* Addit inſuper, *monaſterium vicinum eſſe, ubi Patres vinum album auſterum bibant, vix ullus inter eos eſt, qui hanc peſtem effugiat.* Ob has igitur deductas noxias & venenatas qualitates tæniæ hæ ſulphuratæ dulces

biſmutho adſperſæ, tanquam ipſum antimonium vitari juſſit meritò Sereniſſimus noſter.

Tandem non omittendum, quod Imperator in ſupra laudato Receſſu præter omnem vinorum falſationem vitandam etiam quæſiverit conſervationem & meliorationem, ordinaria & aſsidua impletione muſti, ut perfectam & plenariam fermentationem nanciſcantur, die Möſte mit ſteter ordentlicher Füll gehalten/ damit ſie vollkommentlich und gäntzlich ihre Verjährung haben mögen / cum diverſo modo ſerventur, ad Rhenum quidem dolia tota impleantur, ita ut muſtum torculari expreſſum fermentans extra dolium ejiciat ſuperfluas fæces: Hîc verò ad Neccarum ſub dio in apertis cadis (Butten) una cum racemis conquasſatis ſtat, donec incipiat incaleſcere, fermentari & verberari, biß er ſich geworffen / dein torculari expreſſum in dolio non pleno fermentet in ſe ipſo, & fæces deponat ad fundum. Fermentationem adeoque neceſſariam eſſe, qua purum ab impuro, merum â fæcibus ſeparetur, patet: quæ aliquando *juvatur & acceleratur viſcoſis quibusdam, ut ichthyocolla, albumine ovi, vel præcipitantibus & gravibus rebus, ut teſta ovorum, alabaſtro, calcinato ſilice, vel aſſerculis fagi, betulæ, corylive, quibus adhærent particulæ terreſtres, fæculentæ & tartareæ,* ut Sachſius in Ampelographia ratiocinatur. Quo referendus eſt modus parandi *vinum quaſi coctum*, geſeuerter Wein / quem deſcribit Joh. David Portzius in Vini Rhenani in ſpecie Baccharacenſis Anat. Chymica p. 27.

Quæ verò fermentatio optima ſit, aperta vel clauſa, in dolio vel extra dolium, relinquo œnopolis & Medicis inquirendum & judicandum. Sanè laudatus Wepferus dicto loco apertam præfert, quando inquit: *Ubi vina alba bibuntur, quæ ut conſerventur, imbuenda ſunt Sulphure, nec aperto vaſe, ut rubella, deferveſcunt, ſed in doliis oſculo vix palmæ amplitudine patulo, unde Sulphur vini narcoticum exhalare nequit, ac cum vino permixtum permanet, colica hæc frequentisſima eſt, ſcilicet in Alſatia, ad Lacum Acronium, in Ducatu Würtenbergico, ut alia loca magis â nobis disſita taceam: frequentiores obſervantur podagrici & nephritici, plures quoque utriusque ſexus maximè ſequioris tenuioris convulſionibus exagitatos vidi.* Confirmat hanc Sachſius l. c. p. 157. apertam, dum ſcribit: *Fit adhuc in aliquibus Galliæ tractibus, nec non in*

in Germania inferiori, ubi præ foribus oenopolarum ex tabulis vinariis Cellis ædificatis olim ſolitum erat ad D. Martini usque feſtum muſta Rhenana collocari ſub dio, eum in finem, ut ea citius ſubſiderent, molleſcerent, lunarique de nocte tepore diſſoluta & calore ſolis diurno, & ventis perflata quodammodo excoquerentur. Eadem conſuetudo in Gallia apud Aurelios & Avernos, Bruyerino notante 17. 10. Et videtur Receſſus Imp. hoc velle per prohibitam ſuppresſionem Bedämpffung/ quam & Porzius loc. c. taxat inquiens. *Aliud ſuffocatum, vel ut barbarè cognominem, mutum* (ſtummer Wein) *homines ſe eo largiter ingurgitantes mutos ad tēpus & ſomnolentos quia reddit, hinc denominatum ſit. Fit autem hoc, ſi muſtum dolio incluſum ſervatur & obturatur, ut liberè efferveſcere non posſit, ſub terram nonnulli ſepeliunt, ne aere liberiori ſolvantur ſalia ac efferveſcat muſtū juxta axioma ſupra dictum, quod non agant ſalia niſi ſoluta ac libera facta. Vinum illud dulcius & magis alcalicum remanet, aſt cerebrum multum lacerat ac divexat, eo quod ſalia in ventriculo ſoluta efferveſcant, ac halitus cerebrum lancinantes emittant.*

Cùm autem Plinio teſte lib. 14. c. 19. & 20. *Veteres etiam vina condiebant Gypſo, calce, argilla, marmore, ſale, reſina; & in Hiſpania adhuc calce & gypſo*, Vega referente, quod verò Bruyer. 17. 11. improbat, quia *vehementer exſiccant, ventrem turbant, ſcabiem excitant:* Quæritur an tutum ſit & licitum? Quippe ſi ex Sennerto morbos & ſymptomata inde orta, & a Veteribus edocti adſpiciamus, facile concludemus, quid nobis ſit faciendum: præſertim, quando & in Receſſu Imperii calx in ſpecie ſit prohibita, cui meritò obediendum erat.

Addamus & hoc pro Corallario, quod in Rotenburgenſi Receſſu Imp. de Anno 1487. prohibita ſit inſpectio ſeu proba Vini per Vitrum in foro & alibi durch die Gläſer zu beſichtigen weder an den Märckten/ noch ſonſten in keinen Weeg / quæ tamen hodie in cellis ab aurigis familiaris & neceſſaria æſtimatur, ſine qua puritas & transluciditas, & color vini diſtingui non posſit; circa quam antea laudatus Conſiliarius Datt loc. cit. p. 636. hæret his verbis: *Quæ ratio prohibendi ſubſit, vix capio. Conqueſtæ ſunt ſupplici apud Cæſarem libello civitates aliquot, ſed nihil ab ordinatione remiſit Cæſar.* Perquirant igitur Curioſi Medici hanc Vini per vitrum inſpiciendi rationem prohibitam, qui non

niſi per vitrum urinas judicant, vel an aliud aliquid ſubintelligatur: quando & Spiritus Vini venalis in vitro purus & rectificatus agnoſcitur ab Emptoribus & Inſpectoribus, ſi multam ſpumam & bullulas relinquat poſt agitationem. Demonſtrato igitur, quod Lithargyrium & bismuthum noxium ſit, & iis dulcificata & mangoniſata vina periculoſa, artificium hoc adeo, & quidem penitus ab Impp. & Principe pœna ſub capitali & effuſione vini adulterati ſit prohibitum ſummo cum jure, purum nunc & merum Neccarini vini Nectar hederâ appenſâ proponamus, offeramus, laudemus & bibamus, eoque utamur, ſed non abutamur, ſimul DEUM O. M. Creatorem & datorem benignisſimum gratisſimi laudemus atque invocemus, ut porrò largiatur liberaliter & beet nos iſta dulcedine & bonitate.

OBSERVATIO CCLXII.

DN. D. SALOMONIS REISELII.

De Fonte ſuper libellam fluente.

CUm promiſſis ſtandum ſit, ego verò in *Siphonis* Wirtembergici detecti & correcti cap. *19.* promiſerim artificium illud, quo fontem vivum in valle exortum per ſex mille pedes in caſtrum ſuum valle altiùs poſitum quidam Baro evexiſſe retulit, publicè proclamare, quam primum mihi notum fuerit: tandem autem poſt Generoſiſſimum Baronem Patrem piè defunctum cum permiſſione filii Dn. Eberhardi Friderici de Holtz in Alfdorff, à Præfecto ſuo impetraverim modum evecti hujus fontis, qui der Löcherbrunn dicitur, nolui amplius ſilere, ſed communicare Curioſorum judicio, imitationi & meliorationi. Ita verò ſe habet proceſſus & hiſtoria.

Fons iſte ſatis copioſus per tubos 393, qui faciunt perticas 276. ducitur non in æquali campi planitie, ſed colliculis aliquando & vallibus interpoſitis, ex inferiori tamen loco, quod artifex nomine Benjamin Florian Krüger per libellam, qualem Pater Ferdinandus Verbieſt è Soc. Jeſu in Aſtronom. Europææ cap. 16. deſcribit, nec non P. Milliet Dechales Curſu Mathem. Tom. II. Tract. XV. Prop. XVI. qui bene notat, quod *in hac aquarum libellatione linea viſualis non niſi ad trecentos*

pedes

pedes cum certitudine protendatur, examinavit; ita ut tubi deſcendentes duplo ſint ampliores, quã adſcendentes; quæ variatio continuatur, prout locus vel declivis vel altior poſtulat, intermixtis quoque horizontaliter fere poſitis tubis, donec poſt ſuperatam iſtam longitudinem ſex pedibus & unciis duabus aqua ſurrexit & effluxit in arce, cum interea modo duabus, modo pluribus unciis aſcenderit in mediis tubis adſcendentibus. Quod ex fonte hoc in caſtro effluxerit aqua perennis, ipſi vidimus oculis generoſiſſimo parente adhuc vivo. Nunc verò ut audio, fons ipſe circa originem defectum aliquem paſſus, in caſtro non effluit. An depreſſior fuerit caſtro, non dimenſus ſum, credere autem volui iſti aliàs ſatis perito artifici & præfecto communicanti.

An igitur in tuborum dicta diſpoſitione aqua poſſit elevari ſeu aſſurgere ſupra æquilibrium ſeu horizontalem lineam, tam per experimenta, quàm rationes inquirendum erit. In Siphonis reflexi cruribus ampliore uno, anguſtiore altero, vel in vaſe hortulanorum irrigatorio cum ventre amplo & tubo anguſto ex fundo aſſurgente & communicante infundatur aqua vel ad certam altitudinem, vel uſque ad ſummitatem impleatur; tum poſt motum ſedatum aqua quieſcens in æquilibrio ſtabit tam in ampliore quam anguſtiore; quamvis multi curioſi in ſuis machinis & inventis propter pondus majus fruſtra credidere, premi poſſe fluidum in anguſtiore crure ultra æquilibrium. Unde P. Milliet Dechales dicti Curſus Tom. II. Tract. XV. prop. I. Theorema ſuum: *Una libra aquæ mille libris æquiponderat, ſi utriusque ſuperficies ſit in eadem horizontali linea;* demonſtrat figura aliqua. Qui deinde quoque propoſ. 5. *Fontes genio ſuo relictos, hoc eſt ſine ullo artificio & ſimplici deductione non poſſe aſcendere, niſi quantum deſcendunt*, theorema ponit, eoque prius theorema confirmat, & demonſtrat ita: *Aqua quia in deſcendente tubo A. B. in æquilibrio cum aqua adſcendentis tubi B. C. eſt, ſi orificia utriusque in horizontali linea poſita ſunt, igitur non poteſt impellere aquam adſcendentis tubi ulterius, eamque ad adſcenſum cogere, quomodocunque ſint diſpoſiti tubi; hoc eſt, ſive tubus deſcendens ſit perpendicularis, ſive obliquus, ſive latior ſive ſtrictior, parùm intereſt, ſive in conum deſinat, ſive non.*

Clariſſimè monſtrat hoc recentiùs Joh. Sperlette Phyſicæ novæ

novæ part. 1. diſp. 3. ſect. 3. art. 2. p. 108. appoſita figura & ratione quadam, quod *rectè ſaltem imminentes non omnes in majori crure premant partes anguſtioris cæteræ verò in fundum tubi ratione directè ſibi ſubjectum ſuas exerunt vires.* Quæ verò mihi non arridet ſine gravitante aëre: Vera ratio, ut mihi videtur, in promtu eſt. Aeris ambientis cylinder comprimit æqualiter molem aquæ majorem & minorem, ut in æquilibrio conſiſtat, ſi ſtet quietè. Sed ſi vel motione vel additione affuſæ vel illapſæ aquæ in uno vel altero crure accedat vel minuatur pondus, & aëris ambientis cylinder major vel minor fiat, eousque nutabit, fluctuabit, adſcendet vel deſcendet, donec ad æquilibrium ſit redacta moles aquæ & cylinder æqualis ſit ſuæ atmoſpheræ. Aſt ſi in ampliore crure vel deprimatur aqua immerſo aliquo pondere, vel impetu aut impulſu aliquo aqua prematur, tum aſcendet & effluet in anguſtiori tantò altius, quanto major erit vis impellens, vel moles major novæ aquæ gravitantis. Et videtur quidem aqua deſuper altè delapſa per continuatum fluxum, quaſi per communicantem tubum in orificium majus deſcendens premere poſſe in altitudinem aliquam, aquam cruris anguſtioris ſeu aſcendentis. Sed ſi experientiam conſulamus, non procedit. Effluit enim ſuper labia orificii fruſtra, & ne unguem quidem latum aſcendere facit.

Quod ſi ergo fons iſte Holtzianus tranquillè fluat, & labatur quietè per deſcendentes tubos, aſcendet quidem usque ad æquilibrium, ſed non ultra. Sed ſi cum impetu quodam influat in deſcendentem tubum ampliorem, aſſurget quoque altius in aſcendente anguſtiore. Conjicio igitur impetum aliquem adfuiſſe in fonte dicto fortiter exſiliente, quia jam ad latera erumpit, fortè ob nimis altè evectum & concluſum puteum & ſcaturiginem: quem impetum facere potuit vis illa fontis altius ſurgendi quam vel puteus eſt, vel orificium fontis in arce. Tentandum tamen aliquid, & ſperandus effluxus libellâ altior, ſi accedat in ultimo deſcendente tubo rotula aliqua vel alata vel vaſculis armata, ut ſemper per intervalla protrudatur vel evehatur aqua in aſcendente magis vel minus, prout vis impellens erit fortis.

(Stuttgardtia Auguſtam Vind. d. 14. Octobr. Anno 1698. miſſæ.)

OBSER-

OBSERVATIO CCLXIII.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII, De Epilepſia ab inanitione.

QUam verè dixit Hippocrates noſter, Aphoriſmo XXXIX. l. 6. Convulſio fit, aut à repletione, aut ab inanitione. *P*uer 3. ferè annorum, vegetus & ſanus ditioris conditionis Parentum filius, d. 4. Junii Anni 1698, circa meridiem noctis, ab horrendo tonitru excitatus, terrore ſummo corripiebatur, ſuccedente ſolutione alvi largisſima, cum excluſione fœtidisſimæ materiæ, & virium ſumma proſtratione. Parentes externis & vulgaribus remediis fluxum hunc compeſcere laborabant, fruſtraneo tamen niſu, nil enim de medicamentis internis æger aſſumere volebat, & parentes, vi obtrudere, utpote cui omnia ad placitum faciebant, recuſabant. Duodecima ab invaſione hora me conſulebant, puerumque apportabant, qui frequentiore terroris concusſione quatiebatur, alvo continuò fluente. Prædicebam convulſiones, quas terror prænunciare videbatur. Vix præſcripſeram Medicamenta externa, en! tunc aderat Paroxyſmus Epilepticus. Hoc mihi nunciato, præter externa, propinabam, ob continuam potationem guttas 6. de hoc liquore in cereviſia, & continuabam aliquoties cum remisſione fluxus alvini & epilepſiæ. Medicamentum hocce erat:

℞. Tinct. Bezoard. D. M. ℈ß. catechu. ℈j. Eſſent. anodyn. gtt. vij. m. D.

Sublata cauſa, tollebatur effectus. Nimia enim diſſipatio ſpirituum hoc ipſo inhibebatur, fluxuque alvi ſubſiſtente, & viribus paulatim ſe recolligentibus, plenarie ex DEI Gratia reconvaleſcebat, cui jam omnes adſtantium atram adjudicarant mortem.

OBSERVATIO CCLXIV.
Dn. D. SAMUELIS LEDELII,
De repentina obmuteſcentia ſanata.

HOc Annô 1698. in Nundinis noſtris Majalibus adducebatur mihi puella Laubanenſis, 11. annorum, quæ ante 5. dies repentè obmutuerat. Geſtibus & nutu ſe omnia intelligere, & eſſe ſanæ mentis, edocebat. Re perpenſa, occurrebat Obſervatio XXV. Anni 6. Decuriæ II. Ephemeridum noſtrarum: Eapropter eadem Methodo rem tractabam, dederat enim antea barbitonſor aliquis ſudoriferum absque ulla mutatione. Porrigebam itaque Tartari emetici gr. iiß. cum cremore Tartari ℈ß. Poſt ſemihoram evomebat pituitam viſcidam, dumque alter vomitus erat in procinctu, exclamabat: O wie kranck bin ich! tertia vice poſtquam vomuerat, ob laſſitudinem obdormiſcebat. Verùm quia alvus urgebat, expergefacta loquebatur quidem, at tamen difficulter. Dato autem Spiritu volatili cum Pilulis confortantibus, & ſudorem elicientibus plenariè reſtituebatur. Cauſam mali adſcribebam aëri frigidiori, cui ſe exponere opus habuerat, ob venditionem linteorum, cui muneri erat deſtinata puella, nec caput benè velarat; Concurrebant errores diætæ, qui ſunt frequentes apud venditores, huc illuc commigrantes. Hic per ſingularem DEI Gratiam verum deprehendebam dicterium: quod citò fit, citò perit.

OBSERVATIO CCLXV.
Dn. D. SAMUELIS LEDELII,
De Fluxu hæmorrhoidum per Aures.

VIæ, per quas Natura hominis eliminare allaborat omnia ſibi noxia & inordinata, ſunt imperſcrutabiles, id quod Tomi Ephemeridum noſtrarum ubertim confirmant. Quas non vias ſibi eligit ad menſes exterminandos in ſequiore ſexu? Hac vice ſiſto fluxum hæmorrhoidum per Aures. Vir juve-

juvenis 30. annorum, eruditus malo hypochondriaco obnoxius, continua laborabat ſtipticitate alvi, & niſi quarto fæces deponebat die, aridioris conſtitutionis. Fluxu menſtruali hæmorrhoidum alleviabatur per aliquot annos. Aliquando Diætam negligens, variis infeſtabatur ſymptomatibus, obſtructione octiduana alvi, inflatione & dolore hypochondriorum, cephalalgia, anorexia, ſiti, vigiliis, fluxuque hæmorrhoidali, ſibi conſueto, intermittente. Admittebat varia remedia, exiguo cum emolumento; tandem vix tolerabiles perferre cogebatur dolores capitis, ad plures ſeptimanas protractos, usque dum fluxus ſanguinis per aures erumpebat notabilis, cum momentanea remiſſione Cephalalgiæ & lenimine Naturæ. Menſtruo ſpatio elapſo, redibat hic fluxus, eodem cum fructu. Tandem tamen, adhibitis idoneis aperientibus, præprimis Tinctura Metallorum, priſtinum reviſebat locum benignior Natura. Affligitur tamen frequenter, hic vir, dolore capitis, imprimis, ſi potu excedit, aut cibo flatulento difficilisque ſubactionis, ſe infarcit. Tantas excitare valent turbas commiſſi in diæta errores, præprimis apud teneros, aut qui ſunt imbecillioris conſtitutionis, & valetudinarii. Hippocrates maniam vidit in Alcippo, ab hæmorrhoidibus per metaſtaſin caput petentibus, 4. Epidem.

OBSERVATIO CCLXVI.

*D*n. D. SAMUELIS LE*D*ELII, *De* arenulis in ore.

SApor amarus febricitantibus eſt quotidianus: ſapor ſalſus apud Arthriticos non infrequens. Laborabat Nobilis arthritide vaga ſcorbutica, omnis cibus & potus ipſi erat ſalſus, ut & plures haberet alterationes cum domeſticis & adſtantibus, qui tamen nil ſalſi deprehendebant in cibis inſulſis, & potu dulci. Curæ meæ ſe commiſerat alius, melancholia hypochondriaca detentus. Hic ſemper conquerebatur de arenulis in ore hærentibus, & ſæpè arenulas ex ore promebat nobisque exponebat. Hoc ipſi maximè moleſtum erat, quod in-

ter cibandum ſemper arenulæ maſticationi ſe ingerebant, quas dentibus comminuebat. Malum durabat per tres ſeptimanas, dein evaneſcebat. An ſaliva nimia ſalſedine impleta, & ad coagulandum apta, natales dederit hiſce arenullus, penes Te ſit judicare, Amice Lector.

OBSERVATIO CCLXVII.

Dn. *D.* SAMUELIS LE*D*ELII,

De ſingultu lethali ob inhibitum fluxum alvi.

PEllionis Uxor 28. annorum, 3. liberorum mater, ad 8. menſem prægnans, pallidioris faciei, & ad iram proclivis, neglecta diæta, omni cibi genus ingurgitat, appetitui indulgens, indequè fluxum alvi patitur indoloriſicum, moleſtum tamen, & aliqualiter emaciantem. Me conſulunt, dumque nihil periculoſi animadverto, hoc conſilium do, ut ſtrictè diætam obſervet, & quia facile ferret, non temerè alvum ſiſteret. Accurrit pro Conſilio Pharmacopola, & poſt hunc alii, qui fluxum alvinum optimè & ex voto ſiſtunt, ſuccedente ſingultu ſat valido & moleſtisſimo, cum calore febrili. Ad incitas redacta, anxiè meam quærit opem: inviſo, invenio ſummè debilem, cum vehementisſimo, & totum corpus concucientе ſingultu, qui jam per plures horas ſævierat. Re ad amusſim examinata, lenem ordino Clyſterem, Balſamum ſtomachicum externum, & theriacam cœleſtem. Enema leniter ſolvit alvum, everrens pituitam viſcidam, cum aliquali remisſione mali. Nox tranſigitur mediocriter, cum ſomno interrupto & ſingultu mitius furente. Externè jubeo fotum cum certis ſpeciebus in Vino coctis, & malum, calefacto ventriculo, intermittebat. Eramus quoque de fœtu ſolliciti, & quia usque huc parum ſenſerat, externa adhibebamus generoſa, cum motu fœtus optimo. Inter ſacrum & ſaxum ſtans, accerſebam pulverem decantatũm Excellentisſimi Oribaſii, ullo tamen absque auxilio. Sternutationem etiam moliebar cum Pulvere ptarmico, & malum remittebat, titillante in naribus Pulvere, redibat tamen, nulla ſequente ſternutatione.

Nole-

Nolebam tamen acrius ſtimulare ob excusſionem fœtus. Emulſiones ab aliis laudatas itidem accerſebam, fruſtrà licet. Fotu dum continuo, ſpongiâ vino medicato madidâ, alvus ſe aliquoties laxat, ſuccedunt dolores partus, & excludit puellam vivam & ſanam lochiis ritè fluentibus. Singultus durabat interpolatus, vires erant dejectæ, delirare incipiebat, trementibus & frigentibus artubus, & confortata licet optimis medicaminibus, placidè efflabat animam, hora, exantlato Partu, 12. dumque deſinebat ſingultus, intellectus vacillare incipiebat, ob transpoſitionem materiæ ad organa ſenſuum. Singultum Gorlicii aliquando ſtiti, in febre maligna dato ℈ß. Bezoardici mineralis ſimplicis, hic dabam, pulveri Bezoardico aſſociatum, ſine efficacia. Sic nec in hoc Affectu dantur Medicamenta univerſalia.

(Miſſæ Norimbergam Grünbergâ Sileſiorum d. 14. Octob. 1698.)

OBSERVATIO CCLXVIII.

Dn. D. RUDOLPH WILHELMI CRAUSII.
De Abortus ſex menſium dentato.

QUod infantes dentibus quibusdam ex maxillis conſpicue prominentibus naſcantur, rarum quidem, miraculi tamen nomine indignum eſt. Vidimus tales infantes aliquoties. Muſici cujusdam aulici G. M. B. uxor, aliquot infantum mater, ſexto â conceptione menſe, poſt alterationem manè abortum excludebat ſequioris ſexus, vivum quidem, ſed conſueta immaturitatis ſuæ ſigna præ ſe ferentem, & valdè debilem. Inter plorandum obſervabantur duo dentes primores, inciſores dicti, in inferiori, maxilla ſatis conſpicuè prominentes. Moriebatur hæc puella, aliàs ſatis benè formata eodem die veſperi.

OBSERVATIO CCLXIX.

Dn. D. RUDOPLH WILHELMI CRAUSII.
De Dente cartilagineo.

TYpo- & calco-graphi cujusdã C. J. filia, ferè ſeptennis, debilis & delicatioris conſtitutionis, ex cujus maxillis nõdũ dẽs prodi-

erat, tandem circa finem ſeptimi anni dolores exquiſitos in inferioris maxillæ dextro latere, & hinc intra paucos dies ibi duos inciſores prodiiſſe ſentiebat, quorum ille, qui verſus ſiniſtrum latus ſitus erat, velocius præ alio, & cum quodam dolore protrudebatur, multumque prominebat; vacillare tamen obſervabatur non ſine puellæ magno, inprimis inter edendum dolore & moleſtiâ, ita ut parentes, an dens, nimium prominens, vacillans, & moleſtiam ac dolorem creans evellendus foret, me conſulerent. Verùm cum dentem illum quoad oſſeam ſuam radicem planè â gingivis, & maxillæ alveolo ſeparatum, tantùm albæ cuidam materiæ, cartilaginem referente ex eodem maxillæ alveolo ſub dente prominente, firmius adhærere, nec ſinè magno dolore dentem oſſeum hinc inde moveri poſſe deprehenderem, evulſionem ob metum periculoſæ hæmorrhagiæ in tam debili & delicato corpore diſvaſi. Exciderat autem, haud diu poſt, hic oſſeus & vacillans dens ſpontè inter edendum, & interius planè cavus deprehendebatur; alba verò materia, quæ ſub dente oſſeo hactenus latuerat, & prioris ſecundam naturam ſucceſſor eſſe debuiſſet, dentis inciſoris figuram exactè referebat; ſed quia cartilaginis mollioris conſiſtentiam habebat, valdèque ſenſilis erat, id quod puellæ inter edendum & loquendum admodũ moleſtũ erat, meditabar illũ adtactu Spir. Nitri pedetentim exſtirpare. Sed poſt paucos dies ſpontè flaccidus reddebatur & evanebat, nec alius dens huic ſucceſſit, licet quæ puella tunc, & nunc uxorata vigeſimum quartum agat annum.

OBSERVATIO CCLXX.

Dn. D. RUDOLPH WILHELMI CRAUSII, De Dentibus duobus maxillaribus, ſibi & maxillæ per continuitatem adcretis, ab agyrtâ imprudentiſſimè evulſis.

Affinis meus, H. F. C. Med. D. & Practicus quondam Hamburg. feliciſſimus, vir in ſublimiori chimia verſatiſſimus, & longiori vita dignus, ſed ante aliquot annos Amſtelodami beatè demortuus; cum Jenæ apud me ſtudiorum gratia adhuc commoraretur, ſæviſſimis ſæpè dentium molarium ſiniſtri lateris inferioris

rioris maxillæ doloribus vexabatur. Tandem cum in nundinis noſtris autumnalibus eosdẽ dolores pateretur, agyrtam clamoſum & jactabundum ad ſe, me quidem planè inſcio, ex foro accerſi juſſerat, qui, quod dens, quem præ aliis patiens dolere putabat, ſine periculo & ullo dolore ſubitò evelli poſſit, ſpoſponderat, quare me, ut operationi intereſſem, rogabat. Diſſvadebam ego extractionem, quia dentes omnes dolentes integri, nec ullum ſignum cariei, aut nigredinis conſpiciendum erat. Sed patiens ob intolerabiles dolores, & quod agyrta feliciſſimam, ſubitaneam, & ſine dolore inſtituendam evulſionem promiſerat, extractionem dentis urgebat. Malui ergò incognitus operationi intereſſe. Cum verò nimis garrulus agyrta ſolo digito, non autem oculorum inſpectione neceſſariâ inveſtigatum dentem evellere adoriretur, monui ipſum, ut ſibi de malo eventu caveret. Sed inter medias admonitiones audaciſſimus Thraſo ſubitò dentem, inſtrumento ſtrophiolo involuto maximâ vi extrorſum verſus cum ſonitu evulſerat, cum atrociſſimo patientis dolore, illumque jubebat ex ore eximere; cui verò patiens, ſe magnum fruſtũ in ore gingivis adhuc adhærere ſanguinolento ore reſpondebat Evellebat igitur ipſe agyrta dentem effractum, cum magno & novo patientis dolore; ſed, cum viderimus non unum, ſed duos dentes maxillares maxillæ firmiſſimè adcretos, & ſibi invicem, ut & maxillæ continuos una cum ſat magna maxillæ & gingivæ portione effractos & evulſos fuiſſe, cum atrociſſimo patientis dolore, & forti hæmorrhagia, loco ſoſtri fuſte agyrtæ ſatis fiebat, qui ſe etiam ſtatim foro ſubtrahebat. Durabat hæmorrhagia illa per dies duos, ſed interruptim, & patiens propter dolorem & intumeſcentiam dimidiæ partis totius faciei, nec cibum, nec ſomnum capere poterat, ſibi à fiſtulâ valdè metuens. Reſtituebatur tamen intra aliquot ſeptimanas feliciſſimè, & eluitioni oris ſæpius repetitæ cum Spiritu Vini multum auxilii adſcribebat.

OBSER-

OBSERVATIO CCLXXI.

Dn. D. RUDOLPH WILHELMI CRAUSII, De Fonticulorum hæmorrhagia inſolita ob abuſum Elixiris Proprietatis alcalci.

QUidam meorum conſanguineorum, cum Wittebergæ ſtudiis operam navaret, curam fœtoris pedum præpoſterè inſtituerat, & fœtore curato, materiâque repulſa valdè catarrhoſus, hinc hæmorhoidibus obnoxius, tandemque arthritide vagâ ſcorbutica afflictus erat. Curaverat autem ſibi mox ab initio, cum ob catarrhos ſæpius dolore capitis affligeretur, duos fonticulos in bracchio inuri, ſed parum levaminis inde ſentiebat, & poſt aliquot annos fonticulos iſtos ſæpè copioſum & purum ſanguinem ſtillare, & induſium valdè ſanguinolentum reddere conquerebatur.

Cumque me etiam in conſilium vocaret, nullam verò ego cauſam hujus phænomeni explorare potuerim, fortè autem fortunâ plura in feneſtra poſita parvula vitra conſpicerem, quibus inſcriptum erat: Elixir proprietatis zum täglichen Gebrauch / in ſuſpicionem incidi, abuſum elixir proprietatis ſolam cauſam eſſe, ob virtutes ingredientium ſanguinem ad fluorem maximè diſponentes. Suaſi igitur, ut vel planè ſepoſito, aut ſaltim rarius adhibito hoc medicamento, aliud ſibi præſcribi curaret. Cumque per duas ſeptimanas eo non uſus eſſet, fonticulorum hæmorrhagia ceſſaverat. Cautius ergo inpoſterum mercabatur.

OBSERVATIO CCLXXII.

Dn. D. RUDOLPH WILHELMI CRAUSII. De Teſticulo dextro planè duro, & pugnum majorem æquante, curato.

IDem patiens, de quo jam verba feci, ob impeditam ſeminis in coitu emiſſionem, quia ancilla triſte adferens nuncium deſubitò in dormitorium intravat, ambasq; conjuges conterruerat, paulò poſt dolorem (ut ipſius verbis utar) expanſivum

vum, tumoremque, ſed ſine inflammatione in ſcroto perſentiebat. Puduit verò ipſum medicum conſulere, ideoque in ſpe & ſilentio hæc per duos annos ſubportavit, intra quod tempus teſticulus dexter ad pugni majoris magnitudinem excreverat, ita ut inceſſum impediret.

Neceſſitate igitur coactus medici ſui ordinarii conſilium imploravit, qui varia internè & externè, ſed omnia fruſtrà adhibuit, ideoque tandem teſticuli exciſionem ſuaſit, commendans aliquem lithotomum, quem perfectiſſimũ in herniis & calculo ſecandis eſſe deprædicabat. Voluit autem patiens in hiſce meo quoque conſilio uti, mihique, quæ hactenus relata ſunt, retulit, ſed diſſvaſi caſtrationem omni modo, id quod facilè obtinebam, quia lithotomus ille hîc Jenæ illuſtris familiæ puelli herniam inciſione curaturus, omnia infeliciſſimè, & cum morte tenelli corporis peregerat. Suaſi autem externorum remediorum adplicationem, & inter illa primario emplaſtrum de cicuta, Vigonis cum mercurio, it. ol. tartari fœtidum, quibus per aliquot menſes dextrè adplicatis, non omiſſis internis, & bonâ diætâ, decrevit tumor, & diſſipata materia per madorem ita fuit, ut quotidie emplaſtra aliquot vicibꝰ mundare patiens cogeretur. Sicque auxilio DEI convaluit.

OBSERVATIO CCLXXIII.

Dn. D. RUDOLPH WILHELMI CRAUSII. De Semine croci colore tincto.

Cum Patavii ſtudiis operam darem, ſtudioſus quidam Patavinus, juvenis viginti duorum annorum, J. B. valde laſcivus & venereus, aliquando ſemen croceo colore tinctum à ſe emiſſum nobis monſtravit, & cum quæ comediſſet interrogaſſemus, retulit, ſe eodem & præterito die varia edulia croco tincta aſſumſiſſe; unde colorem croceum in ſemine adparere concludere nobis certo licuit, præprimis cum idem phænomenon alio etiam tempore, ex croci uſu nimio in eodem ſubjecto comparuerit, quin & aliquando ſemen aniſi odorem referens emiſerit, dum ex Germani cujusdam ſuaſu aniſum in notabili quantitate, quo ſe ad prælia venerea armaret ſemenque generaret copioſius, antea adſumſerat.

(*Jena Auguſtam Vind. d. 28. Octor. A. 169[illegible]. miſſæ.*)

OBSERVATIO CCLXXIV.

DN. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De fungo credito ſeminifero.

Prætenſa fungi calyciformis ſemina quòd jam olim vocaverim in dubium, patet ex iis, quæ ad Ann. 7. Dec. 2. communicavi; & ex Ann. 10. quid Ill. Celſo curioſi placuerit addere. Ut iſta reaſſumerem, occaſionem dedit Cel. Botanici Joann. Raji Synopſis Methodica ſtirpium Britannicarum, quam evolvens inter notas à D. Jac. Pettiver communicatas fungi illius quoque mentionem factam inveni, cum ſubnexâ quidem ſingulari opinione curioſi inſectorum ſcrutatoris & obſervatoris Joan. Goedartii, qui ſemina illa Araneæ longicruræ genimina eſſe tradiderit; dein & Bonanni, qui eandem obſervationem de productione illorum ſeminum in libro quodam nuper edito confirmaverit. Idem ibidem annotâſſe legitur Sam. Doody, quòd Gœdartius in tractatu de inſectis hujus ſemina ſeu grana in terræ rimas delapſa reviviſcere, & tridui ſpatio aranearum juſtam magnitudinem nanciſci affirmet. Suſpendit autem uterque ſuum judicium, donec periculum faciendo penitius res innoteſcat. Meum non eſt, in tædioſam inſectorum disquiſitionem me immittere, minus lynceos iſtos curioſos redarguere; novi quantæ difficultatis & ſubtilitatis ſit negotium illud, tractare iſta minima: Id verò, quo ſc. cum ſucceſſu periculum ejus rei à me fuerit factum, referre utique licebit. Enimverò cùm præteritâ æſtate in arculis ligneis talium fungulorum non paucos iterum conſpicerem, quantocyus tum calyces fungis plenos, tum exemptas ipſas fungoſas lenticulas partim in vitris variè aſſervare, partim terræ inſpergere, & ad ſperatas mutationes diligenter attendere cœpi, ſed profectò fruſtrà, cùm nec araneolæ nec alterius inſecti ullum indicium comparuerit; plerique autem funguli orbiculares exſiccati fuerint, manſerintque diu incorrupti. Solet aliàs natura proſpicere inſectis de nido & cibo in variis plantarum tumoribus & excreſcentiis ſive gallis, ſolet etiam quandoque animari, quod nihil minus quàm verminoſum videbatur; Utrum igitur per accidens aliquando iſti funguli ad

ara-

aranearum geneſin aliquid contribuerint, an verò conſtanti naturæ lege matricem præbeant, ubi occultentur & foveantur ova ordinarie, dubium relinquere cogor, aliis expediendum, aut tentandum ulterius, cùm iſtâ vice res non ſucceſſerit.

SCHOLIUM.

MUtatio iſta fungoſarum lenticularum in araneas longicruras mihi multum dubia videtur, partim cum ſimilium aranearum ne quidem unicam in loco, ubi funguli mei creſcebant, quamvis non procul inde Meliſſa, qua inſectum hoc gaudere *Gœdartius* ſcribit, obſervaverim, partim ipſa lenticularum conformatio, quam in *Ephem. harum Dec. II. Ann. X. obſ. 207.* exhibui, multum ab aranearum iſtarum differat. Ipſimet Gœdartiani funguli ſeminiferi à noſtris plurimum ſunt diverſi, licet enim in quibusdam conveniant, pelluciditas tamen, quæ inſtar cryſtalli eſſe dicitur, in noſtris non comparet, denſa per totum corpus opacitate ſemper præſente, neque etiam intra biduum noſtrorum fungorum generatio ſuccedit, ut primo nempe die è terra ſurgant, clauſique ſeſe oculis ſiſtant, altero autem die aperti conſpiciantur, quod nempe de ſuis *Gœdartius* innuit, cum noſtri ſenſim ex minimo fungulo, in quo mox fungoſa illa corpuſcula ſunt concluſa, & qui ſuum principium non tam ex terra, quam lignea tabella ſumit, per aliquot dies in juſtam molem extendantur, nec quinque tantum granulorum, ſed decem pluriumve numero inveniantur; ipſa denique ſeminula noſtra non rotunda, ſed compreſſa & plana magis ex utraque parte comparent. Unde ſi conjecturæ locus datur, granula illa rotunda, pellucida, in terræ rimis reperta, impoſuiſſe Curioſorum oculis videntur; quæ cum fuerint ovula ab araneis longipedibus ibidem ſtabulantibus, in locum iſtum depoſita, pro ſeminulis fungulorum tum forte fortuna ex calice ſuo, quod facilè accidit, diſperſis, haberi potuerunt, præſertim cum *Cl. Martinus Liſterus* in *hiſtoria aranear. Angl.* in araneis longipedibus, quas *tit. 35.* deſcribit, nec forſan à Gœdartianis longè abſunt, ut & qui *tit. 36.* producuntur, ova alba perfectæ rotunditatis deprehenderit, atque ita Inſectorum horum generatio non tam ex vegetabili,

quàm ſuo ſpecifico animali ſemine procedere, veriſimile adpareat.

(*L. Schröck.*)

OBSERVATIO CCLXXV.

DN. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De Grandine.

CUm ſub finem nuperi Auguſti frigidi vix dum aliquot dies dies blandiore aëris temperie recreati, meliora ſperare inciperemus vineis noſtris, expectationi communi tamdiu minimè reſpondentibus, die quidem vigeſimo ſexto ſtyl. vet. poſt NL. & trigonum ſaturni cum venere, ante conjunctionem autem jovis & martis, (ſiquidem iſta non nihil ad rem.) ſol radiis ſuis nubes raró perumpens, cum calore aëris non extraordinario, nihil minus quàm gravem tempeſtatem videbatut minari. Verùm inter horam à meridie ſecundam & tertiam ſubitò cum horrendo venti impetu ruens grando urbem tractumque ipſi proximum graviter percuſſit, vicinos noſtros intactos relinquens. Cujus occaſione grandinis duo phænomena conſideratione non indigna annotare operæ pretium duxi. Primum concernit plagam à grandine percuſſam, ſive ex quâ ventus crepitantem feneſtris alliſit grandinem. Hæc media fuit inter meridiem & occaſum, ventusque adeò auſtro-zephyrus. Solet aliàs pro congelatione cadentium guttarum pluvialium in grandinem requiri obvius ventus frigidus, obſervatum etiam fuit à me in ephem. meteorol. ſub grandinoſis tempeſtatibus declinâſſe ventum ex borea in eurum, & iſtam plagam viſam fuiſſe ut plurimum ſerenam vel clariorem. Nihil horum iſtâ vice contigit, nec ventus è plagâ frigidâ ſpiravit, nec verſus ſeptentrionem ſolita claritas comparuit, ſed potius eò ruens grando ſibi obverſa læſit gravius; fuitque adeò etiam mercurius in barometro, non pro more, humilis, nec ſub hâc calamitate ut aliàs aliquantum inſurrexit. Alii cum Ariſtotele non extraneum cum vento adveniens frigus, ſed ab aquâ ex ſuperiore aëre ſecum delatum, accuſant tanquam glaciationis cauſam, quatenus à calore aëris introrſum compulſum valenti-

us in gelando ſe demonſtret. Alterum phænomenon mihi ſuppeditavit magnitudo grandinis, non tanta quidem, ac aliàs alibi obſervata legitur, major tamen quàm per multos annos Tubingæ viſam memini, inter nuces avellanas & juglandes, figuræ variæ. Talium ſtatim aliquot in aquam, quæ ad manus tum, fontanam puram injeci, memor diſcriminis, ubicunq; lecti, inter glaciem communem & grandinem, quòd illa in aquâ natare, hæc mergi ſoleat. Verùm natârunt immiſſæ ipſi omnes grandines ad usque plenam ſui ſolutionem; ſubmerſa fuit ne unica. Dicuntur aliàs partes aquæ obrigentes in glaciem denſari & cogi in ſpatium anguſtius, nec tamen mergi ob emergentes & concluſas bullas aëreas, unà cum quibus exſurgat totum levius, aquæ, qua conſtat, innatans: Minus autem obſervari bullulas in glacie artificiali notant curioſi. Non memini bullularum in grandine iſtâ, benè tamen nuclei albi per corticem qſ. clariorem conſpicui.

(Tubinga Auguſtam Vind. d. 23. Octobr. A. 1698. miſſæ.)

OBSERVATIO CCLXXVI.

DN. D. THEODORI ZUINGERI,

De Exenteratione Cadaveris Puelli, Phthiſi & Hydrope extincti.

Filiolus triennis honeſti cujusdam Civis noſtratis jam aliquoties continuas, acutasque Febres perpeſſus, menſe Junio Anno 1697. ſimili denuo Febri acutiſſimâ cum tuſſi ac reſpirandi difficultate, dolore etiam lateris, ut nobis quidem videbatur, pungitivo graviter afflictus, remedia non difficulter ſumpſit & admiſit omnia, quibus miſello ſanitatem reſtitui poſſe credebamus. Sed nihilominus pertinax continuè ſubſtitit Febris, nec aliâ criſi quàm per abſceſſum Pulmonis mutata fuit, & quidem in Lentam ſive Hecticam funeſtam converſa. Etſi ab eo tempore per Tuſſim excreaverit ingentem quantitatem purulentæ, ſæpè etiam cruentæ materiæ; ut poſtea, redeunte non nihil appetitu, quandam corporis ſummè hactenus emaciati ἀνεξίαν cum viribus recuperaverit. Præ-

pſimus tum ea pneumonica, quæ non demulcere ſaltem humorum acrimoniam, ſed & Pulmonis exulcerationem detergere atque coſolidare valebant, ſub formâ Decoctorum traumatico-pectoralium, Pulverum Conſolidantium ex *Lichene petræo*, *Antibectic. Poter & Pulmone Vulpis præp.* Electuariorum antiphthiſicorum, quemadmodũ in noſtrâ deſcribuntur Praxi Medicâ ſub prelo ſudante. Remiſit etiam Tuſſis poſt aliquot menſium ſpatium, Ægellusque indies meliùs habere videbatur; veùm remanſit ſemper Difficultus reſpirandi, neque corporis priſtinus habitus vigorque perfectè redibat. Quin ſæpiùs recrudeſcebat Tuſſis, ſed ea tum ſicca magis, cum frequenti Anxietate pectoris, Cordisque palpitatione; Appetitus denuo quoque proſternebatur; Macies cum nocturnis ſudoribus redibat; Abdomen, pedesque intum eſcebant, quotidie magis ac magis, donec miſellus tandem D. 12. Maji. 1698. mane ante ſolis ortum inter ſuſpiria Parentum naturæ debitum perſolveret. Sub veſperam hinc ejusdem quo mane obiit diei, cùm aperiendi cadaveris mihi copia fieret, eò acceſſi unâ cum Myſtis Apollineis, commenſalibus atque Diſcipulis meis, Dn. Joh. Henrico Hottingero Tigurino Chirurg. & Medic. Doct. Dn. Martino Bogdano, Bernate, Dn. Mauritio Sutero, Zoffingenſi, & Dn. Davide Franciſco de Merveilleux, Neocomenſi; quibus ſimul ſeſe junxerant Chirurgi noſtrates periti Dn. Paulus Spörlinus, & Jacobus Zuingerus, Frater meus. Cadaver ergo detegentes; illud ſtatim emaciatum reperimus, cum Abdomine, Pedibusque œdematoſo tumore expanſis. Aperto Abdomine mox Inteſtina nobis occurrebant flatibus diſtenta, atque ſero limpido, nonnihil cruento innatantia, unde jam certum Aſcitis indicium comparuit. Inteſtina hinc in dextro Hypochondrio deprehendebamus mediante craſſo validoque ligamento Diaphragmati, Hepati atque Peritonæo adnata, ſimul & hinc inde inflammata, & ſcalpelli aciem propemodum eludentia. Omentum ac Meſenterium pinguedine omni deſtituta conſpiciebantur, Glandulæ verò Meſentericæ in molem excretæ, duræ & ſcirrhoſæ fuerunt. Hepar dein admirandæ extitit magnitudinis atque duritiei, ejusque vaſa ſanguine turgebant copioſo, fluido, nigro. Veſicula etiam bilaria plus quam naturalem humo-

humoris limpidi, pellucidi & flaventis quantitatem continuit. Cæteras Abdominis partes utcunque ſanas credidimus. Sterno autem levato dextri lateris pulmo ſideratus, purulentus, magnus, Sterno firmiter adnatus in conſpectum prodiit; inferior quoque illius portio ſcirrhoſa planè & undique Pleuræ accreta extitit. Siniſtri lateris Pulmo non ſolùm vomicis illius atq; diverſis ſcirrhoſis extuberantiis defœdatus fuit, ſed tota veſiculoſo-tubuloſa ſubſtantia conſumta nõ niſi membranas poſt ſe reliquit ſpiſſas, firmas, ligamentoſas, ubiq; Pleuræ, Mediaſtini, Diaphragmatis atque Pericardii tunicis validiſſimè adnatas. Ipſum Pericardium quoq; craſſũ erat, atq; duritei tantùm non cartilagineæ, repletum valdè cruento quoque ſero, cui Cor nudum innatavit, quod in dextro ſui ventriculo Polypum habuit tenacem, nec demum poſt mortem genitum, nuce juglande majorem, atque cavitatem ferè totam ventriculi implentem, pedibus etiam extra Cor in vicinas vaſorum propagines protenſum. In ſiniſtro ejusdem ventriculo rudimenta quoque *Polypi* extiterant, cæterà ſanguis in Corde ac vaſis tam arterioſis, quàm venoſis fluidus, ſeroſus, nullatenus adhuc coagulatus occurrebat. Aquæ in thorace nullæ, imò nec in pericardio, niſi tantillæ, fuerunt. Reliqua non luſtravimus.

OBSERVATIO CCLXXVII.

Dn. D. THEODORI ZUINGERI.

De Fractura Coſtarum, cum ſubſequente Vulnere, Sideratione, Hydrope Pulmonis, atque Morte.

MAtthias Lang, Civis Baſilienſis, annorum circiter 50. fortunæ tenuioris, obeſus quidem, ſed ad Cachexiam inclinans, *die XIII. Junii Anno 1698.* Molitoris equum fortè perterrefactum, ac citato admodum curſu per plateas unà cum alligato ſibi curru profugientem, arreptâ ejus habenâ cohibiturus humi proſternitur, & partim equi pedibus calcatur, partim rotam currûs onuſti ſuper dorſum ſuum devolutam experitur, ita ut ſemianimis in proximam Chirurgi Tabernam de-

deportatus vix ſpiritum ducere valeret; paulatim tamen ad ſe rediens, ope *Aquæ Reginæ Hungariæ* Capiti & Naribus applicatæ, conqueſtus eſt de contuſionibus in Capite, Pectore atque Dorſo acceptis, gravibus ſatis atque dolentibus, aſt nihil tamen extus in corpore ſtatim à Chirurgo videri, neque ad primum attactum viſumque fractæ potuerunt deprehendi coſtæ; ſugillationes tamen mox cum cutis intumeſcentiâ ſeſe conſpiciendas præbebant. 'A Chirurgo hinc confeſtim vena ſiniſtri Brachii fuit ſecta, & ſanguis ad octo ferè uncias extractus; externè verò partes contuſæ ubique fomentabantur *Decocto Herb. Betonic. Scord Meliſſ. Scabioſ. Abſynth. Chamomill. Salv. Agrimon. Bacc. Laur. Juniper*, in Vino facto; *Emplaſtrum diſcutiens* dorſo applcabatur, unâ cum fomentis ſuperimpoſitis. Linteis quoque Fotui calefacto immerſis atque rurſus expreſſis inſpergebatur adhuc *Spiritus Vini Camphoratus Spiritu volatili Lumbricor. terreſtr.* acuatus, & ita admovebantur. Tandem ego accerſitus ſtatim ſequentem potionem diſcutientem ordinavi ℞. *Aqu. Card. bened. Chærefol. Scabios. ana.* ℥j. *Pulu. contr. caſum* ʒß. ♁. *diaph.* ℈ß. *Roob ſambuc.* ℈iß. M. F. potio, quam unâ vice hauſit. Præſcripſi quoque ſpecies pro *Decocto vulnerario* in mediâ parte *vini albi* & *Aquæ* coquendas: ℞. *Radic. virg. aureæ, Conſolid. major. ana* ℥ij. *Herb. Sanicul. Pyrol. Alchymill. ana Mj Semin. Perfoliat.* ℥ij. *Inciſ. & contus. d. ad chart.* pro Decocto, de quo mane ac veſperi quatuor vel quinque hauriantur unciæ, idque tepidè. Cumque Æger debilis eſſet, deque continuâ Pectoris anxietate, & tuſſiendi quodam conatu querelas moveret; ſequentem ſimul tulit, cochleatimque ſumpſit Mixturam Cardiacam: ℞. *Aqu. Fumar. Cardiac. offic. ana* ℥iß. *Syrup. Rub. id. ac Jujubin. ana* ℥iij. *Confect. Alk. inc.* ʒj. *Spirit. Oleos.* ℈j. *Antimon. diaph. C. C. phil. præp. ana* ʒß. *Miſc. ad vitr.* D. XIV. & XV. Perrexit in uſu præſcriptorum diligenter, cum aliquantillo levamine. Pro potu ordinario ſitiens bibit *Decoctum Agrimoniæ, Liquiritiæ atque Hordei.* D. XVI. cùm de Agrypniâ, Tuſſi ſiccâ, eaque maximè moleſtâ, Doloribus pectoris dorſique pungentibus, tuſſiendi conatum impedientibus conquereretur, ſimul ac febricitaret, præter continuandum *Decocti traumatici* atque Mixturæ cardiacæ uſum, ſimul adhuc ſequentẽ *Pulverem* ordinavi *pectoralem demulcentem, anodynum, diaphoreticum,*

ticum, *& expectorantem*, ſingulis bihoriis vel trihoriis doſi ſcrupulorum duorum circiter aſſumendum: ℞. *Pulver. Lichen. petr.* ℥iij. *Pulv. folior. veronic.* ʒiß. C. C. *phil. præparat. Diaphoret Jovial. ana* ʒj. *ſemin. papav. alb.* ℈ij. *ſacch. candi. alb.* ℥vj. *Miſc. F. Pulvis ſubtil. d. ad ſcatul.* D. XVII. Anxietate pectoris ſemper urgente, ſequens coloſtrum duabus doſibus noctu ſcilicet & ſequenti mane ſumpſit: ℞. *Axung. canin.* ʒj. *Spermat. Ceti recent.* ℈ij. *Eſſent. Croc.* ℈j. *Miſc. det. ad Fictile.* D. XVIII. Omnibus in pejus ruentibus ſequens tulit *Eclegma Cardiaco Pectorale*, *cochleatim ſumendum* ℞. *Aqu. Veronic. Plantag. Syrup. de Eryſim. Lobel. Syrup. Bellid. min.* ℥j. *Confect. Alk. inc.* ℈ij. *Spir. Sal. Armon Urinos.* ℈j. *Diaph. Jovialis, Ocul. 69. præp. ana.* ʒß. *Miſc. d. ad v.* D. XIX. *Electuarium confortans pneumonicum* Ægro magis arriſit, in pejus continuè ruenti, & jam Diarrhœâ laboranti: ℞. *Conſerv. Bellid. min. Beton. Roſ. rubr. ana* ℥ß. *Radic. ſymphyt. condit. Nuc. Indc. condit. ana* ℥j. *confect. Hyacinth. inc.* ʒß. *Boli Armen. pp. Unicorn. foſſil. ana* ℈ij. *Antimon. diaphor.* ℈j. Syrup. *papav. rhæad. q. ſ. M. F. Electuar. ad formam opiat. d. ad Oll.* & inde ſumatur ſæpè, quantum cuſpis largior cultri capere valet. *Herbæ* prætererea *Traumatico-Pectorales* unâ cum *Jujubis*, & *Paſſulis majorib9 exacin.* in Aquâ ſolâ per horam decoctæ fuerunt, ut inde mane ac veſperi cyathus unciarum 5. vel 6. calidè biberetur. Externa remedia interim tumorem omnem ubique diſcuſſerunt, ſed cœruleus tamen ſugillationis color adhuc ſubſiſtebat. Vulnus nullum in dorſo, vel pectore, comparuit; licèt facilè ſeſe movere Æger, inque Lecto flectere corpus haud poſſet, ob dolores thoracis inde acerbiores redditos. D. XXI. Symptomatibus continuè excruciantibus, & magis magisque auctis, quanquam ſedatâ diarrhœâ nunc per biduum copioſum phlegma limpidum, cruentum; minimè autem pus coctū cum Tuſſi exſpuebat; ſequentem denuo præſcripſi *Mixturam cardiacam* cochleariter capiendam: ℞. *Aqu. cardiac. officin. Scabioſ. ana* ℥iß. *Syrup. de Jujub. Rub. idæi, ac Anodyni ana* ℥ß. *Confect. Alk. inc.* ℈ij. *Raſur. Ebor. pp.* ʒnii. *diaphoret. ana* ℈j. *Miſc. ad Vitr.* Inter uſum verò hujus, aliorumque Remediorum, parum levaminis apportantium, Æger D. XXIV. Junii, poſtquam fortè è lecto ſurrexiſſet, inopinatâ ſuffocatione prehenſus, miſeram cum beatâ mortè vitam commutavit. Ca-

daveris hinc luſtrandi facultatē à Viduâ conſecutus, eò me contuli idque cum commenſalibus atque Diſcipulis meis, ut & Rerum Chirurgicarum perito *Dn. Theophilo Freulero*, *Reipubicæ noſtræ Senatore*. Extus itaque in Cutaneâ corporis expanſione, à Scapulâ ſiniſtrâ usque ad Os Innominatum, Inflammatio, vel Gangræna certè & ſideratio apparuit. Abdomen verò apertum nihil nobis inſalubre aut præternaturale obtulit, niſi Hepar Scirrhoſum durum, friabile tamen; in cujus cavo Cyſtis fellea denſa valdè ac omni bile vacua extitit. *P*inguedinis interea ſat fuit ubique circa viſcera: Inteſtina flatibus expanſa apparuerunt, in Oſſe Sterni autem inferiores ſiniſtri lateris cartilagines diſruptas planè notavimus. Thorace pòſt aperto, Lobus ſiniſter pulmonis maximè tumidus, expanſus, corruptus undique Mediaſtino, *P*leuræ, Diaphragmati, atque Pericardio ita firmiter cohæreſcebat, ut ſine dilaceratione inde divelli minimè potuerit. In ipſa verò ſubſtantiâ hâc *P*ulmonis veſiculosâ atque corruptâ, poſtmodum apertâ, plures amplos majores minoresve datum eſt cernere loculos, eosque omnes ſero cruento, pituitoſo, ſordido purulentoque plenos, quale ſerum in cavitate ipsâ pectoris neutiquam conſpeximus. Remoto parum lobo iſto Pulmonis, Spinæ prodibant oſſeæ, valdè acutæ, à fractis tribus Coſtis ſuperioribus, propè ſiniſtrum ſpinæ Dorſi latus introrſum truſis, atque in ipſam Pulmonis ſubſtantiam adactis, oriundæ: quam Fracturam, lethalem certè, inciſsâ poſtmodum Dorſi cute adhuc meliùs conſpeximus, inflictam vel ab ictu pedis equini, vel à contuſione per Rotam currûs acceptâ. Intra *P*ericardium maximè denſum ac firmum ad quinque vel ſex unicias ſeri purulenti invenimus: atque inſuper in dextro Cordis ventriculo Polypum maximum deteximus, tribus appendicibus præditũ. Denique Lobus Pulmonis dexter ab omni corruptione liber & immunis extitit.

(*Baſilea Auguſtam* Vind. *d.* 3. *Nov.* 1698. *miſſæ.*)

OBSERVATIO CCLXXVIII.

Dn. D. PYRRHI MARIÆ GABBRIELLII.

De Aſcite ſine Medicamentis ex improviſo ſanato.

LAboravit Mulier quædam Aſcite per plures Annos, cum moleſtiſsimis doloribus in toto Abdomine; derepente duobus ab hinc annis per Vomitum, unà ſimul ac per ſeceſſum, & per Urinam eodem tempore, nec non per Uterum, & per foramen in Umbilico ſubortum, magnam unica nocte ſeroſitatis copiam evomuit, dejecit, minxit, ab Utero depoſuit, & per Umbilicum dimiſit maximo cum Adſtantium ſtupore. Res utique mira, diebus enim ſequentibus per alvum, & per Uterum ſanies cruenta extillavit. Hæc Patiens adhuc convaleſcens vivit, ſed doloribus vagis in Abdomine ſæpiſſimè cruciatur.

OBSERVATIO CCLXXIX.

DN. D. PYRRHI MARIÆ GABBRIELLII.

De Hydrope cum maxima Abdominis intumeſcentia, â Lienis Apoſtemate ſuborto.

MUlier 25. Annorum, febre acuta, ac tumore in Lienis regione, cum dolore tenſivo, ac pulſativo ejusdem partis, per 20. circiter dies, magna cum moleſtia laboravit. Hinc paulatim ceſſavit febris acuties, & dolor ſplenis mitior factus eſt. Poſt menſem Abdomen in tumorem cœpit elevari, & pauco temporis intervallo aquâ fuiſſe repletum obſeruavi; qui quidem quatuor aut quinque menſium ſpatio in tantam molem excrevit, ut tumor ab imo inferioris ventris parte, ad jugulum usque, maxima cum elevatione in immenſum extenderetur.

Hæc autem Patiens, nonnullis adhibitis Medicamentis

hydragogis, magna cum Adſtantium admiratione, trium dierum ſpacio ejecit per ſeceſſum maximam ſeroſitatis copiam & Abdomen prorſus detumuit.

At eâ ferè celeritate, quâ ſeroſus humor effluxerat, iterum redundavit in corpore, & in immenſam molem ab imo Abdominis ad juguli ſummitatem, mirum in modum totus Venter intumuit; Unde cum non fuerit remedio locus, obiit.

Poſt mortem perforato Abdomine, effluxit aqua in tanta copia, ut tercentum librarum pondus æquaverit: atq; hinc diſſecta cute cum reliquis integumentis, excepto peritonæo, fuit obſervatum aquam non contineri in cavitate abdominis, ſed inter Peritonæum, & Muſculos; ob id nil mirum ſi Ventris tumor usque ad Jugulum ſe dilataverit. Inciſo Peritoneo, Epar, Ventriculus & Inteſtina, cum reliquis, benè, ac in Statu naturali fuere obſervata, excepto Liene, in quo aderant ſinus nonnulli ulceroſi, cum Peritonæo mediis quibusdam membranulis connexi, ac colligati; taliter, ut canaliculum quendam conſtituerent, per quem à Liene ſeroſitas transmittebatur inter Peritonæum, & muſculos Abdominis.

In deſcripta Aſcitè, miranda ſunt, primo ſeroſitatis maxima copia; 2. ejus cita excretio per hydragoga, 3. Canaliculus ſubortus in Liene cum Peritonæi connexione, pro tranſitu ſeroſitatis extra Abdominis cavitatem: Ob id in Arte Medica peritis quomodo hæ acciderint, ut explicare velint, pro nunc linquere non erubeſco.

(*Senis Hetrur. Auguſtam* Vind. *d.* 10. *Nov. An.* 1698. *miſſæ.*)

OBSERVATIO CCLXXX.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De prædictione ex barba.

MUltos futura ex barba prædixiſſe narrat Clarisſimus Georgius Pictorius Villinganus in lib. 3. ſuæ Philologiæ, pag. mihi 91. Et mihi quoque contigit videre Anno 1694. Menſe Septembris, ruſticum quendam, Annorum ætatis 43. qui derepentè canitiem propriis in capillis & barba vidit, non ſine

ipſi-

ipſius ac Conjugis admiratione; poſt triduum ab inimico clam eſt occiſus ſclopeto, dum Eccleſiam peteret; Mihi pariter tunc temporis, hanc ob cauſam, narravit Sacerdos quidam Amicus meus fide digniſſimus, ſe Anno 1673. obſervaſſe ſexagenarium alioquin robuſtum, cui absque ulla occaſione ſpontè cecidit tota barba; & poſt ſeptem dies ille apoplecticus obiit.

OBSERVATIO CCLXXXI.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI, *De* pure in brachii tumore collecto, per alvum expurgato.

PUrulentum humorem in alvum poſſe defluere, notavit olim Clariſſ. Ambroſius Paræus, lib. de Vulneribus ſclop. cap. 12. pag. mihi 351. Nuperque mihi videre contigit militem robuſtum Annorum 39. cujus in brachio dextro magnus ſponte apparuit Tumor; Chirurgus alioquin gnarus, ſuppurationem tentavit, ſed fruſtra; nam tertia ab applicato ſuppurante remedio die, poſt ventris dolores, diarrhæa affectus eſt; per quam etiam purulenta tumoris materia excreta eſt per alvum, magna Chirurgi admiratione. De *Pure* quoque in coxæ tumore collecto, per alvum expurgato, egi in Obſervat. XLIX. Miſcellan. Academ. noſtr. Curioſ. Decur. II. Ann. IX. pag. 82.

OBSERVATIO CCLXXXII.

DN. *D.* JOSEPHI LANZONI. De Puero ſine Ano.

ANno 1698. menſe Octobris, obſervavi puerum, ortum à quadam ruſtica bonæ temperiei annorum ætatis 29. quæ mihi faſſa eſt tres ſe jam peperiſſe filios, & omnes ſine ano; imò circà hoc à me petiit conſilium, & remedium, ad hanc arcendam miſeriam impoſterum; Arte apertus eſt anus, ſed ſecundo à vulnere die mortuus eſt.

OBSERVATIO CCLXXXIII.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
Obſervatio de Muliere barbata.

DE barbata muliere mentionem facit Eruditisſimus Caſp. â Reies, in camp. elyſ. jucund. quæſt. p. mihi 712. Egoque Anno 1697. mulierem Romandiolam Annorum 50. ſterilem obſervavi, barbam gerentem; quæ interrogata mihi retulit, ſe nunquam menſtruas purgationes vidisſe, nec mammas tumefactas, pectus enim velut viri erat. De hac re vid. quoque *P. Caſpar. Schott.* in *Phyſ. curioſ.* lib. 3. cap. 32.

OBSERVATIO CCLXXXIV.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI,
De Febre quartana abortu ſoluta.

E*St tamen*, ait Origenes in Numer. cap. 12. *interdum & abortus bonus*; Et reverâ bonus mihi apparuit in Nobili femina Ferrarienſi ætatis annorum 31. quæ ſpatio trium Annorum quartana febri laboravit; â quâ neque ope Kinæ Kinæ. neque aliorum febrifugorum liberari potuit; at gravida facta, quartana quæ ſimplex fuerat facta eſt duplex, cum capitis ſævo dolore; quarto geſtationis menſe abortus accidit, multa cum ſanguinis effuſione, poſt vero abortum libera à febre quartana evaſit, nuncque DEI Gratia ſana & vegeta vivit, ac ſe iterum concepiſſe jam putat.

(*Ferraria Auguſtam Vind. d. 5. Dec. A. 1698. miſſæ.*)

OBSER-

OBSERVATIO CCLXXXV.

DN. D. JOHANNIS CASPARI WESTPHALI.

De Uſu Opii & Clyſterum in Gravidarum affectibus ſpasmodicis innoxio.

IN Medicina facienda *duo* cumprimis *ardua* eſſe *ac gravia*, *Gravidis* nimirum *& Infantibus mederi*, non ſolùm ſuo tempore EPIPHANIUS FERDINANDUS, judicio τȣ͂ μακαρίτȣ ARGONAUTÆ *Noſtri*, expertiſſimus Scriptor, juſtiſſimè conqueſtus eſt; ſed recinenda etiam nunc nobis vetus iſta querela: quod multiplici experimento, univerſo Medicorum Practicorum Ordini, ſatisſuperque conſtare arbitror. Factum hinc, ut Medicus ſolicitæ Prudentiæ ac ſummorum Meritorum ETTMULLERUS *Noſter* complura, eaque ſaluberrima præcepta, circa Gravidarum Curam cuſtodienda, *in Collegiis ſuis*, variæ eruditionis fruge refertis, hinc inde tradiderit; è quorum numero & illa ſunt: *Gravidis medicamenta opiata uti toto geſtationis tempore*, ita præcipuè *ſub primis & ultimis geſtationis menſibus*, *inconſideratè exhibita, mirum quantum noxia eſſe*, *illasque facilè abortus cati*; nec *clyſterum uſum* in iis vir ἰατρικώτατος facilè admittit, *niſi id fiat rariſſimè*, *& ſub minori quantitate*, *eaque ex blandiſſimè emollientibus & carminantibus*, *lacticiniis*, *juſculisque avenaceis* Vid. *Oper Tom. I. pag. 395. 403. 711. & Tom. II. pag. 1088. 1090*: Attemperavi me etiam, ut candidè fatear, ſub primis Praxeos annis, Beatiſſimi Viri, &, in quo laxiſſimè gaudeo, Præceptoris dexterrimi Præcepto quàm religioſiſſimè: ſed, uti neceſſitas πάντολμος etiam duriſſimas leges aliquando frangere ſolet, ita & ego volventibus annis legem, quam mihi dixeram, migrare, & circa dogma Præceptoris illud, circumſtantiis certis aliâs limitatum, accuratiore æſtimatione ponderando, aliam mentem induere coactus fui. Ex pluribus, quibus Ephemerides meæ Practicæ abundant, exemplis communicabo hoc unicum, lectione fortè non omninò indignum. Uxor Muſici olim noſtratis, ut vocant, Inſtrumenlatis, cognomine *Trebellian*

dicti

dicti, nunc vidua, corporis aliàs robuſtioris ac ſucculenti, & extra graviditatis ſtatum ſaniſſima, quotiescunque utero conceperat, toties â momento conceptionis usque ad geſtationis tertium & medium tempus, variis pathematis, dorſi & abdominis, in ſpecie hyſterico-convulſivis, iisque ſupra modum atrocibus, primùm vomitu tædioſiſſimo, & nauſea cereviſiæ omniumque ciborum, de hinc animi deliquiis in momenta redeuntibus, nec non moroſitate alvi continua, ut plurimùm ex conſtrictione inteſtinorum ſpasmodica pronato, anxietatibus verò circa præcordia tantis, affligebatur, ut ægra adſtantium miſericordiam ſæpiuſculè non ægrè eliceret ac provocaret. Omnia ac ſingula, quæ ad recomponendos hos naturæ motus ac ſiſtendos dolores ſpasmodicos, cum cura ex arte exhibebantur remedia, infauſto vomitu dictum, factum, rejiciebantur: quinimò & ipſi clyſteres, leniores illi & benigni, utpote nunc ex ſola decoctione chamomillæ cum lacte, & roſarum melle, nunc verò tantillo terebinthinæ imprægnati, & minore quantitate injecti, per totam noctem & diei dimidium in inteſtino hærentes, malum potius adaugere quàm allevare viſi ſunt. Ego interim, memor canonis, & abortus ſubſecuturi metuentior, nec ad clyſteris acrioris & alvum fortius ſtimulantis, nec ad laudani opiati ordinariam doſin & auxilium, devenire ſuſtinebam. Intereà durabat triſtiſſimæ hujus valetudinis miſeria ſæpe in ſeptimanam decimam quintam, aliquando ad decimam octavam, imò tertia vice ad ſeptimum menſem usque. Agebatur verò hæc tragœdia more male-patientis ſeculi, ut me nunc relicto, nunc iterum advocato, alios Medicos, & quidem clanculùm, ex vicinia ſubinde in ſcenam producerent, qui tamen nec ipſi plauſum ex hoc theatro reportabant, cum omni arte idem quod ego, i. e. nihil, efficerent: & licèt inter has turbas pro ejulatibus, per quos miſerrimæ ægræ dolor tumultuabatur, expiandis opium parcâ manu ac doſi conciſâ, & ut vocant, refractâ, Potionibus ad cochleare ſumendis, nec non externè emplaſtris ſtomachali regioni & abdomini applicatis, aliquando immiſcerem, omnina tamen, propter vomitus pertinaciam, irrita erant, ac incaſſum cedebant. Ubi jam tertiâ vice ſobolis ſpes inter viſcera afflictæ matris germinaret, eadē ludebatur fabula, ita, ut inter hos labores ac morbi neceſſitatem circiter menſis octavi initium filiolam ejiceret

ret adeò immaturam, ut eidem ungues in univerſo digitorum ordine, ac labia circa naturam, ut & aurium inferiores molliculique lobuli miſerandâ facie deficerent, & miſella triſte lucis ac vitæ auſpicium non niſi fuſcâ & ſubraucâ ac exili voce in tertiam ferè ſeptimanum, quâ illud iterum claudebat, teſtari poterat. Et uti *neceſſitas* ab HELIODORO *l.* V*II. Æthiop.* commodè *conſiliorum inventrix* dicitur, ita factum, ut cum infeliciſſima mater quartâ vice uterum ferret, & in omnia priora mala de integro relaberetur, ego ante omnia ad motus uteri ac meſenterii ſpasmodicos, abortus jam dicti Autores, tantorumque ſymptomatum Cauſam formalem, ſiſtendos, animum & conſilia applicando, prudentior an audacior factus, miſeræ *laudanum hyſtericum* mox deſcribendum aliquot vicibus circa tempus ſomni, & quidem metu vomitus ſine alio medicamento conjunctum, ad grana v. & vj., nunc in forma pilularum inauratarum, nunc cum *aqua cinnamomi cydoniata* aut *Zedoariæ* in liquidioris formam ſolutum, propinavi, ad alvum verò illuvie cæteriſque ſordibus ſqualidam ſollicitandam & eluendam clyſtere fortiori (ex decocto *chamomillæ* M. ij. *ſpecierum Carminant. ſummitat. Centaur. min.* ana M. j. *rad. gentianæ* ℥ß, addendo *ſal Tart.* & colaturæ *ſyrupum roſatum ſolutivum*, cum ℥ß *fellis tauri liquidi*, & ʒj *eſſentiæ caſtoræi* ac *nitri crudi*, parato) uſus ſum: quo facto, omnium turbarum & ſymptomatum inter ſe luctantium illicò mira inſecuta eſt malacia, præterquam quod vomitus aliquis per tres aut quatuor ſeptimanas in miſera adhuc ſupereſſet; qui tamen cum *tinct. vitrioli martis Zvvelfferi*, maritata cum dimidio *eſſentiæ caſtorei*, & *eſſentia opii cum tinct. tart. extracta*, hujus ʒß ad illarum ʒiij, ter quotidiè propinatis, interpoſito electuario ex *conſerva florum tunicæ*, *electuario diaſcordii Fracaſtorii*, *coralio rubro*, *carophyllis*, *nuce moſchata* & *maſtiche*, atque cum *ſyrupo cinnamomi cydoniato* ad decentem conſiſtentiam redacto, tandem conſopitus eſt, repetendo ſimul omni triduo aut quatriduo clyſteres leniores ac blandè abſtergentes. Poſt illa tempora, ubi duabus vicibus iterum utero concepit, ad iſta duo præſentiſſimæ opis auxilia, tamquam ad ſacram anchoram omni feſtinatione confugimus, ex quorum uſu etiam intra octiduum pulchrè convaluit; vomitu quidem per menſem & ultrà durante, qui uſu repetito electuarii jam dicti, *tincturæ vitrioli martis Zvvelfferi*,

 tin-

tincturæ coralliorum ſaſſafratæ, &c. applicatis ſimul externis, ceſſabat.

Ut verò pateat, quomodo & ex quibus laudatum ſuprà LAUDANUM HYSTERICUM conſiat, bonâ fide modum omnem, quo iſtud componere ſoleo, edocebo:

℞. *Extr. opii cum aqua calc. par.*
Zedoar., vel *calami arom.*, ana ℥ij.
Flor. ſulphuris, (interdum etiam loco hujus *cinnabaris antimonii.*)
Caſtor. pulveriſ. ana ℥ij.
Extr. croci ℥ß *ad* ℈ij.
Miſceantur, & redigantur ad conſiſtentiam pilularem, malaxandam cum *oleo deſt. ſuccini.*

OBSERVATIO CCLXXXVI.

DN. D. JOHANNIS CASPARI WESTPHALI.

Ex Ulcere pedis ἀμεθόδως Occluſo, Pleuritis ſpuria, Sputum Cruentum, & tandem Mors.

CIvis ac Opifex noſtras, Petrus Müller, Vir quinquaginta & aliquot annorum, in ſiniſtro pede circa malleolum per benè longum tempus ulcus alebat fœdiſſimum. Hoc cùm miſerum non unâ moleſtiâ ac ſolicitudine afficeret, ad multifaria more vulgi, paſſionum externarum chronicarum intolerantiſſimi, itum eſt remdia: Ac licèt ex iis nonnulla ulcerationem ſubinde mitigare aut quaſi tollere viderentur, effectus tamen ſemper erat infidus, malo ex abdito de novo recrudeſcente, & novâ prorumpente ſanie, omnem conſolidationis ſpem in ipſis incunabulis ſuffocante. Accidit demum menſe primo Anni 1689. ut, cum ulcus per neſcio quod remedium ad pulchram, ut ipſi quidem videbatur, ſiccitatem deveniſſet, plagâ licèt adhuc patente, æger menſe dehinc proximo, pleuritidis ſpuriæ in modum, dolore punctorio, utrumque thoracis clima affligente, iſtud tamen latus, cujus ê directo pes ulcerationem patiebatur,

magis

magis infeſtante, ex improviſo corriperetur. Sub hac dolorum, per integrũ octiduum tumultuantium, ferocia, materiæ purulentæ & cruentæ magna copia exſpuitione prodibat, quam æger & ſapore & odore ſimilem affirmabat tabo, quod ulcus anteà eructare ſolitum fuerat. Durabat iſthæc excretio ipſas tres ſeptimanas. Hiſce primis ſeptem diebus accedebat febris ſatis acuta, ac perſimilis illi, quam vulneribus aliquando ſupervenire videmus; quo etiam factum, ut omnem cereviſiæ uſum conſtanter horreret, & ab uſu ſecundariæ ſaltem, quam Coventum vulgus vocat, dolor pleuriticus magis accenderetur, & omnia ingraveſcerent. Conſultum itaque duxi malo obviam ire per miſturas, ſtylo Sylviano, ex lapillis cancrorum, antimonio diaphetico, floribus ſulphuris, cum aqua prophylactica, chærefolii & cardui benedicti confectas, aſſumptis in auxilium ſocium Decoctis Traumaticis & exſpuitionem promoventibus, ex hedera nimirum terreſtri, chærefolio, ſcabioſa, &c. In potus ordinarii vicem veniebat decoctio hordei cum liquiritia & uvis paſſis. Inſtillato aliquando cereviſiæ ſecundariæ ſpiritu nitri dulcificato, aliquando etiam tincturâ florum papaveris erratici mediante hoc paratâ æger in momento quaſi in ipſo ulceris centro ac ſinu doloris memorabilis ſpicula & moleſtiam quandam perſentiebat; quod & â vini uſu poſtmodum contingebat: quoties enim poſt febris diſceſſum ex audaculo muliercularum conſilio, ad confortandum, uti quidem venerabilis iſta tribus effutiebat, naturam, vino indulgebat, toties ulceris regio novo æſtu ac rubore efferebatur, idque eò magis, quod Vinum iſtud vernaculum eſſet, adeoque præſentiſſimo acore probè ſaturatum. Tertiâ dehinc ſeptimanâ, emanente intereà materiæ purulentæ excretione, Columellæ verbo, plaga redulcerabatur, novaque ſtillantis tabi ſanies interiora omnia in tuto nunc eſſe teſtabatur, miſerque egregiè ſibi denuò cum valetudine convenire putabat. Poſt hæc tamen majore curâ de tuta ulceris conſolidatione ſolicitus, meum denovo requirebat conſilium, ubi, omnibus ex arte perpenſis, eidem duplicem fonticulum, alterũ ſupra genu pedis malè affecti, alterũ in brachio oppoſito, ſvadeo, hiſque dehinc ad præceptum inuſtis, quæ porrò actu opus forent, me edocturũ, promitto, hominemque ſic dimitto. Iſte verò, ſive futuri ſecurior, ſive periculi remedium periculum ipſum ratus, ad hoc auxilii genus

vel admotis omnibus Peithûs artibus nec â ſuis nec amicis perſuaderi poterat. Anno itaque dicto inutili cunctatione extracto, accidit, ut anno mox ſequenti 1690. ipſius filius Vratislaviâ ex Quartana ἀμεθόδως curata tumorem abdominis hydropicum pedumque œdema domum referret, quod ultimum Menſe Octobri ſex dierum ſpatio ſcrotum in tantum occupabat, ut capitis ingentis magnitudinem fatali mole exæquaret. Accerſitus ego cum Balneatore hujus loci in curam, omnibus ritè perpenſis, fatum jam imminens haud vanè prædicere valui, quod etiam die menſis dicti nono cũ ruptura alterutrius cruris & ſphacelo ſcroti inſequebatur. Mœſtus ex hac jactura parens, viſâ inter lachymas immedicabili gangrænâ & valetudine filii, prudentior & cautior factus ſecuritatem & cunctationem, duo iſta adverſus res in arte noſtra proſperè gerendas potentiſſima ac communiſſima impedimenta, continuò exuere, ac de excitandis ex juſſu meo fonticulis jam jam ſeriò cogitationem ſuſcipere incipiebat, re omni Balneatori in hoc vocato, commiſſa. Hic verò τεχνηδρίϩ hujus planè imperitus & verè iners (cujus inertiæ & imperitiæ aliud egregium documentum biennio poſt exhibebat, dum reſtiario, affectu ſoporoſo, morbo Caſtrenſi ſuperveniente, laboranti, meo juſſu veſicas in nucha & brachio excitare non poterat, niſi ipſemet ego & viam præiviſſem & negocium meâ manu expediviſſem) miſerum inutili verborum luſu circumducit, & uti, C. Taciti verbis, trepidantium natura eſt, immodicos eſſe promiſſis, ita iſte infelix artifex, ore quàm manu promptior, magno hiatu homini facilè credulo ulceris occluſionem citra magnam difficultatem pollicetur, fonticulum vero duplicem rem ipſo ulcere moleſtiorem, cumque extremo faſtidio conjunctam eſſe, vanè perſuadet. Acta hæc omnia me inſcio, & in ea ſive opinione ſive errore hærente, fonticulos ad mandatum dudum eſſe excitatos. Menſe Decembri, & quidem ipſâ ſecundi Adventus Dominici feriâ dum ex templo me domum confero, æger mihi obviam factus medicamentum pro ſanguine purificando â me expetit, Balneatorem id juſſiſſe protendens. Ubi egò inter primos ſermones hominem ſtatim de fonticulis, an ritè habeant & officio fungantur? rogito; ille verò ad hæc reponit: ſe nullo indigere fonticulo, Balneatoriſque ſe referre acceptum conſilio, quod contumaciſſimum ulcus tam

auſpi-

auſpicatò coaluerit, ut vix vola amplius aut veſtigium in pede ſuperſit; ſe tamdiu ad tædium usque ſub aliquot Chirurgorum infauſta opera fatigatum fuiſſe, ſolum hunc egregium Virum occluſionem ad votum procuraſſe, omnemque rem ſuâ ope & conſilio feliciſſimè confeciſſe, ſe nunc firmum valentemque, & reverà lateri pedibusque, benè eſſe. Ego ad hæc obſtupeſcens non deſiſto feroculum ulteriùs ſubmonere, hæc omnia ſine me arbitro malè eſſe acta, curationem ipſam Balneatoris mimicam ſaltem eſſe, larvatam ac umbratilem, monſtrum nunc majus intus ali quàm in cute, incendiumque malè ſopitum majore flammâ de facili reſurgere poſſe; ſique ſibi tutò ac conſtanter conſultum vellet, fonticulorum feſtinantiſſimâ admiſſione periculo, ex abdito & inſidiis aliquando irrupturo, imò fortè jam jam imminenti, ut ſe opponat, candidè ſuperaddo. Ille contrà futuri ſecurus, & occluſionis temerariæ ſucceſſu lætior ac ferocior, benè monenti ulteriùs contumaces animos oppoſuit, ſique fortè præter ſpem ſecus quid ſibi fortè evenerit, tunc ſatis ſuperque ſemper tempus adhuc ſupereſſe excitandi fonticuli. Die 23. menſis Decembris ejus uxor me conveniens magnis quæſtubus referebat, maritum per aliquot dies tuſſi vexatiſſimâ afflictum fuiſſe, nec cibos ipſum more ſolito appetere, noctéque noviſſimâ ſe perſenſiſſe punctiones in thorace, ac dolorem in pectoris cavo mirâ gravitate prementem; alvum inſuper per triduum officio ſuo, inuſitatâ morâ, defuiſſe. Ego indignatus hominis obnitentis inobedientiam, uxorique querulæ temeritatis admiſſæ imminens nunc incommodum acriter ingero; ne tamen anxiè petenti deeſſe viderer, marito miſturam ſudoriferam ex *aqua chærefolii*, *prophylactica Sylvii*, *lapillis cancrorum*, & grano unico *laudani opiati* cum *ſyrupo de fumaria* exhibeo, addito ſimul conſilio, ut priùs, quam ad ſudationem ſe componeret, clyſterem ſibi injici curaret; ſic enim idem auxilii genus ſub ſuperiore morbo moroſior alvus etiam exegerat, illudque manifeſto cum levamine à nobis applicatum fuerat. Ipſa mulier ad clyſteris mentionem velut ad revelatam Perſei parmam percúlſa, ſe de eo nihil decernere poſſe, ſeque cum marito ægro priùs ea de re acturam in ſe recepit. Altero mane diei ſequentis juſſu ægri ad me refertur, laxatam eſſe feliciter doloris pungentis vim, faciliorisque ſomni quàm antea elapſam noctem fuiſſe, vires ve-

rò ſatis marcidas eſſe & caducas, tuſſis quoque moleſtiam ad ſenſum magis increſcere, alvumque adhuc nondum ſolutam tenſione ac pondere ſibi plurimum negotii ac tædii faceſſere. Tum ego ulteriùs deteſtatus hominis ſiniſteritatem, clyſteris uſum denuò injungo, & ſi hunc admittere porrò obniteretur, me nihil commercii cum eo ampliùs habiturũ tantùm non adjuro. Circa 10. antemeridianam uxor celeritate quantâ poterat ad me properans inter clamores & lachrymas refert, ſe ex foro & taberna ſua, ubi reculis ſuis vendendis inhiabat, domum jamjam accerſitam, maritum inter novos ac vix ſatis memorandos dorſi ac pectoris dolores miſerrimè jacentem inveniſſe, cum ſudore frigido; accedere his anxietatem in tota abdominis regione tantam, ut extrema omnia jam imminere viderentur. Ego injunctâ ſeverè, ac cum nova indignatione, clyſteris injectione, aliàs cætera omnia abſque hac irrita fore pronuncio; illa interim inſtantiſſimè externi remedii ſolatium ſaltem â me rogitans, â meridie, otium â foro nacta, clyſteris applicationem certò promittit, rerum in taberna ſua gerendarum impedimenta nunc prætendens. Dimitto itaque eam cum linimento ex *unguento dialthææ* cum *oleo Philoſophorum, cumini ſtillatitio* & tantillo *camphoræ.* Circa tertiam â meridie (nam ad hoc tempus ex uſu linimenti ægrum meliuſculè habuiſſe narrabant) poſt tot monitiones, & manifeſto diſcrimine compulſi, tandem clyſterem â me petunt. Vix verò â me digreſſa erat mulier, ubi ejus filia cum veſica & decoctionis clyſmaticæ dimidio ad me citiſſimè recurſat, patremque, qui ex uſu linimenti ſibi quaſi redditus fuerit, vix poſt dimidiam liquoris injectionem repentè animo ſolutum fuiſſe, viresque jamdum ſatis exhauſtas admittendo clyſteri non ampliùs eſſe pares, adeoque miſerum toto corpore illius ulteriorem uſum perhorreſcere, longâ ſerie enarrat; ac citò dehinc me relinquens, brevi poſt de patris ægri ſtatu ac conditione matrem me iterum conventuram, ac medicamenta, quæ mihi tunc viderentur neceſſaria, petituram, certò promittebat: ſed eâ veſperâ ac nocte nemo â me viſus. Altero mane, ipſâ nimirum feriâ Natalis Dominici primâ, ut de eventu certior fierem, de ſtatu ægri ſciſcitatum mitto, ubi uxor ad me referri jubet, maritum poſt horam applicati enematis non tam ex naturæ communi lege & ſuo fato obiiſſe, quàm potiùs ex inauſpicato clyſteris uſu

extin-

extinctum fuiſſe, huncque ipſum potiſſimùm miſero mortem maturaſſe ſibi perſuaſum eſſe. Quo audito, in ædes defuncti me confero, ubi percipio, defunctum poſt applicatum enema difficiliori reſpiratione ac ſtertore vexatū ſubipſo conatu expectorationis & tuſſis frequentiſſimæ ferocia, exſpiraſſe; luſtrato dehinc pede malè affecto, locum anteà exulceratum firmiſſimè occluſum, centrum autem ulceris nigerrimum, iſtius verò circumferentiam ex cæruleo virideſcentem, cum ſtupore animadverto. Intereà, dum ego curioſius hæc ago, Vidua me adhuc dùm præſente, muliebriter mille planctibus in calido & furenti luctu ſe defatigans clyſteris applicationem tamquam mortis celerius accerſitæ cauſam, incondito clamore accuſare, innocentiſſimumque remedium ſiniſterrimo ſermone traducere, ac diris omnibus execrari, haud verebatur. Nimirum inter artis ſaluberrimæ miſerias, quas jamdum ſuo tempore multiplices *Galenus* aſſerebat, & illa cenſeri debet, quod vulgus conſilia noſtra, contra prudentium præcepta, ex eventu judicet, fortuitaque tantùm non ſemper ad culpam trahat, ubi tamen pulchrè meminiſſe conveniebat ſententiæ graviſſimæ, quam *Valerius Maximus*, ſuo modo in ſolatium etiam Medicorum, *lib. IX. cap. XII.* conſignavit: *Fine namque vitæ noſtræ variis & occultis cauſis expoſito, interdum quædam immerentia ſupremi fati titulum occupant, cùm magis in tempus mortis incidant, quàm ipſam mortem accerſant.*

(Delitio Auguſtam Vind. d. 10. Decembr. Anno 1698. miſſæ.)

OBSERVATIO CCLXXXVII.

Dn. Dn. FRID. CHRISTIANI CREGUTI.

De coitu ſine ulla ſeminis ejectione.

VIr xxxiv. circiter annorum, ſtaturæ & corpulentiæ mediocris, egregie etiam barbatus, nec non proſpera ac vegeta valetudine præditus, cum conſtitutionis optimæ Fæmina jam undecim annorum ſpatio, ac quod excurrit, in matrimo-

nio

nio vivit. Et quamvis ab eo tempore ſæpenumero cum uxore congresſum venereum celebraverit, ne guttulam tamen liquoris in hunc usque diem in naturæ ſinum effudit. Nihilo ſecius ſalacisſimus eſt, ſæpisſime toro coit, Teſtes crasſiusculos ſed fere inſenſibiles, naturalique longitudine ac craſſitie præditum membrum habet. Illudque rigidisſimum in pudoris ſinu, nonnunquam ſatis diu, etiam cum uxoris cruciatu, agitat, usque elangueſcat. Durante hoc matrimonii tempore ambo contenti vivunt, maritus, quia uxorem contentam & de nulla re conquerentem videt, uxor quia per ignorantiam non aliter actum perfici debere putat. Etenim ignoti nulla eſt cupido. Dum interea in ejusmodi ignoratione Fœmina verſatur, ſterilitatisque veram cauſam nondum tenet, Ecce! ſoror ejus natu minima ante duos annos nuptui cuidam traditur, celebrantur nuptiæ, quarum arcana reconditiſſima ſorori protinus revelat, unde uno veluti momento talia diſcit, quæ tamdiu ignoraſſe vehementer jam dolet. Hinc etiam plane alia rerum obſervabatur facies, quippe quæ antea ſua ſorte contenta vivebat, nunc male animo erat, multisque ſolicitudinibus vexabatur. Quem maritum ſemper ex animo medullitus amaverat, nunc non tanto amore proſequebatur. Poſtquam enim ſororis uterum viſcoſa quadam materia irrigatum fuiſſe audiverat, illico ſuam ſterilitatem ab ejuscemodi liquoris genitalis defectu derivabat. Sine ulla quoque mora maritum adit, eique, quicquid ex ſorore didicerat, protinus refert, ſimulque conqueritur, quod tanti momenti res illam tamdiu neſcire voluerit. Quinimo ſerio monet, omni ſtudio nunc cogitandum eſſe, qua ratione ille ſeminis productione, illa vero dulcisſima dein prole beari poſſit. Hæc quali animi perturbatione ac cōmotione maritus audiverit, facile quivis dijudicare poterit. Nam reliqua ſilentio de induſtria prætereo. Ambobus interim nihil magis cordi erat, quam ut eorundem familia, ſi adhuc posſibile eſſet, heredibus ornaretur, ideo medicum à me obnixe & anxie conſilium poſtulant. Affectum itaque diligenter & adcurate examinavi, nihilque, præterquam ſummum frigus â juvenilibus annis perpeſſum, hujus affectus auctorem accuſare potui. Nam iterum atque iterum affirmavit, in diſciplinæ ac tyrocinii annis à frigoris vehemen-

hementia ſæpiſſime crudeliterque divexatis ac quaſi ſopitis membris, ſe fruſtra ſeminis excretionem tentaſſe. Cum tamen notandum ſit, ſe antea non ſemel nocturnas pollutiones ſenſiſſe, ac manuſtupratione nonnunquam ſemen excretum vidiſſe. Uxorem vero ſe duxiſſe, ait, partim quod ſtimulis venereis ad id compulſus fuerit, partim quod naturam, ſi Venere uteretur, tunc certo mutari ſibi firmiter perſuaſerit. Quibus ſingulis attento animo perpenſis, affectum incurabilem, quia per longas nimis moras invaluerat, ſtatim pronunciavimus. Nihilominus ut ambobus aliquomodo ſatisfieret, Remedia, ut dicunt, ſemen producentia, & vias clauſas reſerentia ad tempus marito, ſed incaſſum propinavimus. Hinc tandem maritus ſe nullis amplius medicamentis ad ſeminis productionem uſurum, uxor autem ſe rem ſecretam cum nemine amplius communicaturam, & reliquam vitæ particulam tranquillè ac in pace transacturos ambo conſtituerunt. Ego verò caſum non quotidie occurrentem erudito orbi, ſuppresſis tamen nominibus, communicandum operæ pretium eſſe duxi.

Aſt antequam manum de tabula trahamus, breviter & propius prædicti affectus cauſam inveſtigabimus. Idcirco ex phyſiologicis præſupponere liceat: 1. Maſſam ſanguineam duplici motu moveri, uno progresſivo, quatenus ope cordis & arteriorum motus ad ſingulas corporis partes tota moles urgetur; altero inteſtino, quatenus ſingulæ moleculæ ſitum mutant, & ex vicinia unius in viciniam alterius volvuntur. 2. Utroſque dictos ſanguinis motus ad vitæ perpetuationem, nutritionem, & partium auctionem, variasque in hos fines ſecretiones inſtituendas abſolutè neceſſarios eſſe. 3. Sanguinem innumerorum diverſorum corpuſculorum congeriem eſſe, diverſasque has particulas ad ſecedendum & varia fluida efficienda jam eſſe diſpoſitas ac præparatas. 4. Ejusmodi vero in ſanguine arterioſo exiſtentes moleculas à M. *S.* per ſolam transcolationem citra ulteriorem immutationem ſeparari poſſe, tuncque nomen mutare, & varia fluida, v. g. Lympham, ſalivam, bilem, urinam, ſemen &c. conſtituere. 5. Diverſarum molecularum transcolationes à diverſa glandularum vel partium ſtructura dependere. 6. Structuræ diverſitatem

in hoc conſiſtere, quod foraminula, per quæ ſecernenda corpuſcula urgeri debent, tum ratione amplitudinis, tum ratione configurationis differant. Quibus præſuppoſitis, ſeminis elaborationem, neque per Facultatem quandam, quæ doctrina jam diu corruit, neque per fermentum quoddam in teſtibus ſuppoſitum, ſiquidem omnia talia fermenta noſtra ætate deferbuerunt, ſed per ſolam tranſcribrationem perfici dicimus. Nimirum quatenus cordis vibratione per arterias dictas ſpermaticas ſanguis ad albugineam tunicam, ſeu corticalem glanduloſam teſticulorum ſubſtantiam appellit, & moleculæ ſeminales aliis ſanguineis laxe cohærentes congrua ac determinata glandularum foraminula ſubeunt, & â novis jugiter inſequentibus ex poris in ſeminifera vaſcula, ac ex iisdem in unum canalem, quem vas deferens vocant, & dein per labyrintheos epididymidum flexus in veſiculas ſeminales protruduntur. Dictas veſiculas receptacula vocamus liquorem genitalem tamdiu continentes, donec vel in coitu concusſione venerea in uterum projiciatur, vel per vaſcula minutisſima ſpongiformia in veſiculas hiantia M. S. ad dextrum Cordis ventriculum pergenti iterum advehatur. Ubi ſimul notandum venit, in veſiculis ſeroſum, in proſtatis vero oleaginoſum fluidum pro ſpirituoſæ ac penetrantisſimæ ſeminis ſubſtantiæ vehiculo ac feliciori forſan ejaculatione filtrationis etiam modo à ſanguine ſecerni, prout fuſius alibi diximus. Conſiderata itaque ratione, qua ſemen elaborari tamdiu firmiter credimus, donec meliorem fuerimus edocti, haud difficile erit defectus ſeminis cauſam reddere. Etenim penitus ſemen deficit, ob vitium, quod nunc in ſanguine materiam ſeminis præbente, nunc in organis ſecretoriis, ſeminales moleculas à ſanguine ſeparantibus, hæret. Sanguinem accuſamus, quando præternaturaliter ſe habet, aut non ſatis ejusmodi moleculis ad ſemen conſtituendum turgidus exiſtit: Organa vero ſecretoria, quando aut plane deſunt, aut obſtructa vel alio modo affecta ſunt. Masſam ſanguineam vix ego accuſarem, præſertim ubi animadverto, virum noſtrum varii generis alimentis uti, bene edere, bene digerere, verbo pancraticè atque athletice, unico hoc incommodo excepto, vivere. Neque ullis organis ad ſeminis ſecretionem, aſſervationem aut ejacula-

cula-

culationem ab ipſa nativitate privatus eſt, quod ſatis ſuperq; patebit, ubi in memoriam revocaverimus, illum in juventute ſua ſemen ſæpius voluntariè & involuntariè profudiſſe. Ergo organa ſecretoria, à frigore in delicatioribus annis perpeſſo, præternaturaliter affecta, ſine mora hujus mali matrem accuſabimus. Præſertim cum ab illo tempore ſe ſemine orbatum viderit. Et ſane maxima intenſi frigoris in corpus noſtrum vis eſt, quippe ſuccos noſtros inſpiſſat, ac ſæpius corrumpit, organorum verò fibrillas contorquet, dilaniat, ſicque illas vario modo præternaturaliter diſponit, ut pori relicti ad ſecretiones ut antea inſtituendas inepti relinquantur. Tali ratione â frigoris vehementia viri noſtri organa glandulosa genitalia fuiſſe corrupta exiſtimamus, quatenus eorum fibrillæ talem diſpoſitionem tunc temporis nactæ fuerunt, ut ad ſeminis elaborationem penitus nunc inepta ſint. Hinc etiam quivis facile perſpiciet affectum arte humana curari minime poſſe. Nobis enim vera ac genuina pororum ſecretoriorum amplitudo & configuratio in hunc usque diem adhuc ignota eſt, & ſi perſpecta eſſet, confuſas tamen à frigore & quidem à longo adeo tempore glandularum fibrillas in verum ordinem nunquam redigeremus. Cæterum quæritur an ſine ſeminis præſentia membrum erigi posſit? Reſpondet F. Platerus Obſerv. lib. 1. pag. 240. naturaliter minime accidere poſſe, ut viris membrum virile attollatur, ſine præcedente veneris ſtimulo, qui cum à ſemine in vaſis genitalibus pruriente, eaque ad excretionem incitante, excitetur, illos quoque ſi congrediuntur, ſemen emittere. Contrarium evincit præſens caſus noſtri viri, qui toto matrimonii tempore ſæpisſime coivit, ſine ulla tamen ſeminis ejectione. Refert etiam Schenckius Obſerv. med. libr. iv. Helideum quendam noviſſe, qui propter Teſtium duritiem nunquam ſemen excrevit. Similemque caſum in montibus Sebenenſibus, Galliæ non procul Monſpeſſulo obſervatum fuiſſe in homine, cui tendebatur quidem membrum, & actu venereo utebatur, ſed non abſolvebat, quia ne tantillum ſeminis ejaculabatur. Alios ejusmodi caſus ſilentii peplo nunc involvo, neque inficias eo, à ſeminis pruritu ordinario ſpiritus animales ad mentulæ erectionem determinari, quamvis aliorſum ſpirituum animalium influ-

 xum

xum nunc deducendum eſſe, ſupra recenſitus caſus nos credere jubeat. Membrum autem intumeſcere ac rigidum evadere exiſtimamus, quando Spirituum animalium ad nervoſa Corpora uberior influxus determinatur, & hinc muſculi penis breves, craſſi ac robuſti in ejus radice exiſtentes conſtringuntur, ut ſanguinea vaſa comprimantur, refluxus per venas impediatur, ſicque ſanguis in membro morulam quandam peragere cogatur. Uti variis experimentis anatomicis ac Phyſicis demonſtrari poteſt. Cum interim à ſeminis prurit ſpirituum animalium in *P*enem influxum, ob ejus totalem defectum, derivare non liceat, forſan non male agemus, ſi dicamus ſpiritus animales ab objecto amabili & fortiori imaginatione in membrum ita urgeri, ut erectio dicto modo contingere debeat. Verum ulterius hujus rari phænomeni ſcrutinium ſapientioribus relinquimus.

(d. 20. Decemb. 1698. Hanovia Norimbergam miſſa.)

OBSERVATIO CCLXXXVIII.

Dn. *D.* UDALRICI STAUDIGELII,

De Singultu in momento Sedato.

ANno, quo me certorum negotiorum causâ Romæ detinebam, 1688. menſe Martio, egregiæ cùm litteraturæ tum converſationis vir V. S. P. ſingultu correptus fuit, horis ante mediam noctem circiter duabus. Siquidem autem inter leviores recenſeri communiter ſolet affectus iſte, contemptus à Patiente quoque primitus fuit, & habitus nihili. *S*ed enim animadvertens, eundem non ſolùm pertinaciùs inſiſtere, verùm etiam de hora in horã incrementa ſumere, tandem de lectione, cui tum incumbebat, ſe levare, me, ceu contubernalem convenire quodque patiebatur, incomodum exponere cæpit. Quid ageremus? eramus in Urbe hoſpites ambo, in diverſorio ſoli, paucis adhuc noti: nox inſuper altiſſima, & in curſu ſuo jam medium habens iter; pharmacopœia longè diſſita; famulus, qui mitti poſſet, ad manum nullus, atque adeo remedium nullum. Author tamen D. Patienti fui, in lectum ſe conferret, ſtragulis bene ſe cooperiret, halitumque ſub iisdem,

dem, quantùm equidem poſſet, conprimeret, quo corporis calefactio & melius & citius promoveretur; datâ prius, quæ ſupererat ex itinere, parvâ Mithridatii Veneti portione. Facta fuerunt ad nutum omnia, ſed abſque vel minimo levamine. Furentibus in quartam omnino jam horam, & continuò vehementius, motibus hiſce convulſivis, dolor acceſſit valde ſenſibilis, corporis laſſatio, cordis anguſtiæ, & quædam etiam timendæ lipothymiæ indicia. *Q*uamobrem cum animo dejici conſpicerem amantiſſimum mihi D. Patientem, & neſciò cujus eventuri mali ſollicitudine vexari vehementer; miſertus ejusdem, quid, quod ſolatio poſſet eſſe, conſulerem, anxiè conatus, reperi tamen undique nihil. Omnium enim rerum penuria conſilium vel non admittebat, vel admiſſa fruſtrabatur. Dum igitur ille doloribus, ego comiſeratione, curis ambo diſtrahimur, neſcio quo caſu lumen, quod pernox alebamus, extinguitur. Laboratum itaque certatim ab ambobus, nam ita ſuadebant lubricæ affectûs circumſtantiæ, ut excitaretur novum. At comodo ſuo, meoque plurimo cum gaudio præventus à D. Patiente fui. *Q*uandoquidem quàm primùm odorem, vel effluvium illud ſulphuris corpuſculare perceperat, & bono Genio ſic diſponente nonnihil hauſerat copioſiùs, ſingultus in momento ſubſtitit, ceu difflatus luminis inſtar, aut exterſus velut uno tractu macula. Reſiduum noctis deinceps dormitum placidè, ſuaviter, & cum plena virium receptione.

SCHOLIUM.

Libuit ſanè poſthac quandoque mecum perpendere, quorſum referri commodè poſſet effectus tam ſubitaneus: utrum in vim *S*ulphuris balſamicam, an verò vehementer inciſivam quam ſulphuri tribuit Helmontius, & excellentem quidem, quando gloriatur, viro cuidam vulgari vitam ſe conſervaſſe per annos quàmplurimos, ſolo ſulphuris oleo ſeu ſpiritu, quem certâ quadam ipſum enchireſi conficere docuerat: hanc quotidiana nobis exhibet experientia, in thoracis, pectoris, pulmonumque vitiis: quæ fatentibus paſſim Medicis, lentori cuidam, tenacique cruoris viſciditati natales ſuos debent. Fortaſſis non ineptè quis utrique retulerit ſcin acceptis. *Q*uando

 do

do quidem enim D. Patiens aliquot antea diebus eſui fructuum, caſeo, piſcium quoque ſalſorum indulſerat juſtò plus, & eodem ipſo veſpere, quo poſthac jam enarrata paſſus erat ſymptomata, in aëre frigido diutiùs deambulaverat, proindeque cruorem in motu, fortaſſe ſtomachum in officio ſuo turbaverat; veriſimile eſt, corpuscula ſpiculoſa, quibus ſulphuris fumus conſtat, cum attracto aëre recepta, cruoris viſciditatem, ut eorundem eſt penetrantiſſima vis, citiſſimè diſſipaſſe; balſamica verò membranulas oeſophagi calore ſuo ſuaviter ſubiiſſe, hærentes in iiſdem frigido-acres particulas complexa, hoſpitio ſuo dejeciſſe, ſicque vellicationes in membranulis, cumque vellicationibus etiam motus convulſivos detruncaſſe. Conjecturam hanc alia quædam ſuccollat experientia, in famulo meo poſt aliquot deinceps menſes obſervata. *P*oſtquam enim fructus horæos & avidius & copioſiùs devoraſſet, frigidamque levandæ ſitis gratiâ bibiſſet deſuper, ocius quædam in ventriculo lancinatio, paulo poſt ſingultus fuit ſubſecutus: duraveratque, priusquàm animadvertebam, per horæ circiter quadrantem. Tum ego memor præſentaneæ in Amico mutationis, cupidusque ſcire, num vim contineret euporiſticam accenſi ſulphuris fumus in hoc affectu, famulum aliquot ſulphurata fila accendere, fumumque ore excipere juſſi. Ubi confidenter aſſerere poſſum, etiam hac vice ſingultum ſubſtitiſſe, tametſi non tam momentaneè, quàm antehac: verùm intra ſpatium quo recitari commodè poterat Pſalmus *De profundis*. Quænam hujus cauſa ſingultûs extiterit, clarè ſatis exhibuit copioſa ſputatio, paulo poſt ſedationem inſecuta: ſputatio, inquam, lymphæ valde tenacis, acidæ, viſcoſæque, dubio procul ſpiculoſarum ſulphuris particularum adventui cedentis, hoſpitibusque nervoſo generi longè gratioribus ſtationem ſuam commodantis. Utrum autem hujus ſulphurei fumi affluvium eundem ſemper effectũ ſit daturum, ulteriores docere debebunt experientiæ. Siquidem hactenus vel unius obſervandæ nulla mihi prorſus amplius occurrit occaſio.

OBSER-

OBSERVATIO CCLXXXIX.

Dn. P. UDALRICI STAUDIGELII.

De vomitu chronico ſimul & periodico.

INter curioſores, quas vel legere, vel annotare mihi licuit, phyſicas obſervationes, ſequentem arbitror eſſe quoque numerandam. Erat viduæ cuidam in pago Türggenfeld filius, annos ætatis, quando adducebatur ad me, circiter quindecim numerans. Hic quam primùm ſol Zodiacum emenſus, remetiri cœperat eundem, quod fieri quotannis ſolet 22. vel 23. Junii, vomitibus infeſtari cœpit; mitioribus per tres aut quatuor ſeptimanas; vehementioribus poſthac, quo nempe longius receſſerat à termini puncto ſol. Eratque notatum à Matre, vomitus filio faceſſiſſe moleſtias multò majores, quamprimum vel panes vel alios cibus coquere neceſſe erat ex noviter collectis terræ frugibus; aut ex iisdem confecta recens farina. Tum enim dies abibat propemodum nulla, qua non, vel mane relicto lecto; vel veſperi, cubitum iturus vomitu rejicere debebat, ſubinde materiam viſcidam, & tantisper acidam: ſubinde limpidam, attamen à citrina bile modicè tinctam. Durabat autem hæc vomendi neceſſitas ad 21. Decembris usque, ab æſtivali ſcilicet ad hyemale ſolſtitium. Interim dejici conſueverat appetitus, cum appetitu vires, emaciarique toto corpore. Præterlapſo ſolſtitio, ſponte ſua ceſſabat vomitus; & eodem, quo deceſſerant, ordine redibant appetitus, vires, habitus corpori priſtinus, verbo ſanitas. Quantumvis dici non poterat totalis; eo quod continuò remanſerit quædam circa pectus & ventriculum compreſſio, modica tamen, & absque dolore, aliaque quavis incommoditate. Sed enim, quoniam anno nonageſimo quarto ſupra milleſimũ ſexcenteſimum enarrata ſymptomata filium urgebant ſolitò crudelius, ut non ſolum agere vel laborare potuerit nihil; verum etiam ut plurimùm adhærere lecto coactus fuerit, deſolata mater remedium à me non tam petiit, quàm extorſit. Metuens etenim, ne deſcriptus affectus ex illis eſſet, quos Theophraſtus aſtrales appellat, & ipſiusmet opinione difficulter admodum

era-

eradicabiles; aliquam dare medicinam diu recuſavi: partim quod affectus ſcenam ſuam jam per integrum luſerat ſepteñium; partim etiam, quod quam plurima remedia, non ſolùm à variis tonſoribus & agyrtis coëmpta, ſed etiam à duobus præſtantibus Medicis præſcripta filio præbuerit, fruſtra ſemper & absque ulla valetudinis emendatione. *Q*uid enim expectandum erat mihi, præterquam eædem querelæ, quas apud me mater dolenter effudit in tot irritorum medicamentorum authores? Credideram, ſatius eſſe & animo jucundius, absque medicinis mulierem dimittere, quàm ejusdem fruſtratarum expenſarum querimoniis conſcientiam onerare. Verùm armatis demum precibus cedens, lacrimis videlicet, portionem aquæ benedictæ Rulandi dedi, cum certis quibusdam aromatibus irradiatæ, filio, mane jejuno ventriculo præbendam: adjectis quibusdam herbis ſtomachicis, vino & aceto incoquendis, ventriculoque cum binis ſacculis alternatim imponendis. Poſt menſem rediit mater, filium ſecum habens; narravitque, potiunculam operatam fuiſſe propè nihil (ſic judicare, ſic plerumque loqui ſolet plebs ruſtica, niſi plauſtratim evacuent medicamenta, ipſaque propemodum rapiant ſecum inteſtina,) ſubſtitiſſe tamen à ſumptâ, vomitum: agique nunc cum filio bene, niſi quod à triduo rurſus diminuatur appetitus; creſcat autem apud ſe timor, ne redeatur in antiquam ſylvam. Conſideratis itaque pueri viribus, ejusdem aquæ denuò dedi doſin, ſed auctam in quantitate: pulverem item ſtomachcium Birkmanni, cum pelliculis ſtomachorũ gallinæ ſubtiliſſimè pulveriſatis maritatũ, oleum deniq; ſtomachale Cratonis inungendum exteriùs: datis pro ſervanda dieta neceſſariis monitis. Jam quid? ut ut etiam ab hac aquæ ſecunda doſi puer vomuerit admodum parùm, vomitus tamen hactenus tam pertinax fuit ſublatus, & emanſit conſtanter, ſicque ſervatus Matri ſuæ filius unicus. Licuit eundem duos poſt annos cernere vegetum, vultu floridum, totoque corporis habitu rotunde pinguidulum.

(Exhibita Auguſtæ Vind. d. 29. Decemb. Anno 1698.)

OBSER-

OBSERVATIO CCXC.

DN. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.

De Phænomenis quibusdam circa gravitatem aëris, rationibus ſimul expoſitis, cur mercurius in Barometro aſcendat cœlo ſereno, deſcendat autem pluviô.

Anno, quem agimus MDCIIC. ſub initium menſis Novembris iter cum *Sereniſſimo atque Potentiſſimo Electore Palatino, Domino meo Clementiſſimo Viennam*, ſecundo Danubio feci. In itinere, curis vacuus attentè conſideravi nebulam, diviſim hinc inde in convalle ante ſolis ortum apparentem, quæ eodem oriente non quidem diviſa, ſed ſenſim diſcuſſa fuit & ita diſſoluta in aëre, ut quæ ante caliginem oculis offuderat, nunc ſpectantibus nobis inviſibilis magis magisque tenues evanuerit in auras. Hujus phænomeni rationem altius perpendens, eandem eſſe exiſtimavi, quam in urina, quæ ſalibus referta frigore turbatur, in calidam autem immerſione inclareſcit iterum. Nimirum atmosphæram variis effluviis & terræ vaporibus refertam eſſe perpendens, facile perſpexi, eadem effluvia aëre ſereno ita recipi poſſe ſpatiis intermediis atque diſſolvi, ut non appareant amplius neque in ventos incurrant, quemadmodum corpuscula ſalina in urina calida æqualiter diſſolvi & poris laticis ita recipi videmus, ut lucis radios non impediant, quin illibatos transmittant. Quacumque autem ratione loculis ſuis & ſpatiis intermediis pelluntur, aut ſcheſin ſuã amittunt, ſive agglomerentur ſive turbentur alias, lucis quoque radios intercipiunt, & ita medium, ſeu liquorem ſeu aërem turbidum reddunt. Hæc mecum penſitanti & aliud ſuccurrit phænomenon, cujus ratio inter viros doctos & Collegas hactenus agitata fuit eruditè: *qui* nempe *fiat, ut mercurius Cœlo ſereno in Barometro aſcendat in fiſtula, deſcendatque turbido, nebuloſo?*

In aëre nimirum ſereno perfectam ſupponere licet diſſolutionem particularum atmosphæram conſtituentium, & ita invo-

lutarum, ut lucis radios minimè impediant, ſed illibatos tranſmittant: Factâ autem quacumque mutatione aëris, contingere, ut corpuſcula aëre ſereno optime diſſoluta conglomerentur aut præcipitentur, in turbido, & (ad modum ſolutionis merc. in aqua forti, vel auri in aqua regis) fundum petant graviores, non ſine conturbatione medii liquoris; unde aliter fieri non poteſt, quin, dum fundum petunt & ſubſident graviores, ſupernatantem liquorem leviorem quidem ſed turbatum relinquant. Idem de urina hominis, ratione ſalium innatantium, & aliis metallorum ſolutionibus contingere ſolet.

Exinde diſcere licet, cur cœlo turbido, nebuloſo, & craſſo deſcendat mercurius in Barometro, quia præcipitatis corpuſculis ex atmoſphæra verſus terram gravioribus primo fundum petentibus, reliqua aëris columna levior facta minùs gravitat, nec tantopere ſuperficiem merc. in vaſculo appoſito premit, unde elevatur hæc, deſcendit autem mercurius in fiſtula. Contrà cœlo ſereno, receptis iisdem aut aliis, atque, ut antea, diſſolutis, gravior neceſſariò evadit Columna aëris, magis proin premit ſuperficiem mercurii in vaſculo, unde quantum hîc deprimitur, tantum aſcendit neceſſariò in fiſtula; adeo *ut Cœlo ſereno gravior, levior autem turbido exiſtat* (contra opinionem vulgi) *aëris incumbentis columna.* Gravior autem vulgò videtur craſſior aër & nebuloſus, quatenus non tam congruus eſt reſpirationi, neque ſanguinem ita attenuat, uti ſerenus, quo omnes vegetiores eſſe ſolemus, propter ſanguinem optime ſolutum, attenuatum & circulationi aptum redditum.

Difficultas autem hîc manet, quî contingat, ut cœlo adhuc ſereno deſcendat nonnunquam mercurius, & ita diuturniorem tempeſtatem præſagiat, & vice verſa? Cùm autem difficultates rem ipſam non tollant, etſi ratio earum obſcura videatur, dici tamen poteſt, mutationem jamdum in aëre contingere & præcipitationem vel deſcenſum graviorum particularum, antequam Cœlum conturbetur, id quod hariolari licet ex volatu avium, præſertim hirundinum ſuper fluminum ſuperficiem, cimicum, culicum & pulicum morſibus, tunc præſertim infeſtantium; quæ quidem animalcula & plura alia venturam præſagiunt tempeſtatem, antequam Cœlum conturbetur aut nubila appa-

reant,

reant, de quibus *Doctiſſimus Lentilius* Colleg: Curioſ. Anno VI. Decad: II. pluribus & eruditè commentatus videri poteſt de *Calendario ſauciatorum perpetuo.*

OBSERVATIO CCXCI.

DN. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.

De experimentis circa Motum projectorum.

DE projectorum motu multus mihi jam olim ſermo fuit cum viris eruditis; nec parum difficultatis occurrebat, quocumque me vertebam: tandem verò incidens in *Stalir Phyſiologiam novam experimentalem*, veritatem aſſecutus mihi quidem videbar. Nec enim dubitare ſinebant experimenta, quæ absque hæſitatione adducit, non minùs accuratè peracta, quàm excogitata ſapienter, quibus omnem impulſionis vim aëris inſequentis virtuti elaſticæ tribuit, uti fuſius Section. xvii. de motu in recipiente pag. m. 600. videre eſt. Quod autem verum eſt, meum eſt, & falſitates, quæ irrepunt in philoſophiam naturalem redarguiſſe juvat. Nec. enim aſſequi poteram rationem, qua projectorum motum, juxtà ſuam hypotheſin continuari perſuaſum habet vir Clariſſ: Tandem ad experimenta me converti, ut veritatem diſcerem, in quo quidem opere egregiè adjutus fui ſingulari munificentia (quàm publicè deprædicare liceat) *Sereniſſimi atque Potentiſſimi Electoris Palatini, Domini mei atque Muſarum Favitoris benigniſſimi*, qui dono nobis dedit Antliam pneumaticam, qua accuratiorem & perfectiorem noſtra fortè non vidit ætas. Hinc arcubaliſtam affabre factam comparavi, rite intendi arcum, & unà cum ſagitta ita diſpoſui in antlia, ut moto verticillo ſagittam ejaculari poſſem pro arbitrio. Aërem exantlavi quoad ejus fieri potuit; mox verticillum verti ad ejaculandam ſagittam, quæ tanto impetu projecta fuit, ut allidens ſuperiori concavitati recipientis reſilierit cum impetu. Iteravi experimentum præſentibus abhinc Curioſis, eodem cum ſucceſſu, idemque ſpectare fuit phænomenon. Nulli quidem malè imprecatus unquam fui; vel-

lem tamen, ut cautius agerent Curioſi, nec inferrent, nec irrepere ſinerent in rem literariam falſa pro veris, cum magno ſcientiarum impedimento, contra intentionem Candidiſſimorum Virorum, Carteſii, Verulamii, &c.

OBSERVATIO CCXCII.

Dn. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.

De Experimento circa motum elaſticum ſeu effervescentiam acidularum in antlia pneumatica.

EAdem hæc antlia aliud nobis exhibuit phænomenon, in praxi forte haud inutile. Varias, juxta ſimplicem fontanam poſui ſub recipiente vel campana vitrea in antliæ diſco aquas medicatas, Aquisgranenſem ſcilicet & Anthonianam, quæ mihi tunc temporis ad manus erant. Illa, Aquisgranentis ſcilicet, æque atque fontana poſt longam aëris extractionem vix notabiles emiſit bullulas; hæc autem, Anthoniana, extracto aëre in veras deſpumavit bullas, inſtar aquæ bullientis, non minores atque ſpiritus vini in antlia, extracto aëre emittere ſolet. Inde nempe didici particulas activas & elaſticas longé plures continere aquam Anthonianam, quàm fontanam aut quamvis aliam. Cumque ſæpius contingat, ut pro majori humorum viſcidorum, in motu ſegniũ atq; torpidorũ diſſolutione & activitate elaſticæ & in motu celeres requirantur particulæ, opportunas admodum Anthonianas, aut hiſce ſimiles credidi aquas, & reapſe tales expertus haut ita pridem fui in *Sereniſſimo* quodã, qui diu langvuit, variasq; paſſus fuit afflictiones generis nervoſi, aut acidi, aut viſcidi, circulationẽ lymphæ retardantiũ vitio; potatis Antonianis & quotidie, in lecti calore, copiâ ſatis magnâ ingeſtis, tantum inde percepit fructum, ut omnibus liberatus ſymptomatibus, ab eo tempore in hunc usque diem ſanus & incolumis vixerit. Etenim cum Anthonianæ, particularum ♂ lium multum contineant, quas aëris concentrati copiam in ſinu continere ex fervida, quam cũ acido quovis inire ſolent Martialia pugna & effervescentia col-

colligere licet, cum acido ſanguinis & reliquorum humorum commixtæ infringere hoc, invertere, inſimul in libertatem vendicatæ aëreæ majorem humoribus motũ & activitatem conciliare ſolent; id quod eò certiùs & faciliùs præſtant, quatenus aquæ immixtæ particulæ Martiales cum fluido univerſo corporis intimè commiſcentur, cum qua totum corpus & penitiſſimos ejus receſsûs perluunt, particulas concretas, ſimul cum his obſtructiones ſolvunt, glandulas atque ſubtiliſſimos tubulos atq; canaliculos eluunt; ſalia peregrina, ubi obvia abſorbent & ſecũ per organa excretoria vehunt, maſſã ita ſanguinis peregrinis ſalibus exuunt, liberant, & incolumitatẽ corpori atque valetudinem afferunt. Idem commodum fortè ex præcipitantibus & alcaſicis, margaritis, Corall: lapill. 69. &c. exſpectare licet, quæ particulas multas continent elaſticas & aëreas concentratas, tunc demum conſpicuas & evidentes, quando acido quocunque diſſolutæ in libertatem ſuam vendicantur: Id quod ſucci acidi in corpore noſtro æquè præſtare queunt, particulas activas, fermentativas & elaſticas liberare, & ita majorẽ humoribus motũ & libertatẽ conciliare, non ſine viriũ incremento, id quod ſuaviùs ſuccedit & ſubtilus, infundendo humoribꝰ æthera, fermẽtationẽ vitalẽ juvantem & augentẽ, quàm volatilibus, plus nimis tumultuantibus, craſin fortè ſanguinis nonnunquã diſſoluentibus atq; mixtionem turbantibus, niſi in iis, qui fortiori ariete opus habent, quales ii ſunt, qui in craſſo aëre nati, crudiori & craſſiori victu utuntur.

OBSERVATIO CCXCIII.

Dn. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.

De Experimento circa motum muſculorum.

IN originem & progreſſum vaſorum lacteorum inquirens olim, canem inter ſecundam & tertiam coſtarum notharum acũ longâ filum craſſius ducente trajeci, ut ligarem ductum thoracicum, & ita chyli progreſſum interciperem, ſpe fretus fore, ut turgerent vaſa undique lactea, & ſuo candore incurrerent in oculos evidentius. Conſtricto itaque vinculo fortiter ſupra ſpinam dorſi, canis claudicare, mox pedes poſteriores poſt ſe raptare cœpit. Miratus rem inexpectatam,

ſubiit cogitatio, aortæ deſcendentem truncum unà comprehenſum atque ligatum fuiſſe. Aperto abdomine vaſa lactea vix apparuerunt.

Ad alia dum properabam ego, philiater quidam curioſiùs examinando vulnus, obſervavit, infra aortam tranſiiſſe acum, nec comprehenſam vinculo nec conſtrictum fuiſſe aortæ truncum mihi retulit. Dubitare hinc cœpi, annon & alii, qui ligato arteriæ deſcendentis trunco, partes poſteriores motu privari perhibuerunt, falſi fuerint, credens aliam fortè hujus phænomeni ſubeſſe rationem. Dubium hoc alio conſtitit Cane, cujus lautè paſti abdomen patefeci, luſtraturus vaſorum lacteorũ originem: mox aortæ deſcendentis truncum accuratè ligavi, inteſtina repoſui, & abdominis vulnus aliquot suturis conſui, canemque dimiſi languidum: vix pedibus is conſtitit; mox anterioribus nixus, poſteriores vix movere potuit, tandemque poſt ſe raptavit reſolutos. Reſolvi iterum abdominis nexûs, & filum abhinc, quo aorta conſtricta fuit; vulnus abhinc abdominis denuo conſui, Canemque dimiſi, qui ſenſim ad ſeſe rediens, pedibus anterioribus conſtitit primò, mox poſteriores movit, tandemque iisdem conſtitit, & ut antea inceſſit: unde didici verum eſſe experimentum, quo dicunt motum poſteriorum pedum, ligatâ arteriâ aboleri, non autem, quod ſanguis arterioſus neceſſariò ad perficiendũ motum requiratur certus fui. Alio enim tempore cum medico haut ignobili in ſimiles diſputationes incidens, qui negaverat ſpiritûs in nervis, omnemque virtutem in muſculis arterioſo adſcripſerat ſanguini, ligavi ramum iliacum parte, quâ divaricata arteria in poſteriores abit pedes: manſit nihilominus motus ejus pedis intemeratus & canis inceſſit eodem, uti altero pede. Unde cogitare cœpi, annon pulſatio arteriarum, nervos undique & inſeparabili conſortio comitantium, id agat, ut cum calore tum motu influxum fluidi per nervos promoveat, quâ impeditâ, non mirum & hunc ceſſare & per conſequens muſculorum motum. Cumque ligatâ arteriâ crurali reliquus nervorũ ductus ad extremum usque pedis non tam longus ſit, quin ſpiritûs animales, etiam citra arteriæ pulſationem eò pertingere poſſint, fieri potuit, ut motus pedis, ligatâ crurali integer, abolitus autem fuerit ligatâ penitus a-

ortâ deſcendente. Saltem id hac vice innuere volui, multa requiri, antequam veritates ſtatuantur in œconomia animali, quibus incertis non mirum eſt errare, quotquot hiſce ſuas ſuperſtruunt opiniones.

OBSERVATIO CCXCIV.

Dn. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.

De Animalium & inſectorum variorum excretione per os.

DAvidis *Thummeyer*, militis in exercitu Electoris Palatini ſtipendia merentis filia XVI. annorum, pro ætate ſatis adulta & pleni habitûs, nata Bredæ in Batavia XIV. annos vixit; jam olim infans adhuc, ex matris mamma pendens vim aſcaridum excrevit cum alvinis fœcibus: tormina ventris paſſa dicitur primo ætatis anno, & ſubinde talia modò in abdomine, modò circa ſtomachum perſenſit; lumbricos nonnunquam excrevit, ſed rarô. Sexto ætatis anno abdomen protuberavit ceu tympaniticum: multa aſſumpſit purgantia, nec tamen imminuebatur abdomen; multa quoque contra lumbricos adhibita fuerunt remedia, ſed fruſtra. Ante novem has ſeptimanas circumforaneus quidam dedit ipſi Balſamum nigrum, qui Terebinthinæ oleum ſpirabat, ad gutt. XVI. mox abhinc lumbricos circiter XL. per gulam aſcendentes, per os reddidit vivos: aliquoties adhuc eodem die ſumpſit de prædicto Balſamo, & ad quingentos toto die excrevit citra vomitum, nec niſi ſimplici exſpuitione. Per ſex ita continuando dies, quotidie vim vermium per os, nec niſi unum per alvum excrevit. Octiduo abhinc alius generis vermes, quinquaginta circiter, medium digitum longos, & digitū craſſos per os reddidit. Modò à menſe Heidelbergæ degit in Arce, ubi parens ſtipendia meretur; ſedecim cochleas vivas, quales in hortis inveniuntur & vineis, teſtis expertes excrevit per os; duos præterea ſcarabæos cornutos, oblongos, flavos aut fuſcos iis ſimiles, quos vulgò Ohren-Wurm vocare ſolent, inter exeundum vellicârunt gulam & ita vulnerârunt, ut ſanguinem ſpuerit puella: ab-

abhinc alios digitum longos, vix acum craſſos, cruſtâ durâ obductos excrevit vermes, poſtea erucas piloſas numero decem, hinc papilionem alis albicantibus, vivum; denique millepedes, ad centum, omnes vivos & obrepentes, comitantibus omnia hæc animalcula lumbricis vivis; & hæc omnia ex propria puellæ confeſſione annotavi. Neque vomitoriis, neque purgantibus quicquam horum excretum, nec niſi ſpecificis adhibitis remediis, ſponte aſcenderunt per gulam in os.

Die XXVII. Octobr. M. D. CIIC. Weinhemium, ubi tunc temporis Aula Palatina commorabatur pervenit. Vegeta apparuit, habitu plena, in opere muliebri aſſidua: aſtuta & garrula, ventrem autem durum habuit, tenſum & protuberantem ceu tympanitica. Die XXVIII. dedi pulverem ex Rad. Jalappæ: ☿. dulc. cum ſyr. flor. Perſicor: purgata inde fuit, ſed vermium aut animalium nihil excrevit.

Die XXIX. ſumpſit pulverem anthelminticum ☿lem cum anaricantibus mixtum; poſt meridiem circiter tertiam tres prorepſerunt Cochleæ, quas attulit, quasque ſpectavimus in charta exporrectis corniculis ſeu antennis obrepentes.

Die XXX. continuavit pulverem, ſenſit tormina ventris, rugitum & cardiogmum, nihil tamen dictorum excrevit.

Die XXXI. Octobr. Teredinem, albicantem, Capitulo rufo à ſumpto pulvere excrevit: ventrem duriſſimum deprehendi atque tenſum.

Die 1. Novembr. Poſt prandium excrevit Cochleam repentem in charta unà cum lumbrico &c. Abhinc profecti iter Viennam fecimus, indeque ſub finem anni rediimus; ipſa autem puella Aulam ſecuta Duſſeldorpium pervenit, ubi melius ſeſe habet, & hactenus parum dictorum excrevit; de quibus in poſterum pluribus.

(Düſſeldorpio Auguſtam Vind. die 30. Decembr. A. 1698. miſſæ.)

OBSER-

OBSERVATIO CCXCV.

D. JOH. ABRAH. MERCKLINI GEORG. ABRAH. Fil. & Nep.

De Melancholia Hypochondriaca, cum horrendis tentationibus & inſidiis diabolicis.

QUantas inſidias, quot technas & fraudes, ille mille modis nocendi artifex, ac infenſiſſimus humani generis hoſtis, Satanas, ex indultu divino miſeris Mortalibus ſtruat paretq;, tot Obſervationum myriades, & earum abominabiles plerumque, rariſſimè felices teſtantur eventus. Ultimi ejusdem commatis Hiſtoriam, heic recenſere liceat.

Laterarii Schwabacenſis Filius, Joh. Heinr. Mangoldt, annorum xviij. temperamenti ex cholera melancholici, in Schola, ut vocant, triviali, ad Spiritum Sanct. primæ Claſſis Diſcipulus, elapſo abhinc dimidio & quod excurrit Anno, Menſe April. 1698. in febrem incidit malignam, à quâ, mediante V. S. in dextro brachio, & Medicamentis appropriatis à me adhibitis, brevi priſtinæ reſtituitur valetudini. Decurrit præfatum temporis ſpatium, cùm veſpertinis nonnunquam horis, Murem domeſticum majorem, vulgò Rattum vocatum, baculum cum folio Chartæ anterioribus pedibus tenentem ſub ſcamnis oberrare, ſibi totus perſuadet.

Poſt duas aut tres hebdomadas, extra civitatem in hortum, prope Portam, vulgò vor dem Thürgärtner-Thor/ quem tum temporis Reverend. Dn. M. Holweg inhabitabat, informatum ſe collaturus, â regia, quod ajunt via deflectit, & ad pontem, Portæ dem Haller Thürl / vicinum, omnia alia cogitans pervenit; ubi proceræ ſtaturæ hominem, lugubri habitu amictum, obvium videt, qui, propius ad ipſum accedens, in hæc erumpit verba: Mangoldt! quid tu hic rerum agitas, annon forte in Pegneſum fluvium te præcipitare geſtis? ecce! nil gravius Tibi eveniet, quàm libro; his dictis, Hornei Logicam, quam Juvenis manibus volvebat, vir apprehendit, eam-

que in aquam projicit. Miſer ille, obtemperaturus, palliolum ligulâ ſuâ ſolvere allaborat, eò facilius undis ſubmerſum iri ratus. Jam ipſo vero momento, quo ſe præcipitem dare volebat, forte fortuna retroſpicit, Hoſpitam ſuam, Typographi conjugem contemplatus; quæ manu illum prehenſum: *Quid*, amabo, moliris, inquit? domum meam te conferas velim. Morem Juvenis gerit. Limina ædium cum Patrona vix ingreſſus, ad ſe redit, celeri paſſu ſcalas aſcendit, Hoſpitæ totam fabulam gemibundus exponit; hæc in admirationem & ſtuporem rapta, ne pedem quidem hoc ipſo die extra limina poſuiſſe, juratis verbis conteſtatur, quo reſponſo, miſer præ timore perhorruit.

Haud multum poſt, hoſpitium mutat, victum aliunde petens, unà cum alio Condiſcipulo; quid fit? exactâ vix ſeptimanâ, horâ xi. pomeridiana, ipſi in Muſeo ſoli libris operam navanti, idem præfatus vir, lugubri habitu indutus, à latere ſtat, ingens marſupium, Ducatis aureis & Imperialibus turgidum, in menſam diſpergit, pollicitus, ſe hoc omne, acceptâ ſyngraphâ, Diſcipulo in donum daturum. Ille, calamum arripiens, ad ſcriptionem ſe componebat, cui Tentator, retractâ manu, cave, inquit, pennam atramento, quin proprio potius ſanguini immergas. Abnuit Tentatus, ſimulque præ conſternatione dulciſſimum Nomen JESUS! voce exprimit, ad quod Diabolus magno cum ſtrepitu, & intolerabili fœtore aufugit. Ab hoc tempore, quiete & abſque ullis tentationibus ducebat vitam, quapropter de nullo amplius malo ſibi metuens, Sacrâ uti Synaxi, apud animum concluſerat. Proximo autem ante confeſſionem Veneris die, circa veſperam, ſolus domum reverſus, ecce! ad fores muſei, eximiâ facie egregiaque forma virginem, quæ feſtivo ſermone: Fallor? an Mangoldum, aut Goëbelium (ſic nomen erat Condiſcipuli) compello; Cui ille, ſummâ ex timore modeſtiâ regerebat: Mangoldus ego vocor; ad quod Virgo, amabo, inquit, interea in muſeum me recipias, donec is, quem exſpecto, advenerit. *Promptè* petitioni annuebat Juvenis, reſerabat januam; humaniſſimè illam introducebat, & collocabat ſedile. Tentatrix de aureis catenis & annulis ſermones miſcere, illud quod collo portabat monile aureum, maximi pretii deprædi-

care,

care, ut Juvenis ad eam propius accedendo, artificioſum laborem accuratius contempletur, perſuadere. Formæ nitore pellectus Juvenis, catenam manibus attrectat, laborem ſubtilem admiratur, ac intra mammas, quas meretricum more ſeminudatas oſtendebat, pretioſam Gemmam obſervat. Interrogatus ab ea, quodnam genus Segmentorum & ille maximi faceret? reſpondit: ſe harum rerum rudem prorſus ac ignarum eſſe, & (quod neſcio quo caſu ipſi in mentem incidit) ex ſuccino confectum Monile aureis anteferre, quô auditô, torvo illum excipiebat vultu, exſpuendo dicens: pudeat loqui hæc talia, cùm ne odorem quidem ſuccini perferre valeam. Haud morâ à ſedili ſe levat, cauſans, non adventurum amplius, quem expectaret, ſimulque rogitat, ut eam Juvenis per plateas comitaretur. Miſer, animadvertens, hanc Virginem monſtri quid alere, regerebat: excuſatum me habeas quæſo; noctu enim nec unquam pedem extra limina ponere conſuevi; precando vehementius inſtabat virgo, pollicita, magni pretii Annulum, quem digito remotum monſtrabat, ipſi, ſi precibus ſuis locum relinqueret, in donum daturam. Juvenis, pretioſo dono nec dum captus, conſtanter abnuebat; unde illa appenſum collo Monile dilacerans, unà cum annulo in donum offerebat, Juvenem ſimul manu arctè prehendens, qui, præ metu altâ voce exclamabat: Miſſum me fac per amorem JESU! ad quod virgo extemplo horrendo cum ejulatu, tetroque fœtore poſt ſe relicto, evanuit.

Octiduum incirca poſt, per dimidiam antemeridianam horam ſolus, in Muſeo Exercitium latinum elaborans, fores ſua ſponte aperiri, ac ſuperbiſſimè veſtitas Fœminas tres, cum totidem nobilibus Viris ingreſſos, menſæ aſſidere, ſibi videtur. Singuli marſupium pecuniâ turgidum in menſam collocabant, chartisque attente ludebant. Fœminæ à latere Studioſi ſedentes, ſe omne lucrum ipſi relicturas eſſe ſpondebant, ſi eaſdem cum Nobilibus execrationes ſtrenue effutiverit. Pietate commotus Juvenis, diris hiſce imprecationibus, in Decalogo ſumme prohibitis, irremiſſibile committere peccatum ajebat; Nobiles è contra riſu illum excipientes, Decalogum fabulas continere, omnesque fidem præceptis divinis facientes, ſtultos haberi, impiè aſſeverabant. Deteſtandâ hac ſen-

tentia, miſero obſtupefacto, Sacraque Biblia, quæ manus antea habebat, evolvere intento, nullibi locorum, reperire licuit, id quod animum ſuum adeò excruciabat, ut tandem gemebundus. ô JESU! quis Sacrum mihi Codicem abſtulit, vocitaret; quo audito, Nobiles illi tres, cito citius horribilisſimis maledictis januam petebant. Fœminæ interim, menſæ ulterius asſidentes, receptum lucrum numerabant, fœdus inter ſe ineuntes, pecuniam omnem egeno juveni, acceptâ ab eo Syngraphâ ſuo ſanguine ſcriptâ, dono daturas eſſe. Ad quod ille: JESUS quàm longisſimè hoc propoſitum â me avertat! confeſtim, & Fœminæ diabolico prorſus vultu Juvenem excipientes, oculis ſe ſuis ſubtraxere. Cùm miſer poſthæc ſibi redditus, loco pecuniæ, ſatis magnam quantitatem, veri ſtercoris ſuilli, in tabula cui hoſpites illi diabolici anteà asſidebant, conſpexit; quod ſuillum ſtercus, ne Condiſcipulus mox adventurus, quid interea factum, ſubodoret, è feneſtra projecit.

Ex his terriculamentis, Juvenis, & hoc Domicilium ſibi diutius non conferre hariolatus, tertiâ vice victum & contubernium, tribus cum Condiſcipulis elegit, ut ex continuo horum conſortio, tentationes minus perſentiſceret; ſed & hæc mutatio, ſperatum eluſit effectum: Vix enim per aliquot dies illic commorabatur, cùm idem Homuncio, de quo ſuperius bis jamjam facta eſt mentio, ipſi apparuerat, quovis modo miſerum alliciens, ut in ſententiam ſuam, quæ erat ſubſcriptio proprii ſanguinis, deſcenderet, qua fini chartæ foliolum, cum calamo & forficula, miras inter blanditias ac aureas pollicitationes, obtulit, quibus Tentatus tandem eò dementiæ pervenit, at ſiniſtrum in manu carpum forficulâ leviter vulneraret, calamumque proprio ſanguini intingeret. Divinum autem Numen, in media tentatione devota mente invocatus, loco ſui nominis, ad quod ſcribendum Tentator ipſum impulerat, efficacisſimum illud Biblicum dictum, priori Joh. 1. ℣. 7. *Sanguis JESU CHRISTI &c.* intrepide literis conſignaverat. His tribus ſolùm perſcriptis verbis, atrociſſimo tentator ejulatu, relicto poſt ſe intolerabili fœtore, deceſſit.

Ultimas, hasque vehementisſimas Cacadæmonis inſidias, miſerrimus paucis adhinc diebus ſuſtulit, horâ antemeridianâ

juxta

juxta cùm, tribus Condiſcipulis, præter ſuam exſpectationem, finita claſſe foro pomario obambulantibus, vix muſeum ingreſſus, ipſiſſimus Satanas, formâ ſumme horribili, ignem fundentibus oculis, canino capite, arietinis cornibus, longâque caudâ vaccinâ incedens, Juveni ſe approximabat, ſequentia ſtentorea voce verba fundens: Ecce! Mangoldt, omnem hactenus operam, omnesque impendi technas ac fraudes, quo Te mihi reddam mancipitem, ſed incaſſum omnia. Reſtat, ut ultimò gravem tibi ictum inferam. *Quo* dicto oppoſitum proxime ſcabellum prehendens, tantâ vehementiâ illius capiti illidebat, ut vi ictus, humi proſtratus miſer, ultra dimidiam horam piſce magis mutus, omniumque ſenſuum organo privatus erat, usque dum refocillatis ſpiritibus, timoreque paululum excuſſo, in pedes erectus ſurgebat. Altero ſtatim die, me conveniens, de exquiſitisſimis capitis doloribus conqueritur, & conſilium meum Medicum gemebundus avidisſime expetit.

Atque hæc ſunt, quæ ſæpe nominatus Juvenis, Johan. Heinr. Mangoldt, iisdem ferè germanicè conceptis verbis, ſciſcitanti mihi, cum ſtupore in muſeo juratò retulit.

Curationem quot attinet: poſt adhibita primum *Cephalica V. S. duplicatam* largiter inſtitui juſſi; nimirum *Cephalicæ* ſiniſtri brachii, & *Saphenæ* dextri pedis, ſanguine emiſſo exiſtente craſſo & male olente, hinc ad educendos humores adustos, quos è vultu Ægri colligere, haud erat difficile, fortius ordinavi *purgans helleboratum*, aſſociato Pulvere ex *aperitivis*, *Martialibus* & *chalybeatis*, cum interpolato uſu *Tinct. aperitiv.* Mœbii &c. quibus per integrum menſem continuè uſurpatis, ſanguis grumoſus reſolutus, ſpiritus à peregrinis ideis liberati, animusque juvenis optimè relaxatus eſt; qui etiamnum pancraticè valet, & hilaritate nulli ſecundus, commodisſimum Condiſcipulis præbet Sodalem.

SCHOLIUM.

CAſus huic haud multum abſimilis, præterito demum Anno, in pago Mellingen (in quo hæreditarius Excellent. D. *Kraus*, PP. Jenenſ.) urbi Vinaria vicino, à Paſtore ejusdem loci *M. Frid. Müller*, vulgari idiomate deſcriptus legitur, ubi

Piſcator cancrorum illapſum in naſſas exploraturus, horrendas non minus quàm dictus juvenis invaſiones diabolicas eſt perpeſſus, qui exinde gravi correptus morbo, poſt adhibitum medicamentorum uſum, tandem reconvaluit. Cujus farinæ & is eſt caſus, quem noviſſimè *Excell. Eberhard. Gockelius Med. Ulmenſ. in Tractatu Polyhiſtorico-Magico-Medico-Curioſo p. m. 67. ſeqq.* in Juvene ix. annorum obſervatum recenſet, qui à diabolo ſub Venatoris forma in ſylvis perterrefactus, domum redux, in graviſſimum morbum incidit; Hiſce ſuperaddi poteſt tertius, quem *Perdilectus Parens, Georg. Abrah. Mercklinus, Ducalis & Reip. Noriberg. Medicus in Sylloge Phyſico-Medicinalium Caſuũ Incantationi vulgo adſcribi ſolitorum Caſ. ix. p. 68. ſeqq.* notatum refert, in Puella, quæ, perpeſſis graviſſimis veneficio illatis ſymptomatibus, ab ipſo Satana, vermicelli inſtar jactatata, victrix tandem precibus calidiſſimis evaſit.

OBSERVATIO CCXCVI.

DN. D. IOH. ABRAHAMI MERCKLINI, De Mirabili repertione Styli Chirurgici, qui delituit Ægro inſcio per IX. annos in corpore.

NE præcedens Obſervatio, vel prolixitate ſuâ deterreat, vel ſuâ ſolitudine Lectorem offendat, aliam magis ſuccinctam, Patavii ante biennium unà cum aliis annotatam priori ſubjungere viſum eſt, quæ ſic ſe habet:

Viro plebeio XL. circiter annorum, ante hos novem annos Patavii, *in Prato*, dicto *della Valle*, noctu, *una Stilletata* (ut vocant) inter tertiam aut quartam dextri lateris coſtam infligebatur. Chirurgus cum argenteo Stylo profunditatem vulneris exploraturus, ſtylum ex improviſo mittit è manibus, qui in cavitatem vulneris decidens, oculis uſurpari amplius haud potuit. Hoc cum perſentiſceret vulneratus, Chirurgum ſolicite urget, ut amiſſum ſtylum quovis modo reſtituat, ne quid mali exinde ipſi ſit metuendum. Hic omnibus veſtigiis indagat, ſed incaſſum; unde Ægro promittit, ſe ex ædibus aptiora inſtrumenta apportaturum, quibus mediantibus ſtylum reperiri liceat.

Rever-

Reverſus, inter alia ſtylum ex argento in vulnus prolapſo ſimilimum adfert. Ægroque ſupinum decubitum imperat, diu multumque in vulnere, cum ſauciati maximo ejulatu oberrans. Tandem impoſtor alterum, quem in interula callide abſconderat ſtylum depromens, eundem è vulnere extraxiſſe ſimulat, quem Ægri oculis offert, & vulnus brevi poſt feliciter ſanat. Quid fit? elapſis abhinc tribus annis, præfatus Vir in dextro hypochondrio ingentem percipit dolorem pungitivum, quo cum per duennium ferè vexabatur, quem ſequitur tumor ſenſim auctus, cui diſſipando Emplaſtrum emolliens applicabat, ſpe, fore, ut inde optata ſanitas ſuâ ſponte redeat. Intumeſcentiâ verò indies accreſcente, vehementiſſimo dolore, cum febre continua & arctiſſima retentione alvi correptus, in Xenodochium Patavinum ad divum Franciſcum defertur, hinc cum per aliquot hebdomadas ſuſtentatus eſſet, tumor ad maturitatem pervenit, quem Chirurgus cum lancetta aperuit, ubi effluxâ copioſâ purulentâ materiâ, cuſpidem prominere animadvertit, quo extracto, ſtylum hunc eſſe argenteum, quem incautus Chirurgus ante IX. annos, è manibus dimiſit, Ægrotus ſtatim cognoſcens, totam prout deſcripſi hiſtoriam, narravit, præſentibus Illuſtr. D.D. Alexandro Borromæo, Comiti Patavino, Inclut. Nat. Germ. Artiſtar. Protectori & Medico Xenodochiali &c. me dictæ nationis t. t. Conſiliario, almæque Univerſit. Pro-Syndico, aliisque Med. Stud. tam ultramontanis, quàm ultramamarinis; cùm poſthæc tumor omnis evanuit, vulnus conſolidatum, Ægrotusque priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati.

(*Exhibitæ Norimbergæ, d. 29. Nov, An. 1698.*)

OBSERVATIO CCXCVII.

DN. D. JOHANNIS HENRICI STARCKII.

Hiſtoria anatomica Arietis Hermaphroditi.

ANno 1696. die 19. Decembris circa decimam matutinam Subjectum Ovile, Hermaphroditum, octo annos natum cultro Anatomico ſubjeci, præſentibus nonnullis Medicinæ Doctoribus & Profeſſoribus, ut & Studioſis quibusdam Anatomiæ

&

& Pharmacevticæ. Hic, cum laqueo fauces conſtringerentur, ut ſuffocaretur ſenſim, nobis videntibus (1.) per vaginam uteri reddebat urinam: hanc ſequebatur per eandem Viam (2) humor, albus ſemini ovili non multum diſſimilis. In regione hypogaſtrica, non in medio tamen ejus, ſed ad latera, ubi inguina ſunt, apparebant duo Scrota, turgida, dura & valde ſolida, inſtar bubonum induratorum, qui alias locum ſuum occupare ſolent in utroque femoris flexu. Aſt ſcrotum, quod circa inguen ſiniſtrum ſedem ſuam habebat, magnitudine multum ſuperabat ſcrotum in dextro inguine, & ovum maximum Gallinæ Indicæ æquabat: Figuram autem cordis pyramidalem referebat, â latiori baſi, quæ ejus erat pars inferior lata, deſinens in acumen, quod erat pars ejus ſuperior anguſta: majus tamen erat ipſo corde, quod in hoc ſubjecto invenimus, nullas habebat rugas, admodum tamen diſtentum. Scrotum itidem in dextro inguine, licet magnitudine impar, nec teſticulum virilem excedens, figurâ tamen & cœteris qualitatibus ſiniſtro conveniebat. Nullas enim habebat rugas & diſtentum, eâ erat duritie, ut manus contrectationi nec cederet, ſed reniteretur. In aperiendo abdomine, & cute cum lanâ â panniculo carnoſo ſeparanda occupatis, inter femora occurrebant duæ papillæ, quibus diſſectis lac fundebatur. Poſtquam a. cutis, cum lana & epidermide, ſcrotum conſtituens, â corpore iſto quod in ſcroto continebatur ſeparata eſſet, tam in ſiniſtro quam dextro inguinibus Teſticuli apparebant, in ſingulis unicus. Et quamvis, ut ſupra jam de ſcrotis obſervabimus, ſiniſter dextro major eſſet, uterque tamen ordinariis ſuis tunicis tam communibus quam propriis erat veſtitus, duabus ſcil. communibus & tribus propriis, Communium prima, ſcrotum, nihil aliud erat, quam continuatio cutis, cuticulæ & lanæ his ſuis radicibus implantatæ: Secunda Dartos, erat continuatio panniculi carnoſi, quæ alias in hominibus & aliis brutorum ſpeciebus facit, ut ſcrotum in varias rugas contrahi queat. Propriarum tunicarum prima, aliàs Rubra vel Erythroides, continuatiô erat muſculi Cremaſteris. Sed in ſiniſtro teſticulo muſculus hic craſſiſſimus erat, rubicundiſſimi coloris, â ligamento oſſi pubis annexo ortus, ubi transverſi abdominis muſculi terminantur, per Peritonæi a. productionem delatus, teſtiumque ſubſtantiam ſupergrediens, ſuis membranoſis finibus

bus rubicundis hanc tunicam conſtituebat. Eadem origo, productio & finis hujus muſculi erat in dextro teſte. Secunda propriarum tunica in Teſticulis, Elythroides, l. Vaginalis dicta, ab uſu ſcil. quia teſtes tanquam Gladios inſtar vaginæ includit, continuatio erat Peritonæi, & quod notandum in duas manifeſtas tunicas diviſibilis. Tertia propriarum, quæ Albuginea dicitur, ob colorem maximè album, erat continuatio tunicæ, vaſa ſanguinea ſeminalia cingentis. Remotis teſtium tunicis tam communibus quàm propriis, ipſa ſubſtantia teſtium alba mollis & glanduloſa apparebat quæ nihil aliud erat quàm vaſa ſeminalia ſanguinea, inſtar globi filorum complicata & contexta. Paraſtatæ, aliàs Epididymides, albedine ſuperabant ipſum teſtium parenchyma, nec erant tantum appendices in inferiore teſtium parte, ut Blaſius in Anatomia animalium eas c. 19. p. m. 94. deſcripſit & pag. 406. fig. 7. depingi curavit: ſed duo quaſi corpora candida, glanduloſa; In medio autem teſtium origo earum apparebat, ubi vaſa ſeminalia ſanguinea plexus pampiniformes conſtituentia, teſtium ſubſtantiam valde tortuoſa ingrediuntur, & non ſolum aſcenſu ſuo vaſa iſta percurrebant, ſed totam prætere teſtium longitudinem transverſali aliquâ linea decurrendo & rurſus reaſcendendo, Vaſa ſemen deferentia craſſa conſtituebant, & dum denudabantur, apparebat non tantum propriâ tunica albugineâ â teſtium albugineâ tunica plane diſtinctâ, inveſtita, ſed & ab ipſo teſtium *P*arenchymate ſine ulla difficultate ſeparabantur, utraque albugineâ tunicâ illæſâ. Ortus igitur Paraſtatarum erat ferè circa vaſorum ſemen deferentium originem; Primo mihi videbatur Parenchyma Paraſtatarum nil aliud eſſe, quam vaſorum ſanguineorum ſeminalium Variæ complicationes. Hinc autumo uſum harum glandularum eſſe ſubtiliſſimam ſeminis partem, per varias dictorum Vaſorum complicationes & circulationes quaſi deſtillatam, â teſtibus excipere, eamque ad vaſa deferentia deferre. Ubi igitur finis erat Paraſtatarum, ibi vaſa ſemen deferentia incipiebant, quippe quæ â paraſtatis primum anfractuoſa oriebantur, & poſtea rectiora ſurſum veſicæ fundum tranſibant, ubi hinc inde tres Hydatides occurrebant, quæ diſſectæ lympham profundebant. A veſicæ fundi ſuperiori parte vero rurſus deorſum verſus poſticam veſicæ partem tendebant, & cum veſiculis ſeminalibus manife-

ſtam habebant communicationem, tandemque gracileſcentia circa finem cervicis veſicæ terminabantur. Veſica urinaria in hoc ariete Hermaphrodito parva & plane vacua, & cum ſuperne ejus fundus usque ad cervicis extremitatem â parte anticâ ſcalpello diſſecaretur, apparebant (1) in fine Cervicis veſicæ, ubi ea poſterius recto inteſtino incumbit, duo parva foraminula vaſorum ſemen deferentium, per quæ ſemen ad collum veſicæ deferebatur. Nam ante veſicæ diſſectionem ſecundum longitudinem, cum aqua calida per ſiphonem vaſis deferentibus injiceretur, ea non tantum ad veſiculas ſeminales & ad cavitatem internam cervicis veſicæ, ſed & ad uteri vaginam deferebatur, & cum finem extremum vaginæ uteri externè digitis comprimerem ut aquæ calidæ injectæ exitus prohiberetur, Veſica ipſa urinaria ab iſta aqua calida diſtendebatur. (2) in fine fundi poſterius, ubi veſica urinaria rectum inteſtinum reſpicit, duo alia orificia majora vix digiti ſpatio, ab invicem diſtantia apparebant, ſupra Vaſorum ſemen deferentium inſertiones, & nihil aliud erant, quam ureterum ora, per quæ urina ad veſicam oblique defertur, ſtylum mediocrem ſatis manifeſtè admittentia. In poſteriori Cervicis veſicæ parte, nimirum inter veſicam & rectum inteſtinum, tres veſiculæ ſeminales ſitæ erant, quarum duæ extremum digiti articulum longæ, ex plurimis albis glandulis conglomeratæ, in medio tertiã rotundam continebant, quæ erat corpus magis veſiculoſũ quam glanduloſum. Hinc ſcalpello disſecta lympham quandam profundebat. In colli veſicæ prolongatione & arctatione meatus urinarius ſive Urethra, notabatur, ubi interna colli veſicæ ſubſtantia alba æqualis in rubram inæqualem aſperam & rugoſam mutabatur, forſan à faſciculo fibrarum carnearum rubrarum, ſphincteris munus obeuntium, quod eſt dilatare & conſtringere collum veſicæ pro urinæ emiſſione & retentione. Ubi autem urethræ finis erat, ibi Vaginæ uteri principium occurrebat. Nam à collo veſicæ unicus continuus ductus erat usque ad extremam ejus rimam externam. Hinc veſicæ ab injectione aquæ calidæ per vaſa deferentia replebatur, uti antea dictum, vagina externè digitis compreſſa. Ad latera veſicularum ſeminalium oblongarum in pinguedine reperiebantur duæ Capſulæ valdè renitentes, ejusdem magnitudinis, cum dextro hujus Arietis Hermaphroditi teſticulo. Siniſtra, manu

arctè

arctè comprehenſa, cum ſcalpelli aciem aliquoties eluderet, tandem tamen vi majori diſſciſſa inſtar ſiphonis duas vel tres drachmas lymphæ luteæ magno cum impetu profundebat: ipſa ex variis tunicis erat conflata, quarum interiorem valdè rugoſam & duram inſtar cartilaginis ſenſimus. Aſt capſula in dextro latere ſita, minor erat, tactui non adeo reſiſtens, ſed flaccidior aliquantò: Scalpello diſſecta in ſe continebant humorem album gelatinoſum, inſtar albuminis ovi, propria tunica veſtitum, cujus tamen vix dimidium dictus humor impleverat. Ex diverſis etiam tunicis compoſita erat hæc dextra capſula, tunica tamen ejus interior non tantum rugoſa & cartilaginoſa, ſed & oſſea quodammodo erat. Ego Hydatides inſignes fuiſſe puto, germanicè Schmeltz-Blattern dictas, quas Excellentiſſimus Dominus Wepferus Decur. 1. Anno. 3. Ephem. Germ. obſerv. CLXVII. pag. m. 299. etiam in Ariete Hermaphrodito obſervavit, & ex relatione lanionis exiſtimat eſſe colliquationis effectus. Vagina uteri, per quam Aries hic Hermaphroditus lotium reddebat cum collum ejus laqueo conſtringeretur, externè ſub oſſe pubis, ubi alias ſinus pudoris externus eſſe ſolet, ſita erat, & dum Stylo ejus ductus explorabatur, rectâ lineâ is usque ad rectum inteſtinum quidem percurrebat, aſt ſuperans inteſtinum hoc, aliam lineam ad finem cervicis veſicæ conſtituebat. Hinc cum ſtylus ex veſicæ fundo intruderetur, & cervix veſicæ ſecundum longitudinem ſtyli diſſecaretur, is unico continuo ductu per ſinum vaginæ externum revertebatur, qui ſinus dum ſecundum longitudinem Styli etiam diſſecabatur, communi cum cervicis veſicæ ductu gaudebat. Puto enim initium vaginæ uteri fuiſſe, ubi poſt inſertionem vaſorum deferentium cervicis veſicæ ſubſtantia in rubram, rugoſam & aliquantulum glanduloſam mutabatur, & ubi aliàs uteri oſculum, & ejus cervix eſſe ſolent. Hìc enim oſculum uteri internum, ut & cervix atque cornua uteri plane deerant. Penis ante rimam vaginæ externam duos digitos longus (zwey Zoll lang) tantum prominebat, ut ſi ita erigi potuiſſet, ipſam vaginam intraſſet. Cœterum imperforatus erat, & non craſſior filo, quo textores utuntur in tollendo ſtamine (inſubulum vocant.) Tectus erat exterius præputio valde laxo, & caput, quod glandem vocamus, admodum exiguum habebat; Aries igitur hic Hermaphroditus, ſi ad generationem

aptus fuiſſet, ob ſitum penis vitioſum, averſus cum ove congredi debuiſſet, ſuas nates natibus ovis applicando. Verum non tantum ob glandem non perforatam & ſitum penis præpoſterum ad generationem planè ineptus fuit; ſed & quia glans penis, frenulo exiguo ornata, & ipſum penis corpus, quod externe, ante rimam vaginæ ſub aſpectum cadebat, tam arctè ſpatio iſti, quod inter os pubis & rimam vaginæ externam occurrebat, includebantur, & mediantibus fibroſis nexibus conſtricta erant, ut penis nullo modo ab his impedimentis ſuâ ſponte ſolvi, & liberè erigi potuerit, atque hinc nec vaginam uteri ovis fœminæ intrare. Unde & Opilio, qui curam hujus Hermaphroditi per octo annos habuit, retulit: Dieſer Hermaphrodit habe wohl bißweilen die Schaafe in der Hammelung beſprungen / aber nichts wircken können / doch ſo viel habe er bemercket / daß wenn dieſer Hermaphrodit in der Hammelung die Schaafe beſprungen / daß Reſecken wie ein halber Finger und eines groben horel Zwirns dicke ihm gantz contrar hervor gekommen. Cum autem ſcapello acuto glandem & ipſum penis canalem à ligamentis ſuis fibroſis & membranaceis liberarem, inveni beneficio eorum penem in lineam ſpiralem quaſi contortum (non vero in globum inſtar anguis, ſe contra ictus immunem præſtantis, convolutum, uti ſupra citatus Excell. D. Wepferus in Anatome Hermaphroditi obſervavit.) Diſſectis igitur ulterius fibroſis ligamentis, cum usque ad radicem penis pervenirem, obſervavi penis maximam partem intus circa os pubis abſconditam, & in modum lineæ ſpiralis contortam, adhuc latere, eo modo quo fibræ ſpirales, motum periſtalticum inſtituentes, in inteſtinis poſitæ ſunt. Hinc cum penem totum â ligamentis iſtis planè ſeparaſſem, ita ut ad muſculos ejus, quos duos habebat ſatis manifeſtos, is prodibat ſpitamam longus; ex unico tamen (non duobus) corpore fungoſo, nervoſo, infinitis verò cellulis repleto, & multis arteriolis intertexto conſtans: Per totum autem tractum non erat craſſior digito dimidio. Proſtatæ circa radicem penis, ubi principia ſunt muſculorum tam penis quam recti inteſtini, poſticam verſus vaginæ uteri partem, magnâ diſtantiâ à veſiculis ſeminalibus poſitæ erant, tanquam duæ glandulæ rotundæ & rubicundæ, pruno ſylveſtri minores, quæ diſſectæ, ſingulæ intus

habe-

habebant ſuam propriam congeriem glanduloſam albidiorem, ex multis minimis quaſi glandulis contextam, & planè ab exteriori earum ſubſtantiâ diſtinctam.

Ex hiſtoria autem partium Arietis hujus Hermaphroditi, quam hactenus enarravimus, patet, eum genitalia quidem utriusque ſexus, ſed maxime imperfecta habuiſſe, & hinc utique ex mente Fortunii Liceti, ad monſtrorum claſſem referendum eſſe. Imperfecta autem fuiſſe dicta genitalia maſculina liquet, quia (1) penis ejus fuit imperforatus, atque hinc ineptus ad emiſſionem tam ſeminis quam urinæ (2) corpus penis, qui canalis alias dicitur, ſitum habuit plane præter naturalem, ut nunquam vaginam uteri ovis fæminæ intrare potuiſſet (3) penis ipſe partim ob brevitatem in lineam quippe ſpiralem quaſi variè contortus, partim ob tenuitatem nimiam dum non craſſior fuit dimidio digito. Neque ad concipiendum fœtum aptum fuiſſe apparet, quia præter ſolam vaginam uteri reliqua ſexus muliebris organa, uterus ipſe, internum uteri oſculum, cervix & cornua defuerunt.

OBSERVATIO CCXCVIII.

Dn. D. MATTH. BLAU, De Ecchymoſi oculorum ex vomitu.

PRæterito anno 1697. Religioſus quidam frater Juvenis, D. Placidus Schmidt, Ord. S. Benedicti in Inſulari Monaſterio Augiæ divitis profeſſus, temperamenti ſanguineo phlegmatici jam longo tempore afficiebatur tumore colli ſtrumoſo, fixo, immobili, profundo, inter glandulas & colli muſculos radicato, qui vulgo ein Gotthals/ vocari ſolet: & cum propter aliud accidens â Chirurgo ordinatum ſumpſiſſet vomitorium, inde vomitus aliquot magna & tanta vehementia ſuſtinuit, ut ex forti concuſſione capitis & arteriarum carotidum compreſſione, ſanguinisque in exteriores oculorum tunicas extravaſatione in utroque oculo (tamen absque ullo dolore aut ophthalmiâ ſeu inflammatione) Ecchymoſis ſeu ſuggillatio ſubſecuta ſit, ex qua tota tunica alba adnata, ſivè conjunctiva) quæ alias album oculi nominari conſuevit, omni prorſus albe-

dine diſparente tota rubra & ſublividia fuit conſpicua. Contra hanc oculorum ſuggillationem ſuaſi, ut de ſanguine columbino calide ſæpius aliquid in oculos inſtilletur, & ad ſanguinis ſtagnantis diſcusſionem, præſcripſi potum ex Chamomilla, abſinth. verben. in Aqua & vin. rubr. coctis, quo oculi ſæpius calidè fomententur, & paucorum dierum ſpatio livor & rubedo oculorum prorſus diſparuit, naturalisque albedo ſine relicta macula rediit, contra eundem affectum ex contuſione præſcribit Dolæus ſequens remedium, quod experientia comprobatum, nimirum:

℞. Spir. Sal. Armoniac. ℥ß. matrical. ʒiß. Sal Saturni gr. iiij. Camph. ℈ß. Croc. gr. xv. aq. fænic. Euphr. aa. ℥j. M. de quo aliquid oculis inſtilletur.

SCHOLION.

Ex hac obſervatione occurrit monendum, magna cautela iis, qui tumore colli aut Scrophulis laborant, vomitoria adhibenda eſſe, ne ſcilicet ex vehementi vomitionis impetu, vaſa ſanguifera circa partem afflictam comprimantur, & ſanguis extravaſatus in ſtagnationem abeat, unde graviores morbi ſuboriuntur, ut in præſenti caſu accidit.

OBSERVATIO CCXCIX.

Dn. D. LUCÆ SCHROEKII,

Ex Anatome diuturna alvi obſtructione demortui.

VIr ſexaginta trium annorum, proceræ, toroſæ, robuſtæque corporis conſtitutionis, rei ſaltuariæ & venatoriæ præfectus, ſedulam concrediti muneris curam agens, variis inde aëris injuriis ac corporis laboribus expoſitus, ſanam nihilominus vitam duxerat; cum verò An. 1698. M. Julio ſeſe Jovi pluvio & frigido, officii ratione, multum expoſuiſſet, diætamque laudabilem minus obſervaſſet, raphanis inprimis, pane cerviſiaque tenui contentus, in alvi obſtructionem, quam triduanam ferè ſemper, per aliquot jam menſes, hactenus expertus fuerat, contumaciorem incidit, cum ſubſequo dolore colico; quod incommodum ſub inclementiore cœlo nihilominus negligentius cum habuiſſet, & pilulas catharticas, vehemen-

hementiores impudentis cujusdam medicaſtri bis adſumſiſſet, alvus non tantum occluſa permanſit, ſed dolores etiam immenſum adaucti fuerunt, atque abdomen in tympaniticam molem intumuit. Tandem octavo ab obſtructione die, manè d. 18. Julii ſt. n. meum imploravit auxilium, quod, clyſterem cum repudiaret, leniori evacuante potiuncula ferre, atque feces ita protrudere intenderam, irrito tamen conatu; quare veſperi emollientis enematis injectionem ut admitteret, ipſi perſuadens, non ſolum duriorum aliquot ſcybalorum globulos ejectos, ſed doloris etiam omnimodam ceſſationem impetraveram; poſtero, tertioque die eodem modo procedens, dolores equidem nullos amplius perſentit, nihil autem fecum excrevit, neque etiam abdomen detumuit. Interea vomitus nullus aut nauſea aderat, adpetitus perſiſtebat, quem vero cibis, ne alvum magis obrueret, ſedare nolebat, brodiis & gelatinis carnium contentus, ſitis non magna urgebat, nec vires admodum debilitabantur, quamvis noctes ferè inſomnes transigeret, urinæ parce fluebant, intenſo rubore tinctæ, à ſumto equidem aliquoties pulvere antimonii martiali Ludoviciano, aliquantiſper eundem exuentes, mox tamen iterum induentes.

Hoc periculoſo rerum ſtatu, aliorum etiam Medicorum, videlicet præter Exc. DD. *Vitum Riedlinum*, Prænob. Dnn. *Dürriorum* conſilium, die 23. Julii cum accederet, enematum tam blandiorum quam acriorum uſum, præter ſuppoſitoria, & medicamenta aliqua alia, prout intercurrentes circumſtantiæ exigebant, continuare, atque laxantium ac emollientium exhibitionem repetere placuit, propinato eum in finem Sirupo roſato ſolutivo aureo, oleo amygdalino dulci multo permixto &c. poſtea etiam d. 30. Julii Mannæ electæ in prunorum Damaſc. decocto ſolutæ unciis tribus, fruſtraneo ſemper molimine, quin anxietatibus inde præcordialibus, majorique abdominis inflatione, licet flatus quandoque inferne erumperent, ſemper ſuccedentibus.

Inde, ne quid ad obſtructionem adeo refractariam reſerandam intentatum relinqueretur, d. 25. Julii mane Mercurii vivi depurati unciæ quinque, & veſperi unciæ octo propinatæ fuerunt, atque enema ex ſolo ſeminis lini Oleo expreſſo

preſſo aliquoties adhibitum, abdomini vero cataplaſmate & unguento emolliente proſpectum. Cum autem canalis, quo Clyſter adplicatur, extremitati purulenta aliqua viſcoſitas ſanguine tincta adhæſiſſe obſervaretur, cerea candela exploratio inſtituta, obſtaculum in recti inteſtini principio, ubi colo cohæret, adeſſe edocuit; ipſe etiam ægrotus, per trimeſtre incirca temporis ſpatium, illo in loco, remoram aliquam fecibus exituris injectam fuiſſe, illasque tandem locum iſtum cum penetraſſent, tenuiores, nec uti naturaliter fieri ſolet, craſſiore compage præditas prodiiſſe, quod obſervaverit, tum primo recordabatur; qui ipſe tamen tumor poſt octo circiter dierum decurſum prorſus, excretio autem puriformis non omnimode diſparuit. D. 26. præter repetita enemata ex lini oleo, balneo quoque aquæ tepidæ æger inſedit, & acidulas Egranas loco ordinarii potus moderate bibere juſſus fuit; illud equidem non bene tuliſſe videbatur, virium debilitatem inde expertus; has vero non ſine ſucceſſu potavit, cum urina & copioſior, & minus tincta emitteretur; quamvis hucusque fæcum proditurarum necdum indicium compareret.

Deſperata itaque cum indies magis magisque res obſervaretur, d. 28. denuo Mercurii uncias decem exhaurire ægro libuit, clyſteres etiam modo ex ſolo lini oleo, modo cum raparum oleo permixto, frequenter fuerunt injecti; quibus tandem effectum eſt, ut d. 30. Jul. ſcybala nigra, duriora, in partes quaſi diffracta, in exigua tamen quantitate primo ejicerentur, ſicque poſtea per repetitas injectiones utplurimum continuarent, non ea tamen, quæ deſiderabatur, mole, fœtore tamen ſtercoraceo abominando naribus admodum moleſta.

Eodem die 30. tuſſicula moleſta, ſicca, ſomnum & decubitum valde turbans acceſſit, quam fruſtra variis convenientibus remediis pectoralibus demulcere tentatum fuit, & qua d. 6. Auguſt. ſputum craſſum ac quaſi purulentum copioſe excerni cepit, ſine tamen levamine.

D. 8. Aug. cum pauculis ſcybalis fungulum, capreolinum dictum, quales ante quatuor ſeptimanas comederat, excrevit; ut alvum tandem ſufficienter exoneratum iri, ſpes major adfulgeret, præcipue cum abdomen contrectantibus quandoque mollius appareret: ſimul tamen urina priſtinum ruborem conſtan-

conſtanter reinduit; tuſſis vero, niſi cum decumberet, pacatior facta eſt; vires tamen, quæ hactenus parum imminutæ, ſenſim deficere obſervatũ fuit.

Interea clyſteres oleoſi parum vel nihil porro operabantur, unde alios d. 11. Auguſti ex butyro, melle, & lacte, cui malva & chamæmelum incocta fuerant, immitti curavi, qui multum materiæ viſcidæ, interdum purulentæ, duriora etiam ſcybala paululum liberalius eduxerant.

Die 12. Aug. alvus ſponte plurimas feces limoſas, albicantes, fœtidiſſimas, una cum fungulo capreolino, quales ſequentibus diebus plures alii inſecuti, dimiſerat.

Die 15. Auguſt. Elixiris proprietatis Clauderiani unam alteramque doſin ſumſit, à quo tuſſis remiſſior, ſomnusque pacatior & decubitus tranquillior fuit redditus.

Die 16. Aug. ultima vice mane clyſteris immiſſionem ſuſtinuit, qui tamen uti & præcedente die alii, nihil fecum eduxerat; à meridie tamen alvus ſponte ter ſoluta, feces craſſas albicantes copioſe dimiſit; quales altero quoque die mane, cum immixtis durioribus excrementis, aliisque concoctu difficilioribus, ante plures ſeptimanas comeſtis cibis cum ſecederent, venter etiam mollis atttactu compareret, quin & magna ex parte detumeſceret, majorem rediture ſanitatis fiduciam domeſtici conceperunt; ſed eadem veſpera alvus denuo ſine externo incitamento novies aperta, ſimilem fecum craſſarum, cinerearum & graveolentium ſaburram inſigni in copia evacuaverat; vires tamen inde multum imminutæ exiguam ſpem felicis eventus mihi reliquerant; qua etiam debilitate incrementum d. 18, ſumente, ventre hoc die iterum occluſo, veſperi poſt horam quartam mors, vix advertentibus domeſticis, tragœdiæ finem impoſuit.

Impetrata altero die circa meridiem cadaver ſecandi poteſtate, abdomen mirum in modum intumiſſe deprehenſum fuit, contenta vero in eo inteſtina cuncta inflata, non inflammata, in putredinem tamen proclivia comparuerunt, ut

paulo durius contrectata aliquibus in locis rumperentur; in quibus, præſertim in colo immenſam in molem extenſo, ut & in ileo ingens liquidiorum, immixtis tamen compactioribus ſcybalis, & inſtar amureæ flaveſcentis craſſarum fecum quantitas, aliquot menſuras noſtrates facile excedens, Mercurius autem vivus in dextro hypochondrio, partim in ileo principio, partim in fine ejus, ubi colon incipit, comparuit; cujus tenuis inteſtini parietibus etiam aliquot millia minutisſimorum granulorum mercurialium, partim fulgore ſuo argenteo nitidorum, partim & utplurimum nigricante veſte pictorum, facile inde decutiendorum, adhæſerunt. Hepar, præter cicatricem in parte gibba ſatis profundam, â neſcio quo caſu ſuperſtitem, inſons erat, niſi quod ob ſanguinis, qui paucisſimus in toto corpore reſtabat, nullamque ideo inter ſecandum moleſtiam fecerat, defectum admodum palleret: bilis in ſua veſicula copioſa & naturali colore ac fluiditate prædita ſiſtebatur, nec aliud quid præternaturale occurrebat in corpore. Pulmones equidem lividis in ſuperficie maculis infecti, interne vero ſanis ſimiles comparebant. Tumoris porro in recto inteſtino ſupra notati nullum amplius veſtigium ſupererat.

Tumor autem hic quod primam adfectui huic letali anſam præbuerit, mihi non eſt dubium; qui egreſſuris fecibus obſtaculo fuit, ut ſenſim in fiſtula inteſtinali ſtupendam illam in quantitatem colligerentur, moraque diuturna indurarentur; à quibus dein fibræ carneæ inteſtinales admodum diſtentæ, motum ſuum naturalem libere obire, quo minus valuerint, impeditæ fuerunt, atque excrementa non eo, quo opus erat, robore propellere potuerunt.

Non multum abſimilem letalem alvi obſtructionem, à glandulis nempe recto inteſtino adnatis, in *Ephemeridum noſtr. Dec. 1. Ann. II.* *Obſervat. CXVII.* Nobilisſimus noſter *D.D. Sal. Reiſelius* memorat. Omnimodam quoque talem ſuppresſionem ex abſceſſu inter inteſtinum rectum & uteri vaginam in *dd. Eph. Dec. I. Ann. III. Obſ. CLXVII.*

D.D.

D.D. Joh. Jac. Wepferus, aliamque ab excreſcentia carnea inteſtinorum *Anno. VI. Obſervat. XCVII. D. D. Gott. Chriſt. Winclerus* recenſerit, cum quibus conferri meretur Illuſtr.. *D. D. Georgii Chriſt. Petri ab Hartenfels Obſervatio Anno. II. num. 77.* propoſita.

Ut vero immitis cœli conſtitutio ac ſubſecuta inde corporis perfrigeratio, præſertim fungorum ſucco minus laudabili turgentium, & raphanorum, qui difficilis concoctionis exiſtunt, mane jejuno ſtomacho, veſperique ingeſtorum eſus, juxta cum cerviſiæ non adeo laudabilis potu prægreſſo, facile inteſtina jam antea onerata magis adficere, ſuccorum vitalium motum in vaſis eorum ſufflaminare, & flatibus exitum præcludere potuerunt, ita acriores deglutitæ pilulæ ſuccos ſtagnantes inſuper agitare, fibrasque doloroſe lancinare valuerunt.

Et cum tanta excrementorum copia longiorem inteſtinorum tractum oppleret, non mirum, quæ ſuperne ingerebantur, emollientia, laxantia & blande ſtimulantia, non eo robore polluiſſe, qui tantæ moli propellendæ ſuffecerit, quin eorum operandi potentiam, etiam non ſine fermentatione peractam, ventriculum cum ſuperioribus inteſtinis magis inflaſſe, ſimulque diaphragma compresſiſſe ac ſanguinis motum turbaſſe.

Crebriori itaque enematum immisſione finem conſequi non male conſultum fuit, quorum ſeptem ſupra ſeptuaginta, ſpatio triginta dierum, injecta numeravimus; eo ſecuriora, quo magis certum eſt clyſteres ſimiles nec corpus turbare, nec debilitare, idem tot præſtantisſimorum Medicorum experientia pasſim confirmante; & certe verum ſcripſiſſe *Rein. Solenandrum, Sect. III. Conſ. med. 29.* comparuit, ubi de cura durioris alvi agens, præſtare pronunciat, plures ex ordine reiteratos clyſteres admittere, quam vel unam qualemcunque etiam levem potionem adſumere.

Neque incommodi quidquam inde accidiſſe, aut quod vereri alias nonnulli ſolent, inteſtinorum tonum magis debilitatum fuiſſe, vidimus, præſertim cum neque dolorem aut inſenſibilitatem in eis excitaverint, ſed calore potius blan-

 do

do ſenſum eorum grate adfecerint, & ſemper per unam duaſve horæ quadrantes retenti fuerint, emollitasque inde feces aliquas ſenſim eduxerint, rarius autem, præſertim cum aliquandiu oleoſi continuarentur, ſine ullo effectu redierint. *Quanta* autem in contumaci tali conſtipatione clyſterum ſit energia, vel ſolus *Phil. Salmuthus* docuerit, qui ſcybala per ſesquiannum retenta, tandem per triginta clyſteres ingenti copia educta, in *Cent. I. Obſerv. med. XXIV.* recenſuit.

Mercurius autem vivus noſtró in Caſu cur tanto dierum ſpatio non penetraverit, incertum eſt, inprimis cum feces in inteſtinis poſt mortem inventæ molliores exſtiterint, hydrargyrumque pondere ſuo & maximè volubilibus particulis idcirco quo minus perrumperet, nihil notatu dignum obſtitiſſe credi poſſet. Num viſciditatem & limoſam fecum incuneatarum conſtitutionem glutine ſuo aliquandiu remoram feciſſe dicemus? vel an feces ultimis tantum diebus â perrumpente tandem ex glandulis inteſtinalibus majori lymphæ eliquatæ copia emollitæ, primo autem duriores, quàm quas argentum vivum penetrare potuiſſet, fuerunt; præſertim cum ſcybala compactiora fluidioribus immixta comparuerint? vel an æger non ſufficienter imparato motui corporis indulſit? vel deniq; continuatus ex diuturna conſuetudine ſuper latus dextrum decubitus obſtitit? Omnes has circumſtantias concurriſſe mihi veriſimile videtur.

Interea Mercurium crudum in corpore alias ſano, & ſuccis præternaturam acribus non onerato, quali noſter ægrotus erat præditus, noxam haud parere poſſe, inde colligimus. *Quamvis* enim noxium ejus uſum nonnulli exagitent, frigore & pondere ſuo nocere, idque *Petri Aponenſis* exemplo comprobare nitantur, qui in ſeplaſiario quodam ardentiſſima febre correpto, cum multum Mercurii errore exhauſiſſet, paucasque poſt horas congelatus obiiſſet, ſanguinem circa cor à magna Mercurii frigiditate concretum fuiſſe recenſet: Concretionem tamen hanc non tam à frigore quam aliis cauſis lympham &c. condenſantibus ortam fuiſſe, illi facile hodie evincent, qui polypoſas iſtas condenſationes intimius perſpectas habent, quin & celeberr. *Dn. Chriſt. Frid. Garmannus Eph. N.C. Dec. I. Anno. I.*

Obſ.

Obſ. CXLVIII. nullam ex infuſo in venam vivi canis Mercurio crudo alterationem in ſanguine deprehendere potuit. Imo neutiquam nocere, tot alia exempla evincunt, quæ magna in quantitate eundem deglutitum, aut diu in corpore retentum memorant; quale *D Jo. Paterſon Hain* in *cit. Eph. Ann. VI. Obſerv. CLXXVI.* habet, militis videlicet, qui viginti ejus uncias exhauſtas diu ſine damno in corpore retinuerat: Londini per dies 14. eundem in ventre cujusdam ſine omni incommodo ſubſtitiſſe, *Theod. Mayerne* in *praxeos Syntagm. 2. tr. 2. cap. 1.* teſtatur: *Zacutus Luſitanus l. 2. prax. med. admir. Obſ. 35*, Ducem ſtrenuiſſimum in deſperato volvulo libram unam ſummo cum levamine ſumſiſſe ſcribit: Marianum Santum exempla de ſeſquilibra, nec non libris tribus innoxie hauſtis producere, Ambroſ. Paræus aliique ſcribunt: *Nic. Rorarius in contradict. Galen. c. 20.* virum Germanum libras tres; & *Amatus Luſitan. lib. 5. enarrat in Dioſc. 70.* puerum decennem plus libra una ſine damno ebibiſſe, referunt.

Unde verò mercurialium globulorum ſuperficies colore illo nigricante imbuta fuerit, neſcire me fateor, non enim eroſam eandem fuiſſe credibile eſt, cum priſtinam ſuam immobilitatem non exuerint, & reſolutæ per corroſionem ejus particulæ, ac ſanguini permixtæ, ſalivationem, cujus tamen nulla unquam veſtigia comparuerunt, dubio procul concitaſſent; Quamvis cœteroquin varios colores in Mercurio Chimia producere queat, facileque ipſi ſordes aliquæ nigricantes adhæreant, quos ideo lotione ſeparare Chimici edocent; quales fortaſſe hic à lymphæ inteſtinalis vel deglutitorum aliorum ſuccorum in inteſtinis cum mercurialibus particulis agitatione prodiiſſe dicere licebit?

Non minus mihi mirum fuit viſum, feces ultimis diebus albicantes vel cinereas prodiiſſe, quæ tamen in demortuo corpore flaveſcentes ubique comparuerunt. An bilem in ſua veſicula prius ſtagnantem concipere debemus, obſtructo à viſcido humore canali ejus ad duodenum naturaliter abeunte, vel aliam ob cauſam eodem occluſo, id quod tincta ictericorum more urina veriſimile reddere poſſet; hac autem obſtructione ceſſante, an bilis copioſe mortis tempore in inteſtina effuſa, obvias feces tinxerat? vel num excrementa in vivo egeſta ob

varios in eis contentos ſuccos ab ambiente demum aëre mutationem in colore ſubierunt? vel, quod veriſimilius, an ſulphur flaveſcens in fecibus occultatum, vitali calore poſt mortem evaneſcente, atque putredinali halitu irruente, demum ſeſe extricavit, inque conſpectum prodiit?

Tuſſim à collectis, per diætam minus ſalubrem, viſcoſis in ſanguine particulis, inque corpore à morbo debilitato ſtagnantibus, præſertim cum diaphragma, à ſubſtrata in abdomine tumefactorum inteſtinorum mole compreſſum, liberiorem etiam pulmonum motum impediret, & notata ſæpius quondam in ſanitatis ſtatu tuſſicula, facile tamen à ſpiritu vini deguſtato ſopita, diſpoſitionem ad præſens ſymptoma antea adfuiſſe perſuaderet, obortam fuiſſe arbitror.

Subſecuta frequentiorem copioſarum fecum excretionem debilitas mortifera nequit mira videri; cum omnem ſubitam & copioſam evacuationem periculoſam eſſe, *Hippocr. Sect. 2. Aph*, 51. verè edixerit, omne nimium naturæ inimicum, adſtruens, quod *Galenus* ob diſſipationem ſpirituum vitalium una exeuntium contingere, probabiliter ſatis in *Comm. ad aph. 27. Sect. cit.* adſtruit.

Tandem abdominis poſt obitum immenſam intumeſcentiam, inteſtinorum, à calore interno naturali deficiente, ad putredinem inclinatio, quam putridorum in eis ſtabulantium excrementorum copia auxit, excitavit, unde in motum concitatæ reſolutæ per incipientem putredinem particulæ, ob denegatum exitum, ambientes partes, diſtendere coacti fuerunt.

(o)

OBSER-

OBSERVATIO CCC.

D. JOHANNIS PAULI WURFFBAINII.

De Trochlea Sclopeti XVII. Annos intra cavitatem Oſſis frontis hærente, & per nares â viro XXXVII. adhuc annos bene vivente excreta.

GEorgius Nager, Lanio, Civisque Norimbergenſis, cum Anno MDCXLIV. autumnali tempore in Villam Cratonis, milliare ab urbe diſſitam, exſpatiaretur, ut cum aliis exercitio publico pro præmio ad metam ſclopeto inſtituto, intereſſet, comitem ſibi junxit affinem, qui ex malitia ſclopetum duplici oneravit globo, pyriique pulveris quantitate, quod cum Nagerus neſcius quid factum, in via infeliciſſimè exoneravit, rupta ferrea Sclopi fiſtula, quam vulgo den Lauff vocant, trochlea ejus caudata Germanicè die Schwantz-Schraube dicta, ſumma vi retrò pulſa, oculum dextrum ejus in terram ex orbita ſua excuſſum, projecit, dictaque caudata trochlea, oculi hujus cavitatem tam profunde intravit, ut â Chirurgo (Nagero Norimbergam mox delato,) ibidem extrahi non potuerit, binis licet vicibus forcipe arrepta, maximè cum Nagerus dolorum impatiens, tertia vice extractionis hujus tentamen perferre quovis modo recuſarit, quin potius intra dicti oculi canthi, & oſſis frontis cavitatem hærentem, non ſine magno interdum dolore & vertigine, maximè circa mutationes Lunæ per XVII. annos ſecum transportarit. Anno 1660. cum trochleâm non amplius in oculi cantho, ſed magis intra cavitatem oſſis frontis, cerebrum verſus hærentem

tem, ſicque loco motam ſenſiſſet, in gravem incidit morbum, ita, ut d. 17. Junii accerſito Domino Confeſſionario ſuo, S. S. Synaxi, animæ ſuæ ſalutem quæreret & ad mortem jam inſtantem, piâ mente, Chriſtianus ſe præpararet: at, die mox ſequenti 18. Junii vehementi cum ſternutatione oborto Vomitu, dictam per tot annos in capite detentam trochleam per nares excrevit, & quidem ſine notabili ſanguinis puriſque excretione, vixitque ab hoc tempore Nagerus noſter ſanus, morborumque neſcius XXXVII. adhuc annos, donec viribus ætate ſenſim fractis, & per novem ante obitum ſeptimanas, planè collapſis, Anno 1697. d. 28. Aprilis, vitam cum morte mutaverit, Anno ætatis Octoageſimo ſecundo. Trochleæ effigiem juſta magnitudine delineatam, Vide in addita & optime expreſſa Figura. N. LXII.

SCHOLIUM.

Præſentem hanc obſervationem non ut novam commendo, cum Dn. D. Joh. Scultetus, Collega quondam noſter Perſeus dictus, in Tractatu ſuo de Trichiaſi eam incidenter, inſperſerit, quin potius (1) ut Hiſtoriam hanc, quæ ob raritatem â multis in dubium vocata fuit, veram, imò veriſſimam eſſe publicè hîc profitear, Authoritate ſtipatus, Viri Illuſtris ac Prudentiſſimi Domini Guilielmi Jodoci Ebneri, ab & in Eſchenbach Reipubl. Norimbergenſis Senatoris, Rerum bellicarum Conſiliarii, Appellationis Judicii Aſſeſſoris, adque Comitia Circularia Circuli Franconici Legati graviſſimi, Collegii Medici Præſidis primarii gratioſiſſimi, Domini & Patroni mei colendiſſimi, qui ex innata humanitate ſua ipſam trochleam tam diu intra cranium detentam, & ab ipſo Nagero in ſtupendi hujus caſus æternam memoriam, ſibi dono datam, ad perluſtrandum & noviter delineandum mihi conceſſit, maximè cum pictor in Tr. de Trichiaſi, craſſitiem ejus male expreſſerat: Taceo, me Nagerum hunc optimè noviſſe, & Conjugi ejus adhuc viventi, in Melancholicâ Hypochondriaca (quæ ſingularem aliquando meretur obſervationem) ante XII. & quod excurrit annos, Medico adſtitiſſe conſilio, exque ore ejus omnia in Obſervatione relata, conſtanter affirmata, percepiſſe. (2) ut incep-

ceptam â beato Dn. D. Schulzio telam, pertexam, & quomodo & quam diu poſt graviſſimum hunc caſum Nagerus ſupervixerit, indicem, hiſtoriamque penitus abſolvam.

Diſcimus autem ex hoc Caſu.

I. Non omnia oculorum Vulnera per ſe ſemper eſſe lethalia, alias Nagerus tot annos ab hoc ipſo tam gravi perpeſſo oculi Vulnere, vitam ſuam non protraxiſſet.

II. Globos, Variasque res, præter naturaliter intra Cranium & meninges per aliquot annos deliteſcere poſſe, quod ſinglari trochleæ hujus exemplo probatur.

III. Naturam ſibimet ipſi ſæpe mederi, & per vias extraordinarias moleſta excernere, ſicque in Medicina etiam quandoque fieri monſtra & miracula.

IV. Gemellos, ſecus ac vulgo creditur longævos eſſe, Nagerus enim octoageſimo ſecundo ætatis anno obiit, & Soror ejus in utero materno ſocia, Erneſtia, Vidua, piſcium arefactorum & ſalitorum mercatura victum ſibi parans, octoageſimum tertium jam ſuperata annum, adhuc pro ætatis hujus ratione, ut cunque vivit.

OBSERVATIO CCCI.

D. JOHANNIS PAULI WURFFBAINII.

De Puerulis Gemellis Capillivoris.

VArias in Ephemeridibus noſtris de rerum inſolitarum appetitu legimus Obſervationes, verbi gratia de *Cultrivoris*, *Vitrivoris*, *pellivoris*, habemus Exempla variorum, qui delectabantur eſu *Murium*, *Aranearum*, *Excrementorum*, *Ellychniorum*, *Candelarum ſebacearum*, *Carbonum*, *Picis*, *Ceræ hiſpanicæ ſ. obſignatoriæ*, *Arenæ*, *Calcis*, *Cretæ*, *Laterum*, *Argillæ figulinæ*, *ſive crudæ ſivæ igne jam exoctæ*, *Corii*, *filorum lineorum*, *tæniarum denticulatarum*, & *oculatarum*, *quas vulgo* Spitzen oder Kanten *vocant* &c. Vide Indicem noſtrum generalem. Nullam vero de Capillivoris, quam tamen hîc ſiſto, & quidem in fratribus binis gemellis, d. 10. May. Anno 1694. in pago, cujus in præcedenti Obſervatione jam facta fuit mentio, Kraffts-Hof dicto, natis, Patre Piſtore, Georgio Friderico Walthero: Primogenti gemelli hujus nomen erat Johannis Georgii, alterius, Michaelis Friderici, hi tanta & faciei & morum ſimilitudine ſibi juncti erant fratres, ut vix alterum ab altero dignocere liceret: Novimeſtre ætatis ſpatium ambo cum attigiſſent, crines ſibi mutuo ad calvitiem usque evellere ac devorare cœperunt, hinc factum, ut major natu ægrotarit, & de torminibus ventris ac inſigni circa Vertriculi regionem dolore, conqueſtus, tandemque continuis jectigationibus defatigatus ac emaciatus, variis absme incaſſum præſcriptis medicamentis d. 13. Martii 1698. quarto ætatis ſuæ anno, mortuus ſit: Alter in vivis adhuc frater, nauſeoſas has capillorum delitias avide adhuc appetit, ita,

ut

ut nec minis nec ferula coerceri hactenus potuerit, quin quam primum ob domeſticorum abſentiam licet, noctu præſertim, appetitui ſuo indulgeat, & capillos evulſos primo digitis conglobare, poſt ori cito ingerere ac deglutire ſoleat, melle ſaccharoque dulciores, ut mihi quærenti, haudita pridem in ædibus Domini Parochi Wilhelmi Bühlii, præſente tunc temporis mecum Dn. D. Friderico Jacobo Brunone, Celebratiſſ. illius in Academia Altdorffina Profeſſoris & Facultatis ſuæ Senioris filio, Collega meo honorando, retulit: Capite abraſo, Capillos etiam Parenti dormienti evulſit, ac deguſtavit, puerulus aliàs vegetus, ſanus ac alacris, ſuaſor fui, ut creſcentes iterum Capillos felle piſcium vel boum inungerent, & ingrato hoc amarore nauſeam excitarent, ſicque in ſolitum hunc appetitum tandem delerent ac deſtruerent, quo effectu, dicam imposterum.

SCHOLIUM.

Quæ cauſa inſueti hujus ſit appetitûs, arduum eſt determinare, niſi ex imaginatione matris gravidæ deducere velimus, quæ tamen ne unquam ſimili appetitu laboraſſe ſe, aut capillorum criſporum elegantia delectatam aliquando fuiſſe, ut ſuſpicabar, conſtanter negavit; num capillum cibis fortè illapſum, deglutiviſſet, quæſita? per totum graviditatis ſuæ tempore factum fuiſſe, non recordabatur; ſed nauſeam potius & abſtinentiam inde impreſſam fuiſſe gemellis ſuſpicor, quam præter naturalem hanc appetentiam & fictæ dulcedinis guſtum: Morbum verò Mortemque ex copioſo hoc capillorum eſu contraxiſſe ſibi filiolum primogenitum, eſt quod facile credo: ſi enim in Ventriculis Vaccarum quod tam propria quam ſociorum corpora perſæpè lambant, piloſque deglutiant, globi piloſi in magnam ſæpe molem excreſcant, hinc morbiti fiant & ne in tempore jugulentur, pereant: ut Medicorum quondam Uratislavienſium lucidiſſimum Sidus, Acadamiæ noſtræ Sirius, ad Sidera jam cœleſtia beatè delatus Dn. D. Vollgnad, ex relatione Mercatoris Belgæ Dec. I. Ann. II. Obſerv. 110. Ephemerid. recenſet, Oculatiſſimus Anatomicus. Dn. D. Joh. Jacob. Hartmannus Dec. II. Anno VII. confirmat & Curioſiſſimus

Dn. D. Joh. Matth. Faber, in exaſciatiſſima ſuæ Pilæ marinæ Anatome Dec. II. Ann. X. p. m. 205. App. etiam de hœdis affirmat, quidni & ſimile quid in Capillivoro hoc puello fieri potuit? quis ſic mirabitur circa ventriculi regionem dolorem, tormina ventris, varias jectigationes, emaciatum tandem corpus, ceu ſymptomata quæ hoc modo facile explicari poſſunt: utinam autem parentes mortem puelli hujus citò indicaſſent, ut cultri Anatomici adminiculo conjecturæ noſtræ veritas fuiſſet detecta: ſervatus verò alter hîc fuit Capillivorus, per amygdalarum dulcium olei crebriorem uſum internum, cui pili per ſuperiorem gulæ portam ingreſſi, in ventriculo juncti, per inferius mox guttur iterum ſunt deturbati ac elutriati.

APPENDIX

ad

ANNUM V. & VI.

Decuriæ III.

EPHEMERIDUM

MEDICO-PHYSICARUM

ACADEMIÆ

CÆSAREO-LEOPOLDINÆ

NATURÆ CURIOSORUM

IN GERMANIA.

NORIMBERGÆ,

Literis Chriſtiani Sigismundi Frobergii.

Anno 1700.

Contenta Appendicis.

1. Dn. Joh. Chriſtophori Sturmii, Prof. Publ. Altdorffini Stricturarum in Antonii Vincentii Majoli Aſſertiones Hypotheſios Galenicæ, Continuatio II. Epiſtolica. pag. 1
2. De Chryſopœia variæ Literatorum Epiſtolæ communicatæ per Dn. D. Theodor. Zvvingerum Prof. Publ. Baſileenſem. Acad. Cur. 16
3 Brevis Diſſertatio de Motu bilis Circulari, Auctore Chriſtiano Helvvich Phil. & Med. D. & Acad. Curioſ. 41
4. Acarnanis Diſſertatio Epiſtolica ad Periandrum Excell. D. D. Michaelem Fridericum Lochnerum, de Dendritis aliisq; Lapidibus, qui in ſuperficie ſua plantarum, foliorum, florum, figuras exprimunt. 57
5. Michaelis Bernhardi Valentini Hiſtoriæ Literariæ S. R. I. Academiæ Nat. Curioſorum Continuatio VII. 81

6 Roſini Lentilii, Oribaſii, Parallelismus ad Obſervationes in Ann. III. Dec. I. Ephem. Curioſor. contentas. 91
7. Dn. Joh. Gebhardi Rabneri Sereniſſ. Elect. Brunſv. Conſiliarii, Hiſtoria, de Hemicrania Periodica ſingulari. 137
8. Dn. D. Georgii Dethardingii Archiatri Ducum Megapolienſium Obſervationes Parallelæ. in Ephem. Curioſor. Dec. I. Annum I. 147
9. Hiſtoria Epidemica Germaniæ, 153
10. Albucaſis Epiſtola ad Naturæ Curioſos Opera B. Ettmülleri concernens 181
11. Memoria Majoriana. 185
12. Memoria Lebenvvaldiana. 207

NOBI-

NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO
& EXPERIENTISSIMO
VIRO
DNO. JOHANNI PAULO WURFBAIN,

Archiatro, & Com-Palat. Cæſareo, Phyſico Norimbergenſi, & Ephem. Academiæ Leopoldinæ Directori
S. P. D.
Joh. Chriſtophorus Sturmius. PP.

CUm ante hos ſex & ſeptem circiter annos, VIR HONORATISSIME, ad Beatum Senem JOH. GEORGIUM VOLKAMERUM Academiæ Leopoldinæ Præſidem Digniſſimum, duas exaraſſem epiſtolas, quibus Antonii Vincentii Majoli Itali ſubtilitatibus Scholaſticis adverſus Recentiorum Placita obſcurè quidem plerumque, aliquando tamen ingenioſè excogitatis reſpondere cœpiſſem; ipſo deinceps ex hac Mortalitate in ſtatum beatiorem translato, à cœpto deſtiti, quòd incertum eſſet, num id, quod Beato Seni probatum fuerat conſilium, aliis quoque placiturum eſſet. Poſteaquam vero haut ita pridem ex Honorando Tuo Collega, Experientiſſimo Dn. D. Lochnero

nero primùm, dein ex Temet ipſo cognovi, gratam etiam vobis fore ejus qualiscunque laboris continuationem; pertexendam ſumere cœptam ſemel telam meçum conſtitui, eademque epiſtolæ formâ quicquid hujus eſt, ad Te Ephemeridum Directorem dirigere, quando Modernum Dn. Præſidem Academiæ Leopoldinæ familiarius cognoſcendi honor hactenus mihi haut obtigit.

Subſtiteram autem in confutando ſecundo Autoris argumento, quod p. 35. ſui tractatuli, edit. novæ autem, (quæ extat Laudatiſſimi p. m. ſenis curâ Anno Nono, Dec. II. Miſcell. curioſum) Append. p. 71. his verbis propoſuerat: „Probatur ſecundo, nam conceſſa activitate figuris, non poteſt „explicari, quomodo medio motu, quem cauſant in cute, „ſenſus communis poſſit determinari ad diſtinguendum ob-„jectum tactum v. g. calorem reperiri in tali ſitu ſenſorii, ergo „figuræ non habent cauſa re ſenſationem in cute medio motu, „probatur antecedens, ſi aliquo modo poteſt explicari, ma-„ximè dicendo motionem in ſenſorio communicari nervis, „unde ipſimet cerebro, ex quo poſtea fit diſtinctio ſitûs ob-„jecti in ſenſorio, ſed hoc poſito ſequeretur, quod qualitas „tota perciperetur etiam per totum nervum à ſenſorio ad ce-„rebrum; nam ſi ideò perciperetur qualitas in illa parte ſenſo-„rii, ubi tactus objecti, quia ibi motio ab objecto facta, cùm „eadem continuet per totum nervum usque ad cerebrum, „de neceſſe inibi debet rappræſentari objectum. Quibus equidem ſatis obſcuris & barbara Latinitate horridis verbis hoc videtur autor dicere velle: Poſito quòd figuris corpuſculorum interveniente motu activitas quædam veniat concedenda; non eſſe tamen explicabile, quo pacto tactilis impreſſio in cutem, tanquam tactûs organon ſive ſenſorium, facta, ſenſum communem poſſit determinare ad objectum tangens diſtinctè percipiendum in ipſo contactûs loco, quin ſimul etiam diſtinctè percipi deberet eadem impreſſio in ſingulis intermediæ viæ locis, e. g. ſingulis fibrillæ nervoſæ à loco contactûs ad cerebrum usque continuatæ punctis: id quod tamen non fieri experientiâ conſtet; argumento ſatis evidenti, quod e.g. caloris activitas in extremitate quadam corporis recepta ad

ſen-

ſenſum communem in cerebro haut deferatur mediante motione particularum taliter vel taliter figuratarum.

Cui quidem tollendo dubio ſeqq. venient probè attendenda: 1. Senſationem nullam plenè quidem & perfectè fieri niſi in cerebro: id quod vel ex eo colligere promtum eſt, quòd omnia organa ſenſoria in nervum quendam deſinant ad cerebrum usque continuatum, experimentis porrò evidentiſſimis conſtet, obſtructis vel compreſſis aut aliundè per cerebri morbos & vulnera læſis iſtis nervis, nullam penitus in externis organis vim ſentiendi; id quod exemplo apoplecticorum & hemiplecticorum, altùm item dormientium & crapulis oppreſſorum nimis manifeſtum: ut adeò viſio quidem oculo mediante, ſed non in oculo, aure mediante auditus, ſed non in aure, peragatur; ſimiliter cæteris externis organis mediantibus inchoentur quidem ſenſationes reliquæ, at non niſi in cerebro & ſenſorio communi perficiantur & abſolvantur; nec à corpore, ſed ab anima in cerebro reſidente, quæ, quoties vel in exſtaſi, vel altâ contemplatione diſtracta, velut extra ſe ponitur, hoc totum torpidum ſine ſenſu ſtupere videmus, quæcunque etiam objecta admoveantur: id quod Ariſtot. quoque jam olim animadverſum eſſe, hæc expreſſa verba teſtantur, καὶ ὁ νοῦς ὁρᾷ καὶ ὁ νοῦς ἀκούει. Problem. XXXIII. Sect. XI. ex quo uno ſuperioris conſequentiæ nullitas luculenter apparet, ſupponentis quippe, caloris v. g. ſenſum in extremitate cutis peragi, indeque inferentis, ſi ſenſatio hæc in extrema cute facta, mediante motu & particularum ignearum figuris facta ſupponatur, eandem etiam in partibus fibrillarum nervearum intermediis ubique fieri debere; ubi hoc primò negandum eſt, vi ſuperiorum notiſſimorum experimentorum, quod ſenſatio in organo externo fiat, tantoque adeò magis, quod in partibus ſequentibus remotioribus (quas igneæ particulæ, non, ut extremas, immediatè attingunt) pariter fieri debeat. Equidem 2. negare nullo modo poſſumus, ignis e. g. manui paulò propriùs admoti calorem & vim uſtivam tanquam in ipſa manûs extremitate, quàm reverâ afficit ac lædit, perceptam ſentiri: Verum, ſi hoc penſitemus, quòd, ſublatâ repentè manûs cum cerebro per nervorum intermediorum fibras communicatione, (ut in decollatis contingit)

nulla ampliùs doloris urentis perceptio in manu interim illæſa fiat; credibile utique fit perceptionem ſenſualem in cerebro reverâ factam, ad ejus fontem & ortæ primùm impreſſionis locum referri; id quod hæc duo cumprimis experimenta confirmant: primum à nobiliore viſûs ſenſu deſumpto quo objectum à tergo noſtro poſitum, ſed ſpecie ſui in poſitum ex oppoſito corpus projectâ, indeque verſus nos reflexâ, in oculum ſenſumque communem reverâ agens, ita hunc determinat, ut objecti poſitum & virtutem activam non ſolùm verſus ſpeculum, unde reflexa ſpecies advenerat, ſed etiam ultra ſpeculum tantundem referat, quantum eſt intervallum inter objectum & ipſum ſpeculum, videatque rem in loco prorſus imaginario, ubi nec eſt, nec eſſe poteſt. Alterum in ipſo tactûs ſenſu obvium, quod narrat Renatus des Cartes Princip. Philoſ. Part. IV. num. CXCVI. his verbis: „Cùm puellæ cuidam, manum gravi morbo affectam haben„ti, velarentur oculi, quoties Chirurgus accedebat, ne curatio„nis apparatu turbaretur, poſt aliquot dies brachium ad cu„bitum usque, ob gangrænam in eo ſerpentem, fuiſſet ampu„tatum, & panni in ejus locum ita ſubſtituti, ut eo ſe priva„tam planè ignoraret, ipſa interim varios dolores, nunc in „uno ejus manûs, quæ abſciſſa erat digito, nunc in alio ſe „ſentire querebatur: quod ſane aliundè contingere non po„terat, quam ex eo, quòd nervi, qui prius ex cerebro ad ma„num deſcendebant, tuncque in brachio juxta cubitum ter„minabantur, eodem modò ibi moverentur, ac priùs moveri „debuiſſent in manu, ad ſenſum hujus vel illius digiti dolen„tis animæ in cerebro reſidenti imprimendum.

Miranda ſanè hæc res eſt, quam, ſi absque motione per nervos ad cerebrum continuatâ rectiùs explicare poſſit Autor, palmam ipſi promti & gratulabundi cedemus; hoc interim, opinor, luculenter oſtenſo, quod illa ipſius conſequentia vacillet, ſi motus in extrema cutis filamenta factus, ibi ſentiatur, eundem etiam in punctis fibrillarum nervoſarum intermediis debere ſentiri; quandoquidem experimentum commemoratum abundè probat, 1. cùm affectio dolorifica partes nervorum abſciſſorum intermedias circa cubitum reverà affixiſſet, non ibi tamen illam, ſed tanquam in

extre-

extremitatibus digitorum, non ampliùs ſuperſtitum, perceptam ab anima puellæ fuiſſe; quod ipſum 2. ſatis evidenter evincit, illam doloris ſenſationem ſive perceptionem re ipſa quidem intra cerebrum in ſenſorio communi, nequaquam autem in extremis digitis, (qui non ampliùs ſupererant) contigiſſe, interea tamen ad illos, tanquam partem affectam, aut potiùs aliàs ordinariè affici ſolitam, ex inſtituto Divini Conditoris, relatam fuiſſe. Jam quas, tanquam præſumtas Adverſarii ſui exceptiones iterum enarrat Autor & confutare connitur, iis quia nos uſi non ſumus, defendendis etiam immorari non tenemur; tametſi non una circa earum confutationem moneri poſſent.

Quamobrem his miſſis, tanquam ad nos nihil attinentibus, & ſine quibus reſponſio noſtra ad argumenti principalis conſequentiam in vigore ſuo manet, ad novum ejus argumentum, quod erit in ordine tertium progrediemur.

Hoc Autor concepit hiſce Verbis: Probatur tertiò; „determinatio ſenſus communis non poteſt haberi per motum „nervis communicatum à motu facto in ſenſorio, ergo per ſo-„lum motum figurarum non poteſt explicari iſta actio, pro-„batur antecedens, vel iſte motus factus in nervo, eſſet mo-„tus factus in nervi medulla, vel in tunica, ſi primum, ergo „ſecto nervo, & applicato calore medullæ ejusdem qualitas „percipi deberet. Item applicato calore cerebri medullæ per-„ciperetur, nam major ratio non eſt cur calor motionem „faciat in medulla medio ſenſorio, quàm ſine, nam dato etiam „quod faceret talem motionem mediâ cute, quia hæc ſit de-„terminatæ ſtructuræ, adhuc tamen aliquam facere poſſet „motionem in medulla, quæ aliquam ex primis vel ſecundis „qualitatibus deberet rappræſentare: ſicut enim medulla eſt „capax tot diverſarum motionum provenientium à cute, eſt „impoſſibile captu, quod tot diverſa, quot reperiuntur in „Mundo tangibilia, non poſſent ſuis figuris unam ſimilem „cauſare; ſicut enim diverſificatis objectis reſpectu cutis, „v. g. ſanguine, & igne, adhuc idem calor habetur, ſic „diverſificato organo, remanente identitate objecti, poſſet „fieri adhuc eadem motio: ad ſolvenda iſta non valet niſi „actus ellicitus ſenſuum externorum proportionatum obje-„

 ctum

„ctum ſenſuum internorum, ut ponit antiquorum Scola. Si „ſecundum, nempe per tunicam, vel totum cerebrum con„ſtat filamentis nerveis, vel tantum ſola metulla, non primum, „aliàs ſecto cerebro dolor fieret, non ſecundum, nam currit „ſupra factum argumentum. Senſus argumenti primarius hic eſſe videtur: Si actio objecti tangibilis, e. g. caloris aut calidi corporis, in ſenſorio externo, nempe cute, recepta, deberet per nervos ad ſenſorium commune intra cerebrum continuari, hæc continuatio ſive motio deberet fieri aut per nervi medullam aut per ejusdem tunicam. Sed neutro modo poteſt fieri: Ergo etiam objecti tangibilis actio ſive impreſſio, mediante motu ad ſensûs communis ſedem continuari non poteſt. Hîc non immeritò quis ante omnia argumenti propoſitionem majorem arguere poſſet alicujus defectûs in enumerandis conſequentis membris; quandoquidem non deſunt Viri Doctiſſimi, qui neque per nervorum medullam, nec per eorum tunicas, ſed per Spiritûs animales intra vel inter medullæ fibras contentos actiones ſenſibilium ad ſenſorium commune propagari ſupponunt: quâ ſtante hypotheſi fruſtraneus eſſet omnis Autoris conatus. Quod ſi enim impreſſio rei tactilis in Spiritûs animales intra tubulos filamentorum nerveorum (quos Carteſius ſupponit) contentos fieret, eodem momento, quo impulſus ille fieret in particulas ſpirituoſas in extremitate cutis ſubſiſtentes & objecto tangenti proximas, idem impulſus attingeret ſenſorium commune ſpiritibusque in ejus quoque fibris præſentibus communicaretur; eadem ratione ſc. quâ ſeries globulorum contiguorum etiam longiſſima, intra canalis alicujus vel alvei cavitatem concluſorum, non poteſt in ipſo principio vel leviter tangi, quin illa motio per totam ſeriem continuata eodem momento in ultimo quoque globulo ſentiatur.

Quod ſi quis ſtatueret motionem ſenſitivam continuari ab organo ſive ſenſorio externo usque ad internum in cerebro per ipſam nervorum medullam, hanc nimirum ſtatuens eſſe collectionem quandam innumerabilium fibrillarum ſive capillamentorum nerveorum ſufficienter extenſorum, & in ipſam cerebri medullam, e. g. corpora Williſii ſtriata; deſinentium &c. ne hanc quidem hypotheſin ſatis deſtrueret

Autor

Autor illo medio termino, quo inferre velle videtur, ſi vis caloris externo ſenſorio applicata ad ipſum ſenſorium internum penetrare poſſet mediante fibrillarum motu, eandem vim etiam perceptum iri, ſi calor ipſi c rebri medullæ immediatiùs admoveretur; quod poſterius falſum tamen ſit & experientiæ contrarium, (huc enim videtur digitum intendere, etiamſi id expreſsè non dicat) quia cerebrum ipſum ſenſu deſtituatur. Aſſerit enim Guilielmus Fabritius in Obſerv. Chirurg. cit. Highmoro in Disquiſit. Anatom. p. m. 7. Sæpiùs ſine dolore in vulneribus capitis extrahi partes quam plurimas; quod ſi verum ſit de cerebro propriè ſic dicto, ſive cortice exteriore, nondum fortè ita certum eſt etiam de ejus Medulla interiore, ſenſorii communis ſede: nec apparet, quo pacto id circa hanc cerebri partem in homine quidem vivo, (nam in mortuo per ſe fruſtaneum eſſet experimentum) experiri liceret, niſi turbato ac deſtructo ſenſorio, ſenſuque adeò ipſo ſublato. Cui argumento novum aliud deinde ſubjicere videtur, verbis equidem valde obſcuris, ſed huc, niſi fallor, tendentibus: Cum tangibilia ſint innumeræ varietatis, non poſſe concipi, cur non duo, tametſi figurâ particularum diverſa, ſimiles impreſſiones per nervorum fibras ad ſenſorium commune transferre queant, quemadmodum e. g. ſanguis & ignis, tanquam objecta diverſa, diverſis ſuis particulis eundem calorem per idem organum externum communi ſenſorio offere poſſunt, atque ita ſimiliter idem objectum per diverſa organa eandem motionem continuare; ex quo conſequeretur objectorum differentias à ſenſu communi rectè dijudicari non poſſe, illamque adeò hypotheſin, quòd objectorum differentiæ ſenſum communem mediante motu per nervos continuato ad ſe dijudicandas determinent, falſum eſſe debere. Quodſi hæc eſt mens Autoris, primò non video, quomodo à ſanguine & igne non calor tantùm, ſed idem calor transmitti poſſit, ut ſenſus communis nullam inter utrumque differentiam percipiat. Quodſi hoc fortè velit, eundem ſaltem genere calorem ipſi offerri, dum interim particulæ ſanguinis toto genere diverſæ ſint à particulis ignis; reſpondeo hoc negando de iis in ſanguine particulis, quæ caloris percipiendi immediata cauſa ſunt. Et ſi contingeret, ut ſanguis intrinſecâ quadam effer-

veſcen-

veſcentiâ calidus, & lac ad focum luculentum eodem circiter gradu calefactum, per ſenſum tactûs (ab homine v. g. cœco) dignoſci non poſſent, nequaquam inde ſequeretur utrumque iſtum, adeò ſibi ſimilem calorem non mediante motu & particularum ignearum figurâ, quodammodo ſibi ſimilibus, in ſenſum communem egiſſe; ſed hoc, ipſum potiùs ex ipſa perceptionum ſimilitudine concludendum eſſet, neque adeò mirum quod nulla hîc caloris differentia potuerit percipi, ubi non erat ſenſibilis in particularum ignearum figura aut magnitudine, præcipuè vero in utramque motione & agitatione, differentia. Quod verò idem ſenſus communis non ſimul diſcrepantes & lactis & ſanguinis ſapores dignoſcere poſſit, ex eo eſt quod diverſæ quidem figuræ ſint in utroque liquore particulæ ſaporis affectionem in ſenſu communi cauſaturæ, ſed quod fibræ tactoriæ ob craſſitiem fortè juſto majorem, non ſint idoneum & proportionatum organon ad hanc ſimilesque affectiones eò ſenſibiliter ſatis deferendas.

Quæ ſubjicit, ad iſta ſua dubia ſolvenda non valere niſi actum ellicitum (elicitum voluit dicere) ſenſuum externorum &c. ipſis tenebris obſcuriora ſunt, nec eorum ſenſum quisquam credo, hariolabitur. Cùm verò ſecundum etiam argumenti ſui primarii membrum removere deberet, quòd nempè motiones variè figuratarum particularum per nervorum tunicas non continuentur ad ſenſorium commune, nihil minus quàm hoc agit, ſed hoc tantùm dicit: aut totum cerebrum conſtare filamentis nerveis, aut medullam tantùm non primum, aliàs ſecto cerebro vel ejus cortice dolor ſentiretur, quod eſt contra Fabricii Highmori aliorumque obſervationes; non ſecundum, per argumentum ſuperius hîc repetendum, ſed quod à nobis jam excuſſum eſt. De nervi tunica ne verbulum quidem, & tamen ipſe modo laudatus Highmorus cum aliis Viris doctiſſimis loco ſuprà cit. ſtatuit „nervos non ſentire, ſed eorum membranas tantùm, quod „in eorum vulneribus, præcipuè magnorum, animadverti „poſſe teſtatur, quorum medulla ſine omni dolore tangi & „exrrahi poſſit, membrana verò ſi tangatur, exquiſitisſimos „excitari dolores. Concludit igitur poſt multa: Præcipuum quidem tactûs organum eſſe cutem, & illam præſertim,

quam

quam obtinuit manus, ſed mediatum tantùm; adæquatum autem & immediatum eſſe fibras membranoſas per eam undiq; diſſeminatas, conſentiente etiam Galeno, quem allegat ex Lib. 9. de uſu partium cap. 15. Cùm itaque quilibet nervus, & quivis nervi ramulus ſuâ membranâ ſit involutus, adeòque etiam ſubtiliſſima capillamenta nervea, in quæ nervi tandem omnes intra cerebrum diſſipantur, ejusmodi tenuiſſimis piæ matris propaginibus veſtiri ſit credibile, impreſſiones tactiles in externum corporis habitum factas mediantibus iſtis nervulorum membranis & cutis capillamentis membranaceis, ex pia præſertim matre (alicubi fortè ex dura quoque) oriundis, ad communis ſensûs ſedem continuari poſſe non eſt incredibile, idque Autori noſtro vel imprimis fuiſſet confutandum.

Pergendum nunc ad quartum Autoris argumentum, quod his verbis conceptum eſt: Non poteſt explicari mediâ figurarum motione, quomodo rerum memoria fiat; nam vel fit per receptionem corpuſculorum, & hoc quidem non: ubi enim eſt multarum rerum memoria, ibi quam maxima eſſet capitis gravedo, ſic vapores tenuiſſimi ad caput elevati gravant, item ſequeretur, quod ex memoria ingentium & multorum ignium caput ſummè calleret (pro caleret) accedat, quod nulli haberent memoriam rerum ſolo auditu cognitarum, cum nulla poſſint ex auditu recipi corpuſcula, quæ ab intrinſeco habeant rappreſentare res enarratas; aër enim modificatus ex ſuâ naturâ revertitur ad ſuum ſtatum, ut patet in ſententia modernorum dicentium, colorem eſſe lumen refractum & modificatum, item ſonum modificatum aërem." Quas equidem Autoris conſequentias, ut pote non niſi antiquam Epicuri hypotheſin ferientes, qui per realia quædam ἀποσπασμάτια corporum ſenſationes fieri (ipſam etiam viſionem) exiſtimabat, nos intactas hîc prætermittimus, cum nemo ſit modernorum, qui corpuſcula è ſenſibilibus egreſſa locali motu per organa ad cerebrum usque penetrare inibique ſensûs communis organon vellicare & concutere dicat; imô ne Epicurus quidem adeò craſsè philoſophatus ex mente Gaſſendi Animadverſ. in Phyſiologiam Epic. p. 237. & ſeqq. plurimis, cenſeri debeat, ut ejus ἀπόῤῥοιαι ſive εἴδωλα è corpori-

bus in cerebrum tranſmiſſa gravedinem capiti illatura credi debeant; ſed cæteras potiùs ejus illationes examinabimus, „ quando ſic pergit: Vel ſecundo fit per motionem factam in „ cerebri particulis, quod dici nequit, vel enim particulæ motæ „ remanerent in terminis illarum motionum, vel non, ſi pri- „ mum, ex multarum rerum memoria cerebri inverſio quo- „ dammodo fieret, nec ampliùs per modernos munera ſua ob- „ ire poſſet, cùm quàm maxime conformationem mutâſſet, „ tum quia vel iſtæ motiones diverſarum rerum & oppoſita- „ rum fierent in eadem parte, & hoc non, quia implicat ut ea- „ dem pars, permanendo in terminis oppoſitorum motuum, „ poſſit eſſe capax eorundem; vel fieret in diverſis partibus, „ quod nequit dici, aliàs ablatâ v.g. unâ parte cerebri, tollere- „ tur memoria aliquarum rerum, nec ampliùs illæ mente de- „ tineri poſſent, &c. Quæ, tanquam inanes, neminemque fe- rientes ictûs, merito à nobis prætermittuntur & ut ſuperfluæ inutilesque ſubtilitates negliguntur. Nemini enim modernorum in mentem unquam venit, ſenſibilium impreſſiones in commune ſenſorium ita motu mediante fieri, ut illæ motiones in ſenſorii fibrillis deinceps perpetuò durent: Sic enim non foret unquam rerum olim perceptarum aliqua memoria, ſed potiùs earundem, tanquam adhuc præſentium, continua perceptio. Sed hoc volunt: per impreſſiones ſenſibilium, præſertim fortiores aut frequentiùs iteratas, eam fibrillis in communi ſenſorio docilitatem, habitudinem & flexilitatem conciliari, ut, ſi deinceps, aut caſu quodam, aut occaſione alius impreſſionis, quæ quondam cum iſta priore conjuncta fuerat, ſpiritûs in cerebro nunquam quieſcentes, at levius tamen agitati, quàm cum præſentibus objectis novi cujusdam impetus acceſſio fit, in easdem illas fibrillas, ad commotionem ſubeundam jam multò proniores, unà incidant, priſtinamque impreſſionem renovantes animæ novam objectum non ampliùs licet præſens, tanquam præſens, intuendi occaſionem ſuppeditent. Et hoc ipſum eſt quod Autor ultimò videtur impugnare velle, ſed multò negligentiùs quàm iſta ſuperiora, quæ à nemine aſſeruntur; ut non immeritò dubitemus, utrum recentiorum mentem ſatis penetraverit, aut, ſi penetravit, invenire potuerit quod iſti efficaciter & cum ſpecie quadam reponeret.

Sic

Sic enim pergit: Nec dicas, ut fiat memoria, ſufficit, " ut partes fuerint motæ, licet non remanſerint & in termino " illarum motionum, nam contra eſt, hoc quod eſt fuiſſe di- " verſas motiones in cerebro nihil ponit reale in eodem, er- " go non poteſt cauſare memoriam, tum quia rei ſemel con- " ceptæ ſemper maneret memoria; ſemper enim valeret dice- " re, fuit motio." Verum, quod ſupponit, præcedaneas olim motiones nihil ponere reale in cerebro, id ipſum in modernorum hypotheſi manifeſtè negatur; Supponunt enim per illas ſenſibilium impreſſiones, aliquam uti diximus, in fibrillis docilitatem & flexilitatem induci ac relinqui, quæ utique non eſt nihil, ſed modus ſaltem aliquis ad ſecuturum deinceps effectum haut parùm conferens. Neque verò ſine ratione aut pro lubitu tantùm hæc talia ſupponunt, ſed experientia in aliis craſſiorum corporum fibris evidenter docet vel unicam e. g. baculi aut virgulæ validam inflexionem in id conferre, ut ſecunda ejus in eandem partem inflexio ſenſibiliter evadat facilior, aut ſi quis per vepretum aliquod, renitentibus undique virgultis, ſemel erepſerit, ſequentem eadem viâ tranſitum jam minus ſentire repugnantiæ, tantòque ſemper faciliorem iſtum futurum, quò frequentiùs iteratus fuerit; inflexis nimirum magis magisq; frondibus in partem oppoſitum, ut minus minusq; prorepenti reſiſtant. Nec ullo modo procedit hæc conſequentia: Ita rei ſemel conceptæ ſemper manſuram memoriam nam ex re ſemel percepta ſive facta primitus impreſſione, nihil in cerebro remanet, quàm fibrillarum quæ tactæ fuerunt, major, quàm priùs habuerant, in eandem partem flexilitas, quæ ſola tamen memoriam actualem non facit, ſed requiritur inſuper Spirituum animalium ſimilis priſtino in illas fibrillas incurſus: qui cùm non continuè ac indeſinenter, ſed per occaſionem tantùm contingat, non poteſt etiam continuè recurrere ejusdem rei memoria. Cum denique ſubjungit Autor, nec obſtare continuum cerebri decrementum, porroque ſequentia cum his immediatè connectit, nam quomodo poſtea ipſi explicabunt memoriam unius rei continuatæ per annos v. g. quadraginta? priorum quidem verborum ſenſum, fateor, hariolari vix poſſum, in poſterioribus autem hanc exiguam quoque deprehendo obſcurita-

tem & ambiguitatem. Etenim in iſtis prioribus videtur exceptionem quandam innuere, qua quis uti poſſe videatur adverſus ipſius conſequentiam, & quâ nos tamen ut utamur neceſſum haut habemus, cùm alio jam modo illius conſequentiæ nullitatem demonſtraverimus; In poſterioribus vero videtur novo quodam argumento gravare velle recentiorum hypotheſin, quaſi ſcilicet incredibile foret, memoriam rei ſemel perceptæ poſt 40. annorum intervallum per ejusmodi impreſſionem olim factam, renovari poſſe, quod illa fibrillarum inflexio interea vel millies immutari potuerit. Cui quidem hoc reponere jure poſſumus, ex hac ipſa cauſa difficiliorem eſſe, cæteris paribus, rerum ante multos annos, quàm aliarum heri aut nudius tertius perceptarum reminiſcentiam, non tamen ideo eſſe prorſus impoſſibilem, præſertim ſi cum impetu aliquo, aut concomitante affectu, facta ſit impreſſio in tenues & faciliùs plicabiles puerilis cerebri fibrillas: prout ſanè compertum eſt, ſemel factam in Charta quadam ſubtiliore plicaturam intra plures quàm quadraginta annos, imò nunquam, ferè, ita complanari, ne ſtudio quidem adhibito, poſſe ut ejus ne vola quidem aut veſtigium ſenſibile remaneat.

Quintum Autoris Argumentum ex p. 75. edit. novæ ita habet: „Probatur quinto in univerſali, quod figura non ſit „activa; corpuſcula non conſtituunt res ut tales in ſpecie, ergo neque res tales in ſpecie per corpuſcula componentia „ſpecificè operantur, cùm modus operandi ſequatur modum „eſſendi; probatur antecedens, ſi corpuſcula conſtituerent „res, prout tales in ſpecie, à chymicis & per artem factum eſ„ſet aliquod, quod in vivente fit & reperitur, ſed nunquam „per artem factum eſt, quod debeatur aliquo modo viventi, „nunquam enim nec facta eſt caro, quæ in tam diverſa pro„portione, quot ſunt reperire animalia diverſa ſpecie, poteſt „ſtare, nec vegetabilia, quæ in ſimili diverſitate reperiuntur, „ergo corpuſcula non poſſunt rerum eſſentiam conſtituere. Examinabimus ſingula, ut ſimul ſenſus & aſſertorum veritas magis patefiat. Corpuſcula non conſtituunt res ut tales in ſpecie, e. g. corpuſcula ignis non conſtituunt ignem quà talem abſolutè & ſimpliciter ſine certa igniquæ propria modificatio-

ficatione; quemadmodum nec lapides, arena, calx, ligna &c. ſine omni ordine poſita, materiam quidem domus conſtituunt, non autem ipſam domum ſeu domus formam eſſentialem, niſi accedat his partibus materialibus certus poſitus, certa coordinatio, certa connexio, quæ ſc. domus functioni uſuique futuro ſint apropriata. Quemadmodum autem ſub tali ſitu, tali nexu, tali ordine &c. partes illæ materiales domum ut talem in ſpecie conſtituunt, ejusque formam & eſſentiam totalem, Ariſtotele hoc ipſum paſſim aſſerente in Libris Phyſicis; ſic ignis corpuſcula ſua iſta ſoluta libertate, acutâ rigiditate, ac celerrima confuſaque in omnes partes agitatione, ignem ut talem in ſpecie conſtituunt; & cum modus operandi, ipſo Autore fatente, ſequatur modum eſſendi, palam eſt & inversâ conſequentia inferendum, ipsâ quoque rem confirmante experientia, corpuſcula ignea mediante illâ ſua celerrima agitatione eſſe maximopere activa. Ergo per limitationem antecedentis, vis argumenti allati jam ſufficienter eliſa eſt & infirmata, ut ne opus quidem haberemus antecedentis probationem ab Autore datam ulterius excutere. Ut verò ex abundanti id faciamus, illius probationis nervus in hoc videtur conſiſtere, quòd, ſi corpuſcula rem quamvis ut talem in ſpecie conſtituerent, Chymia quoque (cui cum corpuſculis vel maximè negotium eſt) per artem præſtare deberet, quod aliàs à viventibus tantum fit, carnem e.g. producere &c. quod tamen falſum ſit & Chymiæ præſtitu impoſſibile. Sed negatur & pernegatur hæc conſequentia: tametſi enim non deeſſent Chymiæ corpuſcula ad conſtituendam carnem requiſita, modus tamen illa corpuſcula ita diſponendi, coordinandi, connectendi, ut caro inde & carnoſæ exoriantur fibræ, non ſolum chymicam artem univerſam latet, ſed etiam viventibus ipſis & viventium animabus omnibus eſt abſconditus, ut fiat quidem in vivente (velut Autor rectè loquitur) non verò à vivente, niſi ut ab organo & cauſa inſtrumentali, cujus virtus tamen, (ipſo fatente rurſum paulò inferiùs Autore) non eſt ſufficiens ad introducendam talis mixti formam, ſed requiritur altior quædam ſuperioris Agentis virtus; per quod ſuperius agens ne quidem animæ facultas cum Antiquorum Schola intelligi poteſt, ſed

multò ſublimior, à quâ ſcilicet univerſa illa viventium admirabilis fabrica organica, cujus interventu carnium ſtructura perficitur, dependet, ea nempe virtus, quæ cum ſumma potentia ſummam etiam ſapientiam conjunctam habet.

Atque hæc etiam eſt vera demum & genuina ratio, cur vinum non poſſit ex quocunque infuſo vinum ſibi ſimile, nec lac aliud lac ex materia diverſa generare; cum ſanguis animalium ex omni pabulo, mediante fabrica organica pabuli præparatoria, & intrinſeco ſuo artificio DEO ſoli noto, ſimilem ſibi ſanguinem jugiter conficiat; quia ſc. & organica illa fabrica præparatoria, & intrinſeco illo motu ſpecifico, qui ad infuſa alia in vinum convertenda requireretur, deſtituitur; quæ tamen organica fabrica præparatoria in vitium ſpecifica textura & blando ſolaris caloris motu, è ſolo rurſum inſtituto divino, nulli humano artificio imitabili, reperitur. Imò nec auri ſimiliumque licet inanimatorum, formas Chymia imitari, niſi quoad externam ſpeciem, poteſt, quod rurſum diffiteri non potuit Autor; quia nimirum, qualia & quanta, qualiter diſpoſita & connexa eſſe debeant illa corpuſcula quæ auri formam conſtituunt, ignorat, & ſi hæc non ignoraret, efficere tamen quæ requiruntur non valeret. Verùm, cum ſub finem hujus ſuæ probationis Univerſalis quærit Author, qualis ſit illa qualitas, in carne puta, ſanguine &c. generandis, â principio animaſtico inducta? Et reſpondet talem eſſe, qualis promanat à ſubſtantia magnetis ad attrahendum ferrum, ſi porro urgeretur, qualis verò ſit hæc è ſubſtantia magnetis promanans qualitas? viciſſim fortè reſponſurus, talem eſſe, qualis in carnibus & ſanguine generandis activa eſſe ſoleat, digno ſcilicet ſcholaſtica ſubtilitate circulo; & quando tandem jactat inferiùs ſe oſtenſurum, eam magnetis qualitatem activitate corpuſculorum non poſſe ullo modo probabiliter explicari non veremur contrà polliceri, nos itidem, ſi vitam viresque DEUS conceſſerit, demonſtraturos eſſe, non poſſe ullo alio modo virtutem iſtam magneticam imaginabiliter quidem, niſi per corpuſculorum aliquem motum explicari & qualis hic motus concipi debeat, probabiliter ſaltem exponi poſſe, dum interim Antiquorum Scholæ præter nuda rerumque inania

nomi-

nomina nihil afferre in medium poſſint. Atque nunc, his etiam expeditis, ad ſextum Autoris argumentum eſſet progrediendum, ſi limites Epiſtolæ, quos dudum ſupergresſus ſum, id eſſent permiſſuri. Verum cùm & abuti Tua FAUTOR HONORATISSIME, patientia indecorum foret, filum hîc telamque abrumpo, impoſterum, ſi DEUS voluerit, eam reſumpturus pertexendam. Interea vive Tu valeque, & annum quem ſumus ingreſſi nuperrimè, multosque qui deinceps ſequentur, lætabundus numera & ex omni parte beatus, me de cœtero conſtanter habiturus

Nobiliſſimi & Excellentiſſimi
Tui Nominis

Dabam è muſeo d. 15.
Jan. 1698.

Cultorem certiſſimum

Joh. Chriſtoph. Sturmium.

Chry-

De Chryſopœia

Variæ

Literatorum Epiſtolæ

communicatæ

Per

DN. D. THEODORUM ZWINGERUM

Prof. P. Baſileenſem

POſſibilis ne, vel impoſſibilis ſit imperfectiorum Metallorum in Aurum verum & genuinum mutatio, plurimis alii diſquirant rationum monumentis, diſceptent argumentis, atque pugnent experimentis. Ego, quid hac mihi in re certò ſtatuendum ſit, dubius hæreo, neſcio. Si affirmem, obſtabunt plura, quæ ſcrupulos injiciant, & vel hoc etiam inter alia maximè, quod tam pauci hactenus extiterint, qui arcanum hoc adepti ſint, cum ἀδύνατον videtur eſſe, inter tot hominum & Alchymiſtarum millia non plures longè, poſt tantos in Metallis inſumptos labores tandem Philoſophicum illum lapidem, aut Tincturam Univerſalem invenire debuiſſe. Si negem, obſtabunt duo illa Auri Chymici perfectiſſimi fruſta, quorum alterum quidem ab *Alexandro Sutoneo*, Scoto, in conſpectu & præſentia Proavi mei Jacobi Zwingeri, Phil. & Med. Doct. ac in Univerſitate noſtra Profeſſoris, Chymici præſtantiſſimi; alterum verò à *Leonhardo Thurneiſero* factum, inter rariora mea adhuc ſtudioſè adſervo. Placuit ergò magis,

gis, quæ de illa inprimis *Sutonei* Chryſopœia, prædictus meus Proavus cum diverſis Viris doctiſſimis communicavit, ipſiusmet partim, partim & aliorum ad ipſum perſcriptis litteris erudito orbi exponere, & examinanda offerre.

EPISTOLA I.

SEBASTIANO SCHOBINGERO

Medico Experientiſſimo. S. D.

Sangallum.

SCire à multis diebus cupiviſti, Clariſſ. Vir qua tandem Medeâ Æſoni recocto priſtinus ætatis vigor redierit, ipſumque adeò plumbum depoſitâ ſuæ impuritatis ſenectâ, in aurum purum, nitidumque conceſſerit. Quando autem ego ἐποχῇ vel Pythagoricâ vel ſaltem Pyrrhoniâ hactenus nil reſpondi, ſuſpicionem fortè nonnullam ſubdubitandi Tibi movere potui, tantæ rei myſteria ſacrorum inſtar Eleuſiniorum premenda, ſtudio à me occulta teneri, nec temere in vulgus efferri, quod omnem fidem, ſenſuumque quantumvis acerrima κριτήρια ſuperare ſoleat. Id certè quantumvis movere me potuiſſet, nonnihil imperitæ multorum incredulitati, jure ſi non merito ſaltem aliquo indignantem, commiſſi tamen ſilentii cauſa non fuit; cùm id, quam fuit diutinum, ſolius fatear, variorum negotiorum συνδρομῆς, inofficioſum eſſe delictum, nolente etiam Domino improvidè admiſſum: jam tandem liberior nonnihil ab iis, quæ me diverſum abripuerant, quod pridem ſcire flagrabas, ſat citò ſi ſat benè narraturus ſum breviter: non ut quicquam fide majus perſuadeam temerè, ſed rem ſimpliciter, prout eſt geſta, candidè exponam: atque adeò tuo ipſius maturo judicio, quid in alterutrum vel καταφάσεως vel ἀποφάσεως partem colligi poſſit, liberrimè relinquam.

Plures jam menſes ſunt, cùm Baſileam veniret quidam natione Scotus, qui ſe ex illuſtri Comitum familiâ oriundum, *Alexandrum Sutoneum* dicebat. Is meum deſiderabat familiare colloquium, ut quam adſcripſerat privata ſcheda *Raphaël Eglinus, Tigurinus Miniſter*, coram ſalutem diceret, mecumque adeò de Chymicis rebus amicè conferret. Ego interea maximâ illius

illius diei parte domo abiens, hominis videndi ante ſextam veſpertinam locum nullum habui. Tum demum congreſſi, cùm ultrô citroque de communibus Studiis Medicis veriùs quàm Philoſophicis, quantum in iis mea ferebat infirmitas, diſpiceremus; ſperabam ipſum ſua ſponte Philoſophicæ transmutationis mentionem injecturum: cùm illius ſpecimen antea quàm me conveniret, noſtrati Pharmacopœo *Andreæ Bletzio*, admirandum planè exhibuiſſet, plumbi aliquot unciis in aurum purum converſis. Cùm verò id ipſe non ageret, conteſtari hominem incepi, & amicè, ſi quid hâc parte certi noviſſet, rogitare, ut vel minimo ἀὐλοψίας periculo me exhilararet, qui cæterum de re tanti momenti, an unquam effectui dari poſſet, non niſi addubitarem. Bis, terve, cùm ſeriò negâſſe videretur, nihil ſe quippiam eo in negotio comperti vel ſcire, vel habere; tandem precibus victus condixit, eâ lege, ut ſecum cœnitarem, allatâ, quâ vellem, ferri vel plumbi, aliusvè metalli copiâ. Placebat conditio; negotiis interea Medicis percuratis, poſt ſeptimam veſpertinam plumbum in tenues ductum laminulas adfere, cujus unciis tribus cum ſemiſſe minutim conciſis crucibulum ipſe protulit, quâvis re aliâ vacuum, & inane, in quod ſegmenta ipſe & nos, qui ſpectatores aderamus, interſperſo ſulphuris pulvere, à Pharmacopola exhibito, recondimus. Protulit tum cucullo incluſum rubentem pulverem pondere ſat gravem, cujus dimidii grani quantitatem bilance expenſam, cùm mihi ſervandam dediſſet, ad focum Aurificis properavimus; cui poſtquam crucibulum impoſuiſſet incaleſcenti juſſit, quem chartulâ ſervabam, incluſum pulverem adjicere. Eo facto, carbonibus ardentibus supernè injectis ignem validum ſufflando excitavimus, quo per horæ quadrantem perdurante, effuſo & exempto, quod in catino erat, purum putum, & vel Ungarico præſtantius aurum deprehendimus; ſcoriarum nihil vel parum admodum remanſit. Attonitus ego tantæ rei conſpectu, dubius hæſi nonnihil, an ſine fraudis aliquo ingenio res tantâ admiratione digna præſtari potuerit? apertè mihi profeſſus eſt, quodvis metallum ſe pari modo ad ſuam perfectionem reducturum; quamvis de aliis, inprimis de ferro plus excrementorum ſecedat, quàm de plumbo. Flagitabam aliquot grana artificis pulveris, ſed pernegavit,

vit, de cætero ſummè benevolus, auri ſaltem confecti fruſtulo donarii vice relicto. Abiit hinc properè ſequenti die, Vir modeſtus, ſplendidè veſtitus, duorum famulorum comitatu uſus. Sic aurei velleris longè minore negotio, quam Argonautarum turbæ, vel conſpiciundi ſaltem occaſio, ſummâ noſtrâ philoſophicâ quiete non defuit. Tu jam, quem voles plauſum edito. Quod ſi verò dubitandi anſam ambabus manibus amplecti, remque geſtam accuratiùs expendere volemus, fortè non omninò carere poterit illuſionis alicujus ſuſpicione. Si fraudem facere de induſtriâ voluit, ut potuit, ſic certè ſine ullo vel mei vel alterius cujuſpiam detrimento conatus eſt: quando totus à communi aliorum turbâ diverſus nec operandi locum ullum, nec Principis alicujus familiaritatem, quo ditaretur, requirere videbatur: Principes fugiens, ſatis ipſe nummatus, ad Regem Angliæ, à quo pro gentis more & conſuetudine revocabatur, properans. Tum ſi circulatorio dolo ludere voluiſſet, & manuum dexteritate loco plumbi aurum catino injicere, quamvis nos plumbum his viſum oculis, ipſimet manibus agitatum impoſuerimus, cur tantâ copiâ ſignatum aurum igne diſſolutum perdere voluiſſet? cùm ultra quinquaginta ducatorum ſummam, duabus projectionibus, heic Baſileæ factis, elicuiſſet, non hæſitanter affirmare auſim, cùm in minore copiâ ejusdem fidei & auctoritatis futurum ſpecimen exhibere potuiſſet. Sed audi, quid mihi dubium moveat. Qui furno adſtitit Aurifex, cum jam jam eximendum crucibulum intueretur, in eodem ceu plures ibi aurei ſolares incumberent, obſervavit. An ergo manuum expromptâ celeritate, nobis non animadvertentibus aurum plumbo admiſcuit? an verò auri ebullientis quaſi ſubſiliens motus eam præ ſe ferebat ſpeciem? Plumbum certè nunquam cum auro in puram nitidam, ſuiſque numeris abſolutam & perfectam coire maſſam quotidianâ experientiâ deprehenditur. Vel ergò ſincerè egit; vel faſcinatis noſtris oculis, plumbo luſit, plumbeique loco crucibuli, auro repletum ſubſtituit.

Hæc ſunt. Clariſs. Vir, quæ hactenus quærenti tibi de ingenioſo philoſophicæ perfectionis experimento reſpondere libuit. Tu ſi quid ſimile unquam vel verum, vel fictum videris, audierisvè, ad nos perſcribes, ſimulque tuâ nos ſenten-

tiâ edocebis, taliſne transmutatio ſtantibus naturæ rerum immotis principiis, ſine ullius malæ vel ludicræ fraudis interventu præſtari unquam poſſit? Ego in negantem hucusque partem cùm inclinarem, *Scoti* tamen hujus ſpecimine nonnihil mutavi propoſitum, quantumvis iis ipſis quæ vidi, certam omninò fidem præbere non poſſim. Optimè vale, & conſanguineum tuum Doctorem *Bartholomeum Schobingerum* ex me officiosè ſaluta.

Dabam Baſileæ 14. Februar.
Ann. 1604.

Tibi addictiſſimus
Jacobus Zvvingerus.

EPISTOLA II.
ALEXANDRO SVTONEO, SCOTO, Jacobus Zvvingerus. S. D.

NI tam eximia fuiſſet benignitas tua, Illuſtriſſime Virorum quâ indignum me tanto favore, gratioſè, dum hac tranſires, fovendum & amplexandum exiſtimâſti, eò audaciæ nunquam progreſſus eſſem, ut hiſce literis inpræſentiarum Tibi obſtreperem. Quando verò me ſemel dignum tuâ familiariori notitâ judicâſti, & tantæ rei, quâ haud aliam majorem totius exiſtimo Univerſi, pridem deſiderato intuitu me beâſti; quod abituro me facturum condixi, ut qui coram non poſſem, internuncio ſaltem literarum, vel in extremam quoque Thulen, aſſiduus comes Tibi aſſiſterem: illius ecce ſermonis jam primum ſpecimen; quo ſollicitè mihi annitendum duxi, ut de tui itineris ſucceſſu, vitæque modo certi quippiam inaudirem, measque imposterum minori jacturæ cujuspiam ſuſpicione ad re committerem, quando nec illas tibi ingratas futuras videbimus. Dum ergo illius ex voto fiam compos, ſuperſedebo longiore ſermone, quem de communi noſtro philoſophico ſtudio in medium proferre poſſem; unum hoc obnixè flagitans, ut quando illius rectâ eundi, nec ullibi impingendi regiam

regiam tenes, tanquam χοραγὸς aliquis me vel plenè ducere, vel ad aditum ſaltem & ingreſſum tam eximiæ palæſtræ conſtituere digneris. Conferes, quicquid fuerit, in hominem fortè non omninò ineptum, nec, quod haud arroganter dixiſſe veſim, penitus indignum, quando tu unus, dum vivam, debitæ laudis & gratitudinis argumentum plauſibile, & verè illuſtre mihi futurus ſis. Ingenium tuum admiratus *Eglinus Tigurinus*, propemptico carmine te proſequendum exiſtimavit; quod præſentibus hiſce adjicio; ſimulque generoſo tuo in me adfectui proſpera omnia, vitæque longævam precor felicitatem; dum ex tuis, quas ſubmiſsè efflagito, reſponſoriis literis intelligam, ubi locorum impoſterum ſedem vel fixam, vel diuturniorem ſtabilire contendas. Vale & adfectu me tuo ſemper proſequi perge.

Scripſi Baſileæ. D. 16. May. Ann. 1604.

EPISTOLA III.
JOH. JACOBO FRISIO. S.D.

Tigurum.

Accepi imagines, Vir Clariſſime quas miror Pictori à te depingendas datas fuiſſe. Magno enim depictorum exemplum conſtitiſſet, quod triplo viliori precio ab Italis, vel Venetiis, vel Francofurti haberi poteſt. Nec enim ita diſtractus eſt Liber, ut amplius non proſtet, impera duntaxat *Wolffio* veſtro, ut Francofurti perquirat: inveniet certè niſi me opinio mea fallit. Quod de *Scoti* ſpecimine plumbi in Solem mutati, ſcribis, vel cupis, ita eſt: Dederam ipſi tres cum dimidiâ plumbi uncias: has in tenues laminulas ductos, minutimque conciſos in catinum præcipitavimus, interſperſo ſulphuris polline, quem noſter Pharmacopœus, in cujus tabernâ hoc fiebat, ſubminiſtrârat. Impletum catinum charta quadruplici indidem acceptâ cooperuit. Poſtea cucullum *Scotus* cartaceum protulit, ruffo pulvere refertum, cujus dimidium granum bilance expenſum, cum ſumpſiſſet, ad propinqui Aurificis furnum properavimus: in quem depoſitum catinum, prunis ſupernè,

inferneque, ad latera quoque probè munitum, quadrantis circiter horæ ſpacio fatigavimus: tandemque exemimus, & aurum purum putum, vel quovis Hungarico melius, habuimus. Lamina erat longitudine fuſcinæ formæ reſpondens, quam ad ſe *Scotus* ſollicitè rapuit, mihi petenti relicta portione aurei pondo; qualem ſimilem petenti Pharmacopœo negavit. Quæ res mihi dubia ſemper, incertaque viſa fuit: ſi enim ipſiſſimo Magiſterio inſtructus fuiſſet, annon mihi laminam, auream licet, ex meo tamen plumbo productam relinquere, vel inter alios, qui aderant, amicos diſtribuere potuiſſet, vel debuiſſet. Quò tandem homo evaſerit, incertus ſum. Quidam mortuum, alii interfectum, nonnulli captivum memorant; ut diſſimiles adeo ſint de re incerta ſermones. Vale, Vir præſtantiſſime.

Baſil. D. 10. Aug. 1604.

T. T. Jacobus Zvingerus.

EPISTOLA IV.

ANDREÆ LIBAVIO. S.

Rotemburgum ad Tubarim.

SPerabam hucusque id futurum, quod abiens *Scotus* noſter ſpoſponderat. Sed in caſſum ſperabam; non enim ſcripſit, ut, quamvis Pariſios ire ſe diceret, neſciam tamen, quo iverit. Genevæ cùm eſſet, ſalutem mihi, internuncio amico, amicam dixit, ſeque prout receſſerat, ſcripturum ad me, ceu vadimonio dato aſſeruit. Hucusque tamen datæ fidei parum fuit memor. Ejus ſæpè καλόρθωμα attentiùs expendi mecum, num penitus ſincerum eſſet. Maſſam auri productam ſollicitè, quod probè videbam, ad ſe receperat: id quod mihi juſtâ non videbatur ſuſpicione caruiſſe. Ego plumbum ſubminiſtrabam ipſe, an ergo, quod meum erat, ſuo licet melius redditum artificio, retinere debebat, ne ſcil. pauculorum aureorum acceſſione ditior forſan evaderem? An aureum pulverem, quo mira fecit, ex ſole procudit, non plus effecturum, quàm ante fuit? Hoc quidam opinantur haud temerariâ conjecturâ, inter

inter quos Doctor *Giſelinus* eſt, *Roſtochianus*, Vir planè ingenuus, & quem frons linguaque promittebant, Chymicus ingenioſus. Hic eum tingendi modum familiarem habuit, mecumque communicavit, parvorum ſumptuum, nec magni laboris. Quanti fecerit ad Auri tincturam *Paracelſus* ſalis aquam, non ignoras: plures illius modos tuæ quoque Alchymiæ inſers; ſed eum percuperem, qui copioſam proferret. Si ſcias & communicaveris, fortè non deerit, quod ἀντιδώρου vice recipies. Optimè vale, Vir Clariſs.

Dab. Baſileæ, D. 20. Aug. A. 1604.

T. Zvingerus.

EPISTOLA V.

CL. V. D. JACOBO ZWINGERO, Philoſoph. & Med. inſigni, Profeſs. Baſiliens. Amico ANDREAS LIBAVIUS. S.

Baſileam.

DE meo in te animo, Vir præclare, non eſt, ut dubites. Neque enim conſenſio opinionum eſt amicitia, ſed jucunda animorum, maximè circa virtutem & honeſtatem conjunctio. Nunquam deſii te propter virtutes tuas, ingeniumque diligere, ut intelligas, conciliatricem illam ſimilitudinem inter nos non fuiſſe ocioſam, aut temerariam. A literarum commercio partim propter occupationes me cohibui, partim, quod nullum eſſet te dignum argumentum. Non itaque abjectum putes hoc officium, ſed ſuſpenſum aut repoſitum, unde poſſet quaſi poſtliminiò, ſi opus foret, repeti, ad quod cùm tu prior me provoces, (ubi mirabilem quandam vim ſomni & ſoporum tuorum, de quibus aliquid luci polliceris, animadverto, utpote cum te reddant vigilantiorem, alios ſoliti tantùm non ſepelire, & fratri ſuo tradere; Amo verò tales ſomnos cum ipſis dormientibus & ſomniantibus) eò impenſius amo ſtudium tuum, maximè cùm videam etiam ſententiâ & opinione mihi te conjun-

junctiorem, niſi quod ſcrupulus quidam puſillus aſſenſum pleniorem adhuc cohibeat, quem puto tibi pauxillilulo labore poſſe eximi, detrahique. Vidiſti hominem *Scotum*, eumque non vulgarem erronem, aut de plebe caculam & ſcurram, ſed majorum gentium Comitem. Is cùm tecum eſſet in Pharmacopolio, juſſit lamellas plumbi, quod verè & naturâ plumbum erat catino imponere, quod tu perficiſti ipſe: cum hoc ipſo quidem geſtante perventum ad Aurifabrum eſt; igni immiſſum vaſculum; fuſum plumbum; injectum dimidium granum aurificis pulveris. Conflatum eſt aurum, cujus tibi portiunculam explorandi cauſa, atque ut teſtem artis reliquit. Ut ad *Doldium* noſtrum ſcripſiſti, operationem vidiſti omnem, ut ſi tuis oculis fidem habere velis, nihil poſſis de Artis certitudine dubitare. Neque verò tu ſolus es, neque Baſilea ſola, quibus hoc contigit. Sunt in promptu ejusdem operis teſtimonia & experimenta plura, quæ apud *Hogbelandum*, atque etiam in defenſione Alchymiæ contra *Guibertum* legere potes. Inter omnia nullum eſſe arbitror, quod tam propè ad tuam accedat hiſtoriam, quam illud, quo in *Ænigmatici Epitaphii* explicatione recenſet *Nicolaus Barnaudus.* Tam parum tribuit Chryſopœiæ *Anſelmus Boot*, *Belga*, quàm tu antehac; ſed experimento convictus, manum veritati dedit. Extat Hiſtoria in *Theatri Chymici* nuper editi *Volumine III. pag.* 838. Sed quid te adhuc detinet, quò minùs plenâ fide tibi perſuadeas, te verè vidiſſe id, quod vidiſti, & cujus experimentum in tua habes poſſeſſione? Potuit, inquis, in viâ permutare plumbum auro; ſed conſule oculos tuos & Aurifabri? Quidnam erat in catino, cum offeretur magiſtro in ignem ponendum? Ec quid ille fudit? Cui rei immiſſus eſt pulviſculus? Si lamellæ fuerunt aureæ tantùm, cur non extra ignem eas agnovit auri tractandi magiſter? Sin unâ plumbum, aut in aurum irrepſit, aut ſegregatum eſt. Illud fieri non potuit. Non enim ramentum, quod tibi datum eſt, auro ungarico certaret; & eſt facilè plumbi immiſti judicium. Si ſegregatum, reliquit lithargyrum, aut molybdænam, aut alia recrementa in catino: non enim exhalat totum. At hujus gratia ſcrutandus catinus eſt, in quo adhuc erunt veſtigia.

Præter

Præterea ille tuus Aurifaber non experimentum rei, fidemque in manu poſitam ad opinionem adhibuit, hancque inde æſtimavit, ſed per vim attraxit, & viſus eſt, ſibi videre, quod non vidit oculis, ſed pravâ perſuaſione videre eſt compulſus. Quàm alienum ab arte eſt, ſub finem conflaturæ, cùm jam extrahendus ex igne eſſet catinus, vidiſſe ipſum quaſi cumulatos aureos? At colliquationem præceſſiſſe neceſſe fuit, nec integrè adhuc diſſipatum fuiſſe ignem, ſi ex arte egit. Id quod poſtea in catino deprehendebatur, maſſane erat, an diſtinctæ lamellæ monetæ aureæ? Neutiquam verò nummi. Quid ergo is putavit, ſe in igne vidiſſe? Deinde quænam quæſo moneta eſt, quæ bonitate ſuâ poſſit Ungaricum aurum antecellere. Si fuit aurum coronarium, abeſt ab exactâ puritate ferè tribus caractis. Tu ergo corripe ſpecimen tuum, & explora examine aquæ cauſticæ, vel etiam ad acûs revoca, aut in cæmentum, vel cinereum catillum infer. Verum deprehendes. Obſtaculo hoc jam remoto *Nicolao Fulicæ* (quem Waſſ rhun ſi rectè lego, appellas) bonâ fide tibi id, quod non tantum vidit, verùm etiam perfecit ipſe, narranti & facto adſtipulanti credere in plenum potes. Et quid quæſo credas, ſi nec tibi comperta, nec aliis? ſi nec nos nec alios teſtes admittimus, quid relinquimus tandem experientiæ & ſenſibus certi? Habes & ſecundum teſtem, *Jacobum Altheiſerum*, eumque hujus autoritatis, iisque argumentis inſtructum, ut pudor eſſe debeat boni viri teſtimonio non accedere. Geſtat experimentum in manibus ſuis, Doctor Medicinæ, quem nulla temeritas infamem fecit, ſed conſtans gravitatis, fideique fama defendit. Quid ni ſit fide dignus? Veruntamen impoſterum vafricies, & mille comperti doli, te adhuc prudentem faciunt, ne quid affirmes temerè. Laudo conſilium de ſingulari exemplo, (quod tamen & natura verum confirmat, & concurſus plurium, etiamſi in hâc perſonâ minùs foret ſincerum) gaudeoq; te mihi tam affinem & animo, & ſententiâ factum. Pariſienſium negotium cum *Quercetano* nihil ad me. Provocatus non deero veritati. Jam tertiam partem commentarii Chymici molior, ſperoque te brevi viſurum totum. Vale, & me amare perge.

8. Octobr. 1604.

Rotemburgi ad Tubarim.

EPISTOLA VI.

ANDREÆ LIBAVIO,
Medico & Chymico Celeberrimo

JACOBUS ZWINGERUS. S. P.

Rotemburgum.

ERgo me tandem, *Libavi* Vir Clariſs. Scepticis inferas, quibus ſolum, *non liquet*, cordi eſt, ut intra limites alterutrius aſſertionis ambigui, neſciant tandem quid ſciant: & longè verius, quàm *Socrates*, hoc unum, quod nihil ſciant. Sed audi. Non minùs comprehendendæ veritatis ἀῤῥωςίαν quàm πελιπϰ'τειαν, quantum per naturæ infelicioris præſcriptum licet odi. Ultro citroque dictis rationum momentis, quibus ſcatent plurimorum arbitrarii diſcurſus, ita impellor, ut ſi, poſito affectuum ſuperpondio, æquâ rationis philoſophicæ bilance exploravero ſingula, inclinet animus in ἀνασκευὴν τῆς χρυσοποιίας. Non ignoras, quid *Raymundo Lullo* contigerit, quem tamen majore præditum ingenio facilè judicabis, plus ingenuitatis heic exeruiſſe, dum victum experimenti certitudine neglectis commutationum argutiis reſipuiſſe memineris. Sed felix is fuit, cui Vir bonus, viæ, veritatisque Dux *Villanovanus* tanquam ἕρμαιόν aliquod contigit. De *Scoto* verò (*Alex. Sutoneo*) quem ego vix prius vidi, quàm à nobis feſtinanter recederet, cùm non haberem, quod dicerem certi, & eſſent ambigua nonnulla, ἐπεῖχον. Catinus quem in ignem immiſeramus, plicâ à quanquam vel ſexies obtectus eſſet chartâ, ut ne ab Artifice quidem ſciretur, quid rei ineſſet, dum vel jam eximendus aureorum cumulis reſtagnare videretur. Sed ita eſt, ut dicis, quod ego quoque facilè collegi, ſi auro ſuppoſititio luſiſſet, jam eximendum colliquatum apparuiſſet, nequaquam integrum. Ut exiſtimem, ebullientis eam, quam viderat objectam ipſius oculis, fuiſſe ſpeciem. Quanquam autem, quod ſatis circumſpectè non vidiſſemus, ex omni parte non affirmem; idem tamen καλόρθωμα in alterius Aurifabri officinâ æquè patrâſſet. Dum ſingula attentiùs perpendo, de permutato crucibulo ſcrupulus

pulus, qui me premebat, eripitur, cùm is qui adſtabat, bonâ fide enunciet, illum ipſum, cui plumbum immiſſum erat, igni quoque impoſitum fuiſſe: Ut, cùm huic, verùm quoque meo cedam experimento, non auſim tamen bonorum virorum ingenuitatem & fidem in dubium vocare longiùs; & quod experientia comprobat rationum commentis pertinaciùs impellere. Faxit Deus, ut alterutri noſtrûm occaſio quoque inpoſterum ſeſe offerat, rei tantæ certiùs, ſi quid priori certitudini ſuperaddi poſſit recognoſcendæ. Percurri his diebus *Severini Dani Ideam Medicinæ Philoſophicam:* quid ipſius ſint Elementa immiſcibilia; quæ ſeminum beneficio in conſpectû ſe proferant; quo pacto hinc corporibus terminentur, trium principiorum, Salis, Sulphuris, Mercurii interventu, non ſatis aſſequor. Se demonſtrare dicit, cùm tamen ego narrantem ſolùm videam. Annon idem contingit *Quercetano*, qui veſtigia legit *Severini*. Unde quæſo corpora illa, & corporum principia tria, quæ ab Elementis quatuor communibus diverſa putat? An illa ex Elementis ipſius & ſeminibus nata? An omnia certo miraculo creationis ita producta exiſtimat; ut à ſe mutuo non prodierint, quod tamen vulgus Græcorum Philoſophorum exiſtimat. Quæſo, ſi quid tibi certi de ipſius ſententiâ compertum eſt, & quid de principiorum illius innovatione cenſeas, ceu auctarium aliquod eorum, quæ in tuis ſingularibus vidi, adjicias. Proderit id mihi ad eam commentationem, quam jam præ manibus habeo, de *Chymicorum Principiorum certitudine,* ad Medicorum Græcorum & Arabum generalem conſenſum adhibitâ: quæ excuſſa tantiſper è manibus ſaporum meorum tractatum proximis nundinis proſcribit. Optimè vale Clariſſime Vir, & me amare perge.

Dabam 5. April. 1605.

Baſileæ.

(o)

EPISTOLA VII.

JACOBO ZWINGERO,

Philoſoph. & Medico. S. P.

Baſileam.

Etſi me officia humanitatis, quibus me proſecutus es, Clariſs. & Præſtantiſs: Dn. Doctor, quum ante biennium vobiſcum verſarer, Apollineæ Laureæ gratiâ, hactenus ad literas invitare debuiſſent, ut oſtenderem & eorum memoriam mihi gratiſſimam eſſe: quia tamen nunc novum, Teque dignum argumentum nactus videor, id officium non diutiùs differendum cenſui. Id autem eſt, non quid videatur de *Philoſophiâ meâ Eucharisticâ* adverſus *Bellarminum*, quam Te accepiſſe nullus dubito; nec de controverſiâ, quæ eſt *Quercetano* (qui in defenſione ſuâ honorificentiſſimam Tui facit mentionem l.1. c.1. p.10. l.7. ut & *D.Cherleri* paulò pôſt) cum Collegio Medico Pariſienſi: nec denique, ita ne ſit, ut narrat *Evvaldus de Hogbelande* (in Hiſtoriis aliquot Transmutationis metallicæ, *Coloniæ* nuper editis, pro defenſione Alchymiæ contra, ut titulus habet, hoſtium rabiem) de quodam Scoto, quando concluſurus transmutationem & ferri & plumbi in aurum Coloniæ factam, ita de eo inquit p. 17.l. 31. *Eoſdem luſus feciſſe ſe affirmat Roterodami & Amſtelodami, Francofurti item, Argentorati & Baſileæ, ubi auri etiam à ſe facti fruſtulum reliquiſſet D. Zvvingeri id petenti.* (Nam de iis liberam reſpondendi facultatem facio, excepto poſtremo, cujus deſiderio magis teneor, aliorum, quàm mei cauſâ.) Sed quid videatur de cauſâ aucti ponderis in certo aliquo ſubjecto, vehementiſſimo igne, abſque ullius alterius materiæ acceſſione tractato. Auro ſoli nihil decedit in igne, prout ſecundùm experientiam ex *Augurello* in Abditis ait *Fernelius*: neque tamen ponderis quicquam adquirit; imò perdit potiùs, niſi ſit obrizum. Neque mihi perſuadere poſſum, ignem ſuâpte naturâ leviſſimum, pondus augere poſſe. περὶ τȣ͂ ὅτι non eſt, quod dubites; ſæpiùs periculum feci; nec cælabo ſuo tempore, etſi non immeritò Clavis dici poſſit ad ſecretam illam, quam vocant, ſapientiam. Deinde id conſideratione

tione non indignum mihi videtur, quid ſit, quod aurum unâ lance in aquâ conſiſtens appenſum, è cæteris metallis unum temporis ſucceſſu ponderis adquirat aliquid: cùm tamen mole quâvis minus, ponderoſius putetur propter corporis compactionem, ut ne aër, nedum aqua penetrare poſſit. Uſum quidem hujus non video per tempus, ſed abuſum, quem intelligis. Verùm hæc non æſtimantur potiſſimùm uſu vel abuſu, ſed veritate, quam quia te magni facere ſcio: planè mihi perſuadeo, non minùs gratam, quàm facilem tibi fore iſtius ad me inveſtigationem, quam quoque redimam contrà, ubi voles, vel ſimilium quæſtionum non è vulgo petitarum enodatione, vel plurium aliarum propoſitione. Atque ſic de præcepto Pythagorico viam publicam non terêmus. Benè vale, Vir Clariſs. & me inter eos habe, qui te & propter paternas, & propter ipſasmet tuas virtutes admirantur.

Ambergæ. 17. Decembr. An. 1604.

Excell. Tuæ ſtudioſiſs.

Joh. Ingolſtetterus, Sup. Elect. Pal. Med.

EPISTOLA VIII.

JOHANNI INGOLSTETTERO, Doctori Med. S. P. D.

Ambergam.

QUum id mihi, diverſo licet affectu, à Te eveniret, mi *Ingolſtettere*, quod Virgilianæ Didoni, quæ, Hoſpitis Æneæ memor, infixum pectore vultum circumgerebat; eo gratiores proximæ tuæ ad me literæ, mutui amoris, & perennandæ inter nos amicitiæ teſtes locupletes extitere. Iis verò tu Oratorem agis, & per præteritionem interrogas, quæ nolle quidem videris, quibus dum per occupationes brevi hâc vice reſpondeo, quæ reliqua fuerunt, in aliud otium mihi & liberius & commodiùs bonâ tuâ veniâ rejiciam.

Quando ergo, te mihi aurem vellicante, memor ſum orthodoxæ tuæ adverſus *Bellarminum* euchariſticæ ἀνασκευῆς, vel ſaltem, dicente *Homero*, ἰσόθεον ἱερόν, & qui cum Sene noſtro *Hippocrate* τὴν σοφίην ἐς τέχνην agat, plenis verbis deprædico. Quandoquidem ea demum vera mundanæ noſtræ vitæ praxis eſt, quæ in divinæ theorias ἀποτελεσμὸν impenditur. Niſi tu hoc ipſo ſpecimine Chriſtianus Medicus, Ethnicum *Hippocratem* ex adverſo docueris τὴν τέχνην ἐς σοφίην, operoſam corporis ſanandi peritiam, in relligioſam conſervandam, amicam commentationem, aureâ permutatione transferendam eſſe. Quanquam autem ipſum, quod tu indigitas, non viderim ὑπόμνημα, cum tamen gemini filii Parentum ἦθος καὶ πάθος, ceu ſpeculo exhibeant, nonniſi pium, doctum, modeſtum & elimatum eſſe debebit. Subinde *Quercetani* Sales, medicantium Græcanicorum inſipidiora fercula condituri, quid me afficiant, interrogas: Non auſim ego de iis ferre ſententiam, quæ meum captum, vel leviter Hippocraticis & Ariſtotelicis principiis imbutum, longiùs excedunt. Sed quantum παῤῥησία philoſophica permittit amicis, dum legit *Quercetanus* Severinianæ Ideæ veſtigia, præter illa vix quicquam clariùs dicit; nil firmius, quod novorum principiorum ſtructuram, in oculis antiquorum non minùs ἀδύνατον, quàm admirabilem, ſuffulciat. De ἀμηχάνοις (immotis) demonſtrationibus, quibus Balſamum vel mumiam cœlo deducunt, naturali inclinatione, promiſſa video, ſed ea tantùm. Ut ita haud probem omnia, quantum fortaſſis infinitæ opinationi meæ permiſſum eſt, quæ ex *Quercetani* tripode profecta vulgi plauſum exſpectant: non tamen improbo ſtudium perquam laudatum & impigrum, quod in exquiſitâ medicinalium remediorum præparatione, chymico artificio perfunctâ, ponendum exiſtimat; ut, quamvis Pariſienſibus non defuerit argumentum, ipſius (*Quercetani*) agendi & loquendi libertatem, ad aliquam mediocritatem revocandi, ipſi tamen modeſtiæ & prudentiæ medicæ terminos magno omnium cum ſtupore transgreſſi ſunt, quando ſpagyricos omnes, hoc eſt, Chymicæ artis ſequaces & peritos ſuâ Scholâ indignos, ceu oſtraciſimo aliquo â ſe propulerunt. Quantum autem poſteriora, hoc eſt, σωφρονέστερα ipſorum reſponſa intelligo,

ſigo, ſeipſos corrigunt, & Chymiæ eum, qui Pharmacopœiæ, locum relinquunt: ut quod prius edixerant adverſus *Quercetani* & *Turcheti* eam Chymiam, quæ ſolida Philoſophiæ & Medicinæ principia, præ aliis Theophraſteâ temeritate inventis, ſusq; deque habet, intorqueant. Quanquam autem utrosque ego quidem miſſos faciendos eſſe exiſtimem, occaſionem tamen quandam præbuere, altiùs percontandi, num Chymiæ principia & exercitia, cum Græcorum & Arabum Pharmacopœia, quam hactenus omnium probatarum Scholarum Antiſtites & Paraſtatæ amplexi ſunt, conſentiant. Quod cùm mihi non temerè ſic videatur, ut fortè propediem docebo publicè, inanis ea futura eſt lis, quâ *Galeni* ſectatores adverſus Chymiæ Principes acerrimè depugnarunt. De eo autem documento metallicæ transmutationis, quod me ſpectante, & fruſtulum auferente ab aliquot jam menſibus *Scotus* edidit *Chryſopæus*; alio tempore dicam quando jam negotiorum aliorum συνδρομὴ me breviorem reddit. Optimè vale Vir Clariſſime, & viciſſim tuum mihi judicium de Gallorum medicantium Chymicâ contentione impertire & quod officiosè abs te poſtulo, Dominum Magiſtrum *Lucium*, cognatum meum, Dominum item *Grynæum* perquam amanter ex me ſaluta.

Baſileæ. 28. Jun. Anno 1605.

T. T.

Jacobus Zwingerus Med.
D. Græc. Ling. Prof.

EPISTOLA IX.

SEBASTIANO SCHOBINGERO, Medico apud SanctoGallenſes doctiſſimo.

JACOBUS ZWINGERUS. Baſil. D.S

Sangallum.

A Literis tuis, mi *Schobingere*, eum jam comendatiorem habeo juvenem Sangallenſem de quo etiam præclarè alias ſenſi; ut

ut cùm meâ privatâ mentis inclinatione, tum tuâ interceſſione permotus, facilius in id inclinârim, quod mihi aliàs ſuis de cauſis difficiliùs perſuaderi ſolet; eumque hoc ipſo tempore, quo maturiore ob hyemis inclinationem, & domus meæ incommoditatem non licuit, ad me, meamque quotidianam συνουσίαν, eâ quâ cæteros alo adoleſcentes, receperim. Faxit ὁ τῶν ἐάων δωτὴρ, ut quò id ſeriùs, eò feliciùs ex omni parte eveniat. Meminiſti in tuis literis Parentis ejus, Viri optimi, tum inclyti Magiſtratûs, patriæque Reipublicæ. Meis ergo tu verbis, cui videbitur, meorum officiorum fidem, pietatem, ſedulitatem deſpondebis: quando nihil eorum prætermittam, quæ moribus, ſtudiisq; adoleſcentis in meliùs provehendis, ſuſcepti illius à me conditio depoſcit. Miror interea, quæ tu mihi planè nova, & vel meo ſaltem judicio veri diſſimillima de *Scoto* noſtro *Sythonæo* narraſti; quaſi is Duci Würtembergico verba dederit, & fumum auri vice commonſtrârit. Non ego opinor hominem unquam Stutgardiam vidiſſe: ubi verò jam hæreat locorum, animi pendeo. Quo ante pauculos menſes ſe iterum mecum communicavit, non ignoro. Expecto indies, ſi quid certi de eo inaudiam. Quid quæſo veſtri? Qui ſementem fecit ὁ δεῖνα Tigurinus, eo quem noſti loco eſt. Quàm illi magis auream meſſem exſpectabunt? Obſecro te, vel uno verbulo, quæ fuerit malè ceptæ fabulæ καταστροφὴ, indigites; Delirant multa præclara ingenia, mi *Schobingere*; & ſuo exemplo melioris judicii egenos tranſverſum rapiunt. Seminum nihil eſt, quod ad te mittam, liberior nunc ab hortulanis oblectamentis. Quod ſi tamen me juveris tuæ εὐπορίας aliquibus ſpeciminibus, ſi quid interea nactus fuero, tibi mecum commune erit. Optimè vale Clariſſime Vir.

Baſil, 24. Mart. 1606.

T. T.

Zvingerus.

EPISTO-

EPISTOLA X.
JACOBO ZWINGERO. S. P.

Baſileam.

Literæ tuæ, Zwingere Clariſſ. 24. Martii datæ, ante paucos dies ad me demùm pervenerunt. Fuerunt autem illæ mihi longè gratiſſimæ, facientes fidem de propensâ animi tui erga me voluntate, quâ gratificari mihi non renuiſti, ſed *Haltmejerum* noſtrum, meâ interceſſione partim commotus, in ædes tuas & συμβίωσιν quotidianam ſuſcipere voluiſti. Quo humanitatis officio, & me, & illos, quorum nominibus id petii, ita certè devinctos tibi reddidiſti, ut ſi quâ in re viciſſim inſervire tibi queamus, operam daturi ſimus, ne grati animi promptitudinem in nobis unquam ſis deſideraturus. Gratulor Adoleſcenti noſtro fortunam iſtam, cui nihil deeſſe videtur, quin in dies evadat doctior, meliorque, niſi deſit ipſe ſibi: quam tamen ſocordiam tantâ cum impietate conjunctam ab eo ita alienam puto, ut in ipſum nullo modo cadere queat. Te authore ducet filum ſtudiorum ſuorum, non in artibus tantùm, ſed in linguis & literis ab humanitate nominatis; quibus inhærebit tamdiu, donec, quantum profecerit, profiteri cum laude poſſit. Peſſimam ferè conſuetudinem hiſce temporibus eſt animadvertere in æqualibus ipſius, qui præmaturo nimis oſtentandi ingenii ſtudio, impudenter admodum ad concionandi munus aſſiliunt, ubi vix prima Theologiæ principia delibaverunt, in palæſtrâ iſtâ prorſus inexercitati, nullis pollentes dicendi viribus, nullâ rerum cognitione imbuti, nullâ ſacrarum literarum peritiâ, nullaque myſteriorum divinorum intelligentiâ inſtructi. A quorum perverſo inſtituto diſcipulum iſtum tuum, interjecto aliquot annorum intervallo, arcebis.

Quæ nuper de *Sythoneo*, illo *Scoto*, ſcripſi ex relatione aliorum: ex illo tempore contigit mihi videre Monachum Scotum, hâc iter facientem, & in Hiſpanias proficiſcentem, quem cum latinè, græcèque non de vulgari modo, ſed & de ſecretiore philoſophiâ, magnâ meâ cum admiratione diſſerentem audirem, ſuſpicari cœpi, annon fortaſſis *Sythoneus* eſſet, qui hoc

amictu in tam longinquas terras profecturus, ſecuritati ſuæ conſuleret. Et eò quidem usque hæc apud me increvit opinio, ut, multis inter nos ultrò citroq; mutatis verbis, non dubitârim inſinuare mentionem *Sythonei* illius. Quo audito nomine Monachus iſte, ceu non levi perfuſus gaudio, explicato ſupercilio avide hâc me quæſtione excepit: Quidnam mihi de *Sythoneo* conſtaret? Quæ ſciebam, reſpondi, petiique ſi quid ipſe præterea de homine iſto compertum haberet, ne id mecum communicare gravaretur. Cùm aliquantiſper renitens hominis notitiam diſſimulâſſet, in hæc tandem verba erupit: Dies non ſunt multi, ex quo Hominem Ratisbonæ vidi, quocum ibidem ſum collocutus: Is ſe Nobilem Gallum dicebat, me verò popularem ſuum, & ipſum quoque Scotum eſſe ignorabat. *Sythoneus* is erat natione *Scotus*, ex illuſtri familiâ oriundus, de cætero Vir non indoctus, à cognitione tamen lapidis philoſophici meo judicio valdè remotus, & miror quomodo ſe alat: Nunc agit, credo, Auguſtæ Vindelicorum. Hactenus Monachus ille, Vir omni doctrinæ, eruditionisq; genere tinctiſſimus, ex Regiâ (ut poſt diſceſſum ejus demum audivi) Scotorum familiâ oriundus, *Regi Jacobo* ſanguine conjunctus.

Ubi ὁ δεῖνα Tigurinus ſit ambigo. Audiò tamen, in Palatinatu Miniſtrum Eccleſiæ agere, & nonnulli è Mercatoribus noſtris ſunt, qui ipſum ibidem, quum nuper ex Nundinis Francofurtenſibus reverterentur, à ſe viſum aſſeverant. De Cataſtrophe Fabulæ notæ, quæ ſcire cupis, tacere malo, quàm pauca aut dubia referre. Nondum enim eò eſt acta, ut de eventu quicquam certi haberi poſſit. Chryſurgi noſtri, ſuaſore & authore illo, hæc ſtudia amplexi, in opere adhuc valdè aſſidui, nec ullis parcentes ſumptibus nec laboribus. Quod S. P. Q. Sangallenſis multis de cauſis gravatè ferens, voluit ipſis omninò interdictum Arte, communi totius Helvetiæ conſenſu jam pridem prohibitâ: indulgens tamen eorum partim precibus, partim pollicitationibus, quas de infallibili Artis ſuæ utilitate, Deum vocantes teſtem, fecerunt, permiſit ipſis, prorogato ad duos menſes termino, quicquid hoc Artis eſt, ad Jacobi usque exercere, hâc tamen annexâ conditione, ut tunc vel certitudinem, utilitatemque ejus edito ſpecimine

præ-

præbeant Magiſtratui, vel hæc ſtudia publicè ejurent, niſi jus civitatis amittere malint. Quo elapſo termino, quemcunq; res ſortietur terminum, pluribus à me reſciſces. Interim quis ſatis demiretur, *Zvingere*, quo fervore hæ Artes Alchymicæ per omnes totius Europæ partes colantur. Gallia, quòd nuper è Belgicâ accepi, ſupra ſex millia Alchymiſtarum habet. Germania noſtra à Vulcano minùs aliena videtur, quàm quævis alia terrarum. Mirabilis omninò eſt erroris illius dulcedo, quâ quo plures ſubinde eluduntur, eò frequentiores ferè ſunt, qui eâ ſe capi patiuntur. Exerceamus nos fornaculam noſtram chymiatricam (cujus ego certè amore magis magisque delinior) nec quæramus, quod nulli contigit unquam. Phœnicem proſequantur alii, qui ex Arbitrio ſuo vivere poſſunt, & vitæ ſuæ tempus πολυτελέστατον illud ἀνάλωμα in rem vanam impendere volunt. Vale Vir Clariſſ. & quod facis, in amore mei perge.

Dat. *Gallopoli 4. Id. Junii Ao. Chriſt. 1606.* vetere calamo.

Tui Obſervantiſſ.

Sebaſt. Schobinger. D.

EPISTOLA XI.

JOACHIMO TANCKIO,

Medico & Chymico Celeberrimo

S. P. D.

Multa tu mihi offers, Vir Clariſſ. dum amicitiam tuam offers quam ut mereris, præclarè æſtimo, & ambabus mani bus ita excipio, ut vel tua cauſa gratuler Chymiæ Studio, q uo tuum mihi favorem præter ſpem, non præter votum certè me um aptiſſimè conciliavit: parario quin etiam, optimo *Sig licio* noſtro, Viro planè ingenuo interveniente. Operam, qu am excolendæ Chymiæ impendis, magnifacio, & ſi vel liceat vel proſit, σπεύδοντα λακτίζειν, ut in curſu incepto, quo omnes ὁι ἰητρῶν παῖδες ad Artis perfectionem, & ſupremum faſti-

gium contendimus, perſeveres, amica hac mea ἐνφημίᾳ hortor & obſecro.

Εἰς τροίην πειρώμενοι ἦλθον ἀχαιοί. Ego vos, Viros ingenioſos, & in Artis operibus jam longè prægreſſos pone ſequor, ſat magno intervallo. Et tam ſum inſipiens, ut imbellis tyro, auſim tamen in arenam deſcendere, & ambigui planè certaminis arduam in me molem derivare: atque adeò Chymicorum principiorum veritatem è calumniantium, maleve interpretantium tenebris eruere. Id certè ſum auſus κατ' αἶσαν ἢ ὑπεραῖσαν, bono animo, bona mente, ut ſi votis non reſponderit eventus, voluntas tamen veniam promereatur. Sperabam intereà his ipſis nundinis factum officium, quod ultro quoque deſponderat Typographus. Sed ut ſunt homines inconſtantes, dum diem è die ducit, & majoris operis molem cauſatur, ego temporis anguſtia excluſus, ejus inhumanitate & mala fide præpeditus, quod proximo mercatu promiſeram, præſtare nequeo. Poſcis interea tu à me, ut *Scoti* illius aurificis κατόρθωμα, quod me præſente, ſpectanteque edidit, brevi ediſſeram. Id ita habet. Cùm plumbum ipſe, quod exhibebam, in taleolas actum, trium cum dimidio unciarum pondo, in catinum, interſperſo, quod præſens Pharmacopœus ſubminiſtrarat, Sulphuris communis pulvere, abdidiſſet, eumque charta multiplici operuiſſet; cucullum proferebat ſat magnum, ruffo pulvere fartum. Inde exigua dimidii grani portiuncula accepta in aurifabri tabernam properamus, catinum igni indimus, ſufflamus primùm, tum pulviſculum chartulæ incluſum injicimus, & ad exigui temporis moram ignem urgemus: dum ipſius hinc Scoti juſſu exemptus catinus, qui priùs erat plumbeus, jam auri puri, puti, vel quovis Hungarico melioris laminam grandem parturiret. Hæc me ſpectante, & quum licuit, operationem adjuvante, adque ſingula diligenter advertente, contigere. Non tamen omnis dubitationis expers verebar, ne quippiam doli interveniſſet. Cum enim à Pharmacopœo prodiremus, ipſe geſtabat catinum, mihiq; ferendum in cartulà pulverem relinquebat. Annon ergò catinum aureum cum plumbeo permutare potuiſſet? Sed hoc dubium exemit, cùm hic Baſileæ id ipſum priùs egiſſet in alterius Aurifabri tabernâ: inquirens enim ſedulo inaudivi, nullam ibi catini

per-

permutationem interveniſſe. Præterea, cui ego adſtiti Aurifaber, me poſteriùs admonuit, eo ferè momento, quo eximendus erat catinus, amotis carbonibus ſibi viſum fuiſſe, ceu aureorum nummorum incumbentium ſibi invicem cumulum ut certò ſibi perſuaderet, dolo non malo ſed joculari luſiſſe hominem. Ego verò ſic arguo: At ſi non fuerit permutatus catinus, ſuperadjectis plumbo aureis numis, manuum geſticulatione luſiſſe non potuit, cùm aurum purum putum, nullo permixtum, inquinatumque plumbo exierit. Confectum verò aurum ſollicitè ad ſe recepit, mihi unius aurei pondo relictâ portiunculâ: quod mirabar, cum nullo ſui diſpendio integram laminam vel mihi reliquiſſe, vel cæteris adſtantibus amicis impertiviſſe potuiſſet: Pharmacopœo inprimis, cui petenti quoque nihil largitus eſt: ut opiner, vel aliquid latitare inexſpectatæ fraudis, vel ſi ſincerè egit, quod inde natum eſt, minoris quæſtûs, quam artificii extitiſſe. Audiam lubens ſuper hâc re opinionem tuam. Pluſculi labuntur anni, cum de χρυσοποιΐας velitatio quædam privata cum *Libavio* mihi intercederet, me ἀνασκευαστικῶς nihil non agente. Poſtea cum ipſum de hac *Scoti* facto admonerem, me αὐτοψίας convictum jubebat meis ipſiusmet oculis credere, qui ſolis antea auribus recuſabam: ut ipſe putârit, nil fraudis omninò hac parte intercurriſſe. Sed ἐγὼ σκευαστικῶς etiamnum; præſertim, cùm item Scotus ante 4. circiter menſes ad nos redux mihi ſoli cognitus & familiaris momento rurſum abierit, literis ſolis ſe mecum acturum pollicitus: quod tamen hucusque non præſtitit. Quo iturus eſſet, me non celavit; an autem jam ſit illic, incertus ſum. Optimè vale, Vir Clariſs. & ſi vacabit, datâ occaſione ad me reſcribe.

Baſileæ. D. 21. Mart. Anno 1606.

T. T.

Jacobus Zvingerus.

EPISTOLA XII.
ANDREÆ LIBAVIO,
Medico. S. D.

REverſus erat ad nos, Libavi Clariſs. præclarus Artifex Philoſophici καλοϱθώματος, *Scotus*, tres jam vel quatuor menſes ſunt, à nemine cognitus triduum heic ſubſtitit, antea quàm me pridianâ veſperâ ejus, quo abiit, diei ad cœnam vocaret. Contulimus quæ licuit; ac fruſtrà ſperabam me pulviſculi quiddam precariò obtenturum. Renuit etiam iteratò naturalis miraculi ſpecimen, quod tamen percupieram, ſingula momenta ſollicitiùs obſervaturus. Abiit tandem, ut ejus nullum alium præſentiæ fructum caperem, quàm ut deſponderet, ſe, quo profecturus erat, ad me ſcripturum, quod hucusque non præſtitit. Tui apud me mentionem fecit, & ut in aſſerendâ Artis indubitatæ veritate nihil non ageres, hortatus eſt: reipsâ olim commonſtraturus, quàm probæ cauſæ patrocinium ſuſceperis. Cuidam noſtratium libello φιλοϑησίῳ primas tantum nominis & cognominis literas A. S. rogatus inſeruit, cum hoc epiphonemate Symbolo: Paucis licet contingere Olympum, aſt ego attigi. Spem certam foveo, reverſurum ad nos tertiò, ubi tum nil intermittam eorum, quæ ad rem pertinere videbuntur, cùm præcipuè ferat ſingularem erga me ingenuitatem & benevolentiæ affectionem. Perſuaſus eram, Chymica mea μελετήματα his ipſis nundinis lucem viſura; ſed moram nectit Typographus, majori opere cujus urgebant prægrandes ſumptus editionem, præpeditus. Chymiam ego non novum puto, & recens nonnullorum, quod jure oſtentent, inventum: Sed ab omni antiquitate viguiſſe. Id mihi cauſarum omnium accuratiùs examen dictare videtur. Ut delirent, qui ſecus exiſtiment, & novæ veteriſque Medicinæ ineptum planè diſcrimen ſomnient. Si tui ingenii fertilitate, & antiquorum *Galeni*, *Hippocratis*, cœterorumque floſculis, huic Chymico Serto exornando nos beaveris, veritatis palma Tibi quoque ſuum debebit ἐπινίκιον. Vale quam optime.

Baſileæ. 1. Aprilis Ann. 1606.

T. Jacobus Zvingerus totus.

EPISTO-

EPISTOLA XIII.

CL. V. D. JACOBO ZWINGERO, Philoſopho & Medico inſigni.

ANDREAS LIBAVIUS. S.

Baſileam.

QUæ de Philoſopho Chymico, ſeu magni magiſterii, uti appellabatur antiquitùs profeſſore, peritoque artifice ſcripſiſti, Vir præclare, cum voluptate perlegi. Expecto Σκῶτον non σκότον cum deſiderio. Venere interim aliqui, qui ex plumbo vulgari artem exculpere niterentur, ſive etiam ex antimonii regulo & bismutho, quæ plumbo vicina, alii argenti in aurum transformationem magno venum exponebant, è quibus eſt quidam *Vickius, Livo*, uti fertur, de quo procul dubio ex *Doldio* noſtro cognoſces. Sed *Scoti* tui par Aurifex traditur alicubi vagari medicus quidam, qui auxilio Principis ſui & ſumptibus tincturam adeptus, jam errat profugus, & donare aurum à ſe confectum perhibetur. Eſt & *Michaël Sendevogius* non tantùm tractatu edito præclarus, ſed & multis artis ſpeciminibus notus. Occultat is nomen ſuum hoc anagrammate. *Divi Leſchi genus amo. Guſtnoverum* famâ ad te perveniſſe arbitror. Hic quoque nonnihil auri fecit: ſed à *Mullenfelſio* impoſtore, jam ut putatur ſuſpenſo circumventus & in vincula conjectus laqueo vitæ finem invenit. De *Eduardo Kellæo*, *Anglo*, diligenter inquiſivi. Vidi aurum, quod ab eo factum *Rudolphopoli* narrabant. Alii plura ſpecimina addunt. Sed poſt mortem ejus Medicina ad Fratrem translata, neſcio quo infortunio periiſſe dicitur. Vidiſti *Nicolai Barnaudi Epitaphium* chymicè explicatum. In eo eſt Hiſtoria *Anſelmi à Boodt*, joco ex pulvere & Mercurio facientis aurum, quod nunquam fieri poſſe perſuaſum habuerat; Eſt Angli cujusdam à quo & *Hagecius* aurificem pulverem acceperit. Audivi, qui aſſereret, monſtraretque aureos vulgò à Lotharingo fieri per Chymiam procurato auro: & miramur aurum arte fieri poſſe? Hæcne aurea ſecula *Virgilii*? Chymica tua non-

dum

dum vidi, cumque Litteras Aprili ſcriptas, demum Julio menſe acceperim, occaſionem poëmatii præterlapſam puto. Laudo verò conatum & induſtriam tuam, quâ & artis nobiliſſimæ, & Parentis, tuumq́ honorem ſtrenuè vindicabis. Ego quid præſtiterim, vel adhuc præſtare poſſim, nequeo dicere. Brevi fortaſſe tradam lampadem. Tu vero, Vir ingeniose, exſuſcitare in hoc opus, & lauream præ cæteris reporta vale.

24. Julii 1606.

Rotemburgi ad Tubarim.

EPISTOLA XIV.

JACOBI MOCCIO.

Medico Peritiſſimo. S.

Friburgum.

ACcepi tuas Literas, Vir Clariſs. quibus reſcire cupis, an *Caſſonus Anglus*, qui apud vos diſparuerit, Baſileam tandem quô deſtinaverit pridem iter ſuum, morâ tamen ab amore factâ, per pluſculos menſes Argentinæ impeditus, pervenerit. Idem priùs Domini *Figuli*, hâc tranſeuntis ſermonibus mihi innotuerat, Virum bonum eſſe, doctum, artisq́ chymicæ apprimè ſcientem: qui huc veniens me quoque compellaturus ſit. Doleo ergo hominis videndi copiam hactenus nullam fuiſſe. Nec enim à quoquam heic quod ſciam vel viſus eſt, vel auditus. Nimirum tecum vereor, ne fanatico affectu tranſverſum actus violentum quippiam ſibi intentârit. Rogo interea, ſi quid certiùs de ipſo cognoveris, mihi ſignificare haud graveris. Et quando hujus argumenti occaſione ad me ſcripſiſti, ego viciſſim memor admirabilis *Scoti* noſtri, *Alexandri Sutonei*, amici familiaris ut audio; reſcire diſcuperem, quô gentium demum evaſerit. Quale heic ſpecimen artis is οὐκ εὐκαταφρόνητον ediderit, compertum eſt: nec dubito, quin eadem vos, ſed & majora certioraque videritis. Ni ergo grave fuerit, vel importunum, paucis obſecro verbis hoc mecum communica. Dabo operam, ne pari officiorum genere meam unquam

unquam debitæ humanitatis, medicæque ἐμοδελφίας prompti-tudinem ſis deſideraturus. Optimè vale, Vir præſtantiſſime.
Baſil. 22. Septembr. 1608.

T. T

Jacobus Zvingerus.

Brevis Diſſertatio De *Motu bilis Circulari* Auctore CHRISTIANO HELWICH Philoſ. & Med. D. & Academ. Curioſô.

VIRO
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO atque EXPERIENTISSIMO

DN. CAROLO ÖHMB

Medic. D. ac Inclytæ Civitatis Vratisl. Phyſico digniſſimo L. A. N. C. J. Collegæ, Fautori Venerando Sal. & Officia!

MUlta ſunt, Vir Excellentiſſime, quæ in Te admiror, ac apud amicos deprædicare ſoleo, nec tamen, ne Tuæ ſim gravis modeſtiæ, hîc recenſeo, patere tamen, ut liberè profitear, me, ex quô propitiâ fortunâ in Tuam perveni notitiam, ſuſpexiſſe in Te ignotum plerisque mortalium animis candorem, vaſtam ac accuratiſſimum tùm aliarum diſcipli-

narum tum Medicinæ ſine turgido faſtu cognitionem, ſtudium juvandi publicum privatæ utilitatis illecebris non fœdatum. Adderem felicitatem in praxi, ſed cùm prudentiſſimum Vratislavienſem Senatum, qui Tibi munus Phyſici meritis tuis permotus commiſit, teſtem habeas locupletiſſimum, hoc calamô laudes Tuas deterere nolo. Verum hæc aliaque plura, alii occaſioni reſervanda ſunt, Hoc unum dico, me ingratum meritò habendum, niſi agnovero ſingularem tuam humanitatem & promptitudinem in ſubminiſtrandis ad uſus meos optimis auctoribus tàm ex divite tua, quam multô ſumptu inſtruxiſti bibliothecâ, quam etiam ex loculis amicorum Tuorum. Enitendum ergò mihi eſſe intellexi, ut aliquod meæ erga Te obſervantiæ monumentum extaret. Dum verò ſchedulas meas, quas habeo affectas, evolvo, chartæ hæ commode ſe obtulerunt, quæ in Tuô nomine apparent. Tuis virtutibus & in me meritis eximium aliquod munus debebatur, ſed ſolvendo impar adhuc pignore tantum exiguô dato, teſtari volui, quantum & quam libenter deberem. Has ergo lineas ut benevolo animô ſuſcipias, enixè oro. Vale, Vir Excellentiſſime & fave

Tibi deditiſſimo
Chriſtiano Helwich. D.

IN NOMINE JESU.
De
Motu bilis periodicô.

§. 1.

Bilis movetur. Bilem in corpore humanô moveri, nemo, quantum ſcio inter priſcos modernosque naturæ conſultos in dubium vocavit. Eſt enim ex numerô rerum liquidarum & continetur in veſicula fellis, meatu cyſtico & ductu hepatico &c. patet verò ex principiis Archimedeis, quod, ſi humidum aut ab aliô aliquô prematur partibus ejusdem æqualiter jacentibus ac inter ſe continuatis minùs preſſa pars à magis preſſa expellatur motusque concitetur.

§. 2. Li-

§. 2. Liquet etiam bilem ſeſe extra hepar exonerare. Nam quamvis Backius de corde non obſcurè videatur adſtruere, quod bilis ex fellis veſicula per ductum hepaticum hepati infundatur & ſanguini per venæ portæ ramos in cavam refluenti commiſceatur: ea tamen ſententia firmiſſimis obtrita rationibus eſt à viris celeberrimis Malpighiô de ſtruct. hepatis c. 7. & Lienis c. 7. Pechlino de purgantibus p. 501. & Needham de formato fœtu c. 4. Et ad oculum patet, quòd nec omnia animalia ſint inſtructa bilis folliculô, nec ductus hepaticus cum cyſtico ſemper communicet, manifeſto argumento, bilem ex veſicula per ductum cyſticum in hepaticum & ex eô in hepar nequaquam derivari. *ex hepate. Backii ſententia rejicitur.*

§. 3. Illud conſentientibus plerisque affirmare poſſumus, quôd bilis per ductum communem in inteſtinum effundatur. Suffragiô quoque plurimorum gaudebimus in hoc, quòd non omnis cum fæcibus alvi bilis ex corpore exterminetur. Illi certè, qui bilem ſanguinis balſamum ac condimentum totius corporis exiſtimant, inter quos nomen ſuum Tackius, Helmontius, Wedelius aliique profitentur, bilis ex corpore ejectionem ſalvâ ſuâ ſententia admittere nequeunt. Quis enim ſanæ mentis aſſerat tam utilem neceſſariumq; corpori ſuccum, qualem neceſſe eſt eſſe eum, qui corpus à putredine conſervet & ſanguinis balſamum ſit, ex conditoris ſapientiſſimi voluntate ejici omnem, quæ in officinâ hepatis producitur. Abhorrere quoque à ſententia, quæ ponit ejectionem bilis totius, videntur ii, qui bili uſum asſignant in exaltandô perficiendôque chylô, qui certè minimè ſunt obſcuri nominis, ſed principem propemodùm inter Medicos locum ſibi vendicant, Franciſc. inquam, De Le Boe Sylvius, Thomas Willis, Jacobus Pancratius Bruno, àliique plurimi. Et quid multis? Ii ſolùm, qui bilem locô clyſmatis naturalis inteſtina ad ejicienda excrementa ſolicitantis habent, eam, quæ in inteſtina effunditur, unà cum ſcybalis ex corpore exturbari opinantur. Hos verò erroris convincit al[v]i obſtructio in febrib9 bilioſis, in quibus ſumma bilis acrimonia ſentitur, & ſapor excrementorum omnis amaritiei ac acredinis, quæ in bile notatur, expers, ſi Helmontio credimus. Si itaque bilis clyſter eſſet naturalis, certè cum in copiâ affluit & præterea ſatis acris eſt, cujuscemodi *In inteſtinum. Non ejici omnem ex corpore probatur.*

illam in febribus prædictis eſſe unanimi conſenſu docent Medici, irritaret inteſtina ad ſtercus ejiciendum; aſt illud non contingit in hoc genere febrium, ergo non eſt clyſter naturalis. Et ſi ſtercori mixta ex corpore propelleretur illud de præſentiâ bilis acredine quadam teſtaretur, quod fieri negat, ut dixi, Helmontius. Qui verò veteres ejectionem bilis ſtatuiſſe probaret hoc argumentô, quòd bilem ſubindè vocent excrementum, næ is proderet, ſe minimè intelligere, quid veteres excrementi nomine notent. Apud Ariſtotelem enim, Galenum, aliosque, ſucci non unô nomine utiles appellantur excrementa, eò quòd ex nutritiô ſuccô ortum trahant & ab eô quaſi excernantur. Itaque patet, bilem non omnem per inteſtinorum tubulos ex corpore ejici.

In quæ vaſa bilis ex inteſtino tranſeat.

§. 4. Cùm verò non omnis bilis cum recrementis alvinis ſecernatur, quæſtio exurgit, in quæ vaſa ex inteſtinis traducatur? Qui munus ei in perficiendo chylo tribuunt, eam cum chylo in vaſa lactea reſpondebunt deferri, & per ductum thoracicum rectô ſurſum tramite ad ſubclavios venæ cavæ ramos tendere & iis infuſam unà cum ſanguine in dextrum cordis thalamum commeare, & in ſanguinis latice, quæ aliorum ſententia eſt, vices balſami explere. Enim verò hæc opinio vix approbari poteſt, derogare enim videtur creatoris ſapientiæ. Quod ſi enim bilis adeò utilis ſanguini ſuccus eſt, ut denuò cum chylô ad laticem vitalem reduci debeat, & per totum corpus diffundi; certè imprudenter tam admirabili in hepate modô à ſanguine ſeparatur, cum potiùs ei perfuſa manere debeat. Quid enim attinet eam tantô apparatu ſecernere & deinde iterum ad maſſam ſanguinis revehere? Potiùs dicendum videtur, bilem ut plurimùm (nam quod rarò fit cum extra artis regulas ſit, hic planè non attendimus, alias non ignari, quòd tum alii tum Excellentisſ. Dn. D. Hartman. in Decur. 2. Ephemerid. Germanic. A. 9. hic ſingularia obſervârint) per ductum Cholodochum in duodenum effundi & ab orificiis venarum meſaraicarum excipi vel ſolam vel cum chylo & affuſam ſanguini non omni, id enim modò negabamus, ſed in venis meſaraicis contento & cum eô commixtam redire ad hepar & deſcriptum modò iter in corpore repetitis ſubinde vicibus abſolvere. Quod ſi quisquam hunc bilis motum velit appellare circularem non refra-

In venas meſaraicas non autem vaſa lactea ex inteſtino traducitur.

& datur motus bilis periodicus.

r efragabor, ſi verò cum Falcoburgiô, Heurniô aliiſque incommodam cenſent appellationem, ſubſtituat aliam, quemadmodum Thruſton in diatriba de reſpirat: ſanguinis circuitum vocat motum fluminum. Qui cum veteribus ſanguinem ex humoribus quatuor integrari ſtatuunt, puta bile, pituita, melancholiâ & ſanguine in ſpecie ita dictô, periodicum bilis motum quamvis alia via, quàm nos, omninò admittere coguntur, ſi ab Harvæo edocti circulationem ſanguinis defendunt. Neq; noſtræ ſententiæ de circulatione bilis objici poteſt, quòd ex confeſſione noſtrâ bilis non ſola ſed interdum cum chylô, ſemper verò cum ſanguine ad hepar tendat; nam & circulationem ſanguinis nemo hodiè reprobat, etſi lippis ac tonſoribus conſtet, ſanguinem unà cum ſerô in corpore circumagi. *Occurritur objectioni.*

§, 5. Quia verò fundamentum hujus ſententiæ eſt, quòd bilis in inteſtinum ſeſe effundens non omnis unà cum fæcibus excernatur, id aliquantò diligentius mihi probandum. Cuivis verò moderati ingenii viro abunde ſufficere poterit demonſtratio, quâ oſtendetur, nullâ ratione tantum bilis in hepate generari poſſe, quantum produci neceſſum foret, ſi tota, quæ ordinariâ naturâ lege in duodenum derivatur, cum ſtercore expelleretur. Hoc ut fiat manifeſtum, quid circa hanc rem ſuggerat ſenſus, primò diſpiciamus. Aſſertio Clariſs. Diemerbrockii, quam habet Lib. 1. Anatom. c. 14. in med. quòd ex hepate per *ductum hepaticum bilis continuò in inteſtinum duodenum fluat, ex cyſtide verò tum, quando à ventriculô cibis plenò folliculus dextero ejus lateri accumbens nonnihil premitur*; experientiæ conformis eſt magnorùmque virorum aſſenſum extorſit. Magnoperè quoque attendum eſt, quod in ſerpentibus poſt longi temporis inediam etiam veſicula fellea & porus biliarius bile turgeſcant & continuò eam effundant, ut Celeberrimi ſcriptores Itali teſtantur. Prorſus verò memorabilis eſt famigeratiſſimi Pechlini Obſervatio, quâ teſtatur, brevi tempore tres quatuorque uncias bilis colligi poſſe. Exercit. de purg. p. 502. Tentandum verò nobis eſt, annon exactiùs aliquantò bilis per 12. circiter horas effluentis in duodenum quantitas determinari queat.

Fundamentum circulationis bilis.

Bilis per ductum hepaticum ſemper effunditur in inteſtinum, ex cyſtide, dum ventriculus plenus eſt.

Veſicula fellea & porus biliarius turgent in ſerpentibus famè diu afflictis.

Egregia Pechlini Obſervatio.

§. 6. Ut autem majorem de quantitate effluentis bilis conſequamur certitudinem, reſpiciendum nobis eſt ad hu-

Hypotheſes neceſſariæ ad determinandam effluentis bilis copiam.

midum in corpore, cujus motus & quantitas aliquandò notior eſt. & quod præterea ab iisdem cauſis, quibus bilis movetur, in ſuis quamvis fortè inæqualis magnitudinis vaſis eodem tempore in motum cietur. Deinde autem orificia vaſorum rudi craſsâque minervâ erunt dimetienda. Quæ autem fluida in vaſis ab iisdem cauſis, eodem tempore moventur; eadem etiam velocitate circumeunt, at verò quæ ab iisdem cauſis eodem tempore eadem velocitate in vaſis moventur, eam habent inter ſe proportionem ratione quantitatis, quâ gaudent orificia vaſorum, quem in finem etiam orificiorum quantitatem in vaſis inquirendam eſſe innuebamus; Orificiorum autem capacitas jam ab aliis definita breviter ſic ſupponenda, Applicemus hæc ad præſens negotium de induſtriâ μετάβασιν in aliud genus vitaturi vitium hodiè frequentiſſimum. Tale fluidum quod quærendum eſſe ſupponebamus in corpore noſtro ſanguis eſt. Ejus motus aliquantò notior quàm ipſius bilis eſt. Videamus ergò, num moveatur eodem tempore & ab iisdem cauſis, Quod moveantur eodem tempore exploratiſſimum eſt. Nec dubium, quin ab iisdem cauſis circumagantur. Si ex profeſſo de motu bilis in genere ageremus, utique ejus cauſæ ex profeſſò evolvendæ forent. Verùm cum de motu ejus periodicô quædam levi brachiô tangamus, ne fœdam ἀπαιδευσίαν brevis ſapiat tractatio, omninò cavendum. Dico ergo, quascunque cauſas motûs ſanguinis in vaſis præprimis venâ cavâ poſueris, eas motum bilis excitare illicò oſtendam. Recentiores vel aërem, qui gravitate ſuâ in pulmones ruit, aut etiam per circumferentiam corporis poros cutis intrat, vel cum cibo & potu corpori ingeritur, vel ætherem ſanguinem ajunt in motum ciere, etiam Hippocratem ex lib. de flatib. §. 6. aliqui allegant. Alii addunt premens ſubſequentis laticis pondus & compreſſionem vaſorum à viſceribus, pleriq; verò etiam adjiciunt conſtrictionem fibrarum circularium, quæ teſte Williſiô in Pharmac. ration. part. 2. ſect. 2. cap. 1. unam ex quatuor illis tunicis conſtituunt. Illa verò etiam omnia ad bilem movendam concurrere poſſunt, modò priùs, qui has motus ſanguinis cauſas allegant, omnia hic ad liquidum deduxerint. Quod an præſtiterint, jam non vacat inquirere. Et ſanè non apparet, cur dici nequeat, quod aër bilem in venis meſaraicis con-

Bilis & ſanguis eodem tempore & ab iisdem cauſis moventur.

quod probatur.

Cauſæ motus ſanguinis à recentioribus allatæ.

Illas etiam in motu bilis ocurrere.

contentam propellat, ſi concedatur, quod ſanguinem in ramos venæ cavæ per hepar diſperſos &c. adigat. Bilis quoque ſequens eodem jure antecedentem gravitate ſua pellere quô ſanguis ſubſequens præeuntem urgere dicitur. Compreſſionem abdominis motum bilis promovere res ipſa loquitur. Ultimò annulum fibroſum in meatu cyſticô obſervavit Clariſs. Gliſſonius. Iſti quoque ductus parti, quæ inteſtinum obliquè ingreditur, tres fibras annulares tribuit, utique ad motum bilis facientes. Præterea ex noſtra hypotheſi bilis etiam in venis movetur. Quod ſi ergò fibræ illæ circulares faciunt ad motum ſanguinis, etiam ad motum bilis omninò eadem ratione conferunt. Bilis ergò & ſanguis eadem velocitate moventur, qui eodem tempore & ab iisdem cauſis agitantur. Quia verò unô tempore eademque velocitate ac cauſis iisdem moventur ſanguis in venâ cava & bilis in ſuis ductibus, eam ratione quantitatis inter ſe habebunt proportionem, quam habent orificia vaſorum juxta hypotheſin. Quæ verò capacitas vaſorum ſit, docet ocularis inſpectio. Et de vena cavâ ejusque orificio res ſatis nota eſt. Meatus cyſtici autem *amplitudo eſt pennæ gallinaceæ* ferè par, juxta Gliſſonium in Anatom. hepatis c. 14, in fine p. m. 141. Tubulus autem *pori biliarii, ubi hepar egreditur, altero tantò major eſt*, teſte eodem c. 14. p. 142. Qui mathematicâ ἀκριβείᾳ, quâ fortaſſè non adeò opus eſt, quamque ὑποκείμενον γένος vix admittit, ex diametris orificia vaſorum bilem vehentium & trunci maximi venæ cavæ definire cupit, deprehendet, quòd orificia meatuum cyſtici & hepatici ducenteſimam & vigeſimam quartam vel quintam orificii venæ cavæ ſuperent. Sanguis ergò & bilis eadem proportione ille ex venæ cavæ, hæc meatuum orificiis eodem tempore effundetur, quia ſuppoſuimus, fluida eam habere inter ſe proportionem, cùm in æqualis magnitudinis vaſis ab iisdem cauſis eodem tempore adeòque eadem velocitate moventur, quam habent orificia vaſorum inæqualium.

Bilis & ſanguis habeant inter ſe proportionem.

Capacitas meatus cyſtici & pori biliarii.

§ 7. Jam diſpiciamus, quot circiter libræ ſanguinis ex orificio venæ cavæ, ſpatio duodecim horarum effundantur. Id quidem in ſe usque adeò certum non eſt, ex hypotheſibus tamen (1) de pondere totius maſſæ ſanguinis (2) de expulſi ſanguinis quantitate ad unum ictum (3) numerô pulſuum unius horæ

Quot libræ ſanguinis in homine.

horæ utcunque decidi poteſt. Variant de hiſce omnibus au- ctorum ſententiæ; multi tamen in doctrinâ Clariſs. Loweri acquieſcunt. Ponit is 25. libras ſanguinis in homine & numerat intra horam duo millia pulſuum & tandem utrumque ventriculum in diaſtole tantam ſanguinis copiam, quantam capere poteſt, recipere & in omni ſyſtole, quicquid receperit, totum penitùs expellere, ac ultimò ex Harvæi Obſervatione ventriculum ſiniſtrum (de dextrô ex mente ejus par eſt ratio) duas uncias in ſanô & vegeto homine in quâvis ſyſtole ac diaſtole capere ac expellere & ex his conficit ſanguinis unciarum quatuor millia intra horam cor trajicere. Enim verò quia quantitas hæc ſanguinis videtur nimia, & deinde adhuc dubium eſt, annon in diaſtole paulò plus influat ſanguinis in dextrum cordis ventriculum quàm in ſiniſtrum, cùm dexter paulò ſit capacior & ratio etiam ſuadere videatur, aliquam in pulmonibus ſanguinis partem ex dextrô cordis thalamo egreſſi, in vaſis lymphaticis & tunicâ glandulosâ amitti, adeòque non omnem redire ad ſiniſtrum, porrò extra controverſiam quoque eſt, quòd non omnis purpureus latex, qui in arterias effuſus eſt, reſorbeatur in venas, eò quod urina, ſudor, ſaliva, mucus, ſemen &c. ab eo ſeparetur; Proinde potiùs cum Borello ponamus in quâlibet circulatione 240. uncias ſanguinis tranſire per venam cavam; juxta præſuppoſita ergò effluet è canalibus bilariis in unaquaque circulatione paulò minùs quàm uncia una bilis; quia verò in unâ horâ tanta ſanguinis copia ſedecies tranſit per cavam, effundentur per horam è canalibus biliferis ultra 15. unciæ bilis, adeòque per duodecim horas 130. & plures, & ne aliquis in calculo hæreat dubius & inde de concluſionis, quam hinc eliciemus, veritate dubitandi anſam nanciſcatur, ponamus tantùm bilis 90. uncias in illis hominibus, quorum ventriculus benè repletus eſt, ſpatio duodecim horarum è canalibus bilem vehentibus effluere.

Loweri Sententia.

Et præfertur opinio Borelli.

§. 8. Jam ἀδύνατον eſt, ut tam brevi tempore tanta bilis copia de novô producatur ullô modô. Cum veterum quorundam ſententia, quâ fel aut ex chylô juxta auctorem lib. 4. de morbis aut ex pinguedine juxta 6. Epidem. aut ex colliquatione carnis recentis, quæ Platonis mens eſt in Timæo, ortum trahere

Tanta copia bilis in hepate produci non poteſt, ſi creatur ex pinguedine.

here docetur, hodiè vix amplius habent defenſores, non neceſſe eſt, ut multum temporis impendamus probando, quod nec ex pinguedine nec ex colliquatione carnis intra 12. horas tanta bilis copia generari poſſit, ſed & evidens eſt, quod neque ex chylo produci queat. Nam ſi poſuerimus, quod intra 12. horas 16. libras alimenti ſumpſerit quisquam, quæ certè & ſatis voracis famem compeſcere poterunt, juxta Doctrinam Sanctorii in Medicinâ ſtaticâ, ex his per poros corporis & cutim, tanquam naſſam perforatam inſenſibiliter decem circiter libræ tranſpirant, per os libra una, per Urinam propemodùm, quantum fuerit hauſtum liquidi. Non minima etiam pars ſeceſſit in excrementa alvina. Ea ſi inter ſe ritè componantur, facile oſtendent ex chylô minime 90. uncias, nullo minus verò 130. intra 13. horas produci poſſe. Natales bilis plerique Neotericorum in ſanguine quærunt, ex illo etiam bilem naſci à Galeno traditum lib. 2. de criſib. c. 12. lib. 3. de different. febr. c. 9. lib. 2. de victûs ratione in morbis acutis alibique paſſim. In propatulô autem eſt, nec ex ſanguine præfinito: 12. horarum tempore nonaginta nedum centum octoginta uncias oriri poſſe. Nam perpendamus initio, ex quo ſanguine bilis in hepate (de ſententia enim Clariſſimi Kerkringii, quam in præfatione ad ſpicilegium Anatomicum & Oſteogeniam de renibus ſuccenturiatis proponit his verbis: *Ego invenio parieter capſarum hárum atrabilariarum cum illa nigredine intrinſecùs obductos, animadverto ſanguinem, qui egreditur ab his per venam notabiliter immutatum ab eo, qui per arteriam in illas ingreditur. Quid ſi ergo dicuntur in biſce capſis elaborari ſuccum quendam bilioſum, qui deinde per venam emulgentem, vel ut ſæpè accidit, immediatè ad cavam deferatur &c.* Facile patet, quid ſit ſentiendum) oriatur, nempè ex nullo alio, quam qui per venam portæ advehitur; arteriam enim epaticam non ſufficere *implendis ductibus* Cholodochis rectè obſervavit Cl. Pechlinus de purg. p. 503. Malpigh. quoque deſtruct. viſcer. narrat ſe injeciſſe ligaturam arteriæ epaticæ circa cœliacæ truncum & tamen magnam bilis copiam è poro bilario in duodenum eſſe transfuſam, quod fieri non potuiſſet,

ex Chylo.

ex Sanguine.

Kerkringius opinatur bilem produci in renibus ſuccenturiatis.

Bilis non oritur ex ſanguine per epaticam arteriam anvecto.

Sed ex ſanguine per venam portæ adductio. ſi ex ſanguine arteriæ hujus bilis oriretur. Quota verò totius maſſæ ſanguineæ portio ſit illa, quæ per venam portæ advehitur, pateſcit conſideranti, quod magna fluminis ſanguinei pars ex capite, thorace & brachiis ad truncum venæ cavæ ſupra cor cumuletur, ex reliquis verò viſceribus, quæ diaphragmate ſeparantur, vena adipoſa ſiniſtra ex membranâ renis exteriore ejusque adipe nec non ex diaphragmate radicitùs procedens, ſiniſtro lateri trunci cavæ paulò infra emulgentem inſeratur, emulgens quoque in cavæ truncum latò orificiò aperiatur, ſpermatica etiam ſeu ſeminalis utraque, tandem lumbares duæ tres vel quatuor, & ultimò iliacæ duæ omnium inferiorum partium ſanguinem ex venis exilioribus ad eas delatum cavæ infundant. *Quota iſta ſit maſſæ ſanguineæ pars, quæ advehitur in hepar per portam.* Sanè vix ac ne vix vigeſima maſſæ ſanguinis portio adeòque juxta noſtrum calculum, vix libra per venam portæ in hepar exoneratur. Quod etiam probari poſſet ex diametris meſentericarum & cœliacâ (ex his enim ſolis ſanguis in venam portæ immittitur) comparatis cum trunci portæ diametris. *Ex ſanguine illo tanta bilis copia produci nequit.* Non autem temerè mihi perſuaderi patiar quâvis horâ, dum ſedecim circuitus abſolvit ſanguis ex ſedecim libris ejus, quæ juxta noſtrum calculum in hepar per venam portæ exonerantur, totidem ferè uncias bilis & per conſequens in 12. horis aut 180. vel 90. tantum uncias ex 186. libris ſanguinis quomodocunque de novo produci. Dixi *per ferment.* quomodocunque, nam nec per fermentationem, quam urgent, *qui unicuique parti & ipſi propterea etiam* hepati tribuunt *peculiare fermentum ſive fluidum internum proprium,* quorum opinio judice acutiſſimo Stenone in prodromo Diſſert. de ſolidô intra ſolidum p. 22. ex parte vera eſſe poteſt, licet *fermenti nomen comparatione nitatur deſumptâ à re nimis peculiari,* tantum bilis generari, *Per ſeparationem mechanicam.* nec Mechanico artificio aut apparatu, quæ ſententia ſine dubio verior eſt, à ſanguine ab arteriis dictis in portæ ramos ſe exonerantis ſeparari poteſt, niſi bilis in duodenum effuſa iterum miſceretur ſanguini in meſaraicis contento. Quam malè comparatum foret cum ſanguine theſauro vitæ, ſi tot libræ ſingulis duodecim horis ope fermentationis in bilem quaſi co-

ſi coquerentur vel in eo fæculentiarum biliofarum tanta copia eſſet, ut inter duodecim horas ſemper tot unciæ bilis ſeparandæ forent! Novum robur opinioni noſtræ accedet, ſi cogitaverimus ramos venæ cavæ & præſertim ejus tres primarios in univerſum ferè hepar diſſeminatos tantæ eſſe capacitatis, ut ſanguinem per venam portæ ſeſe in hepar effundentem univerſum excipere poſſint, quod argumento eſt manifeſto, nec ipſum ſanguinem in tanta copia abire in fel, nec ſanguinem ab arteriis effuſum tam eſſe feculentum, ſed potiùs ſanguinem quodantenùs impurum in venis meſaraicis commiſceri ex inteſtinis regreſſæ bili, & unà cum illa ad hepar migrare ex mechanico apparatu ſeparatam à ſanguine bilem circuitum exordiri, ſanguinem verò majori ex parte in ramos venæ cavæ elutriari.

Quod novo argumento probatur.

§. 9.

Præprimis verò luculentè apparebit, fieri non poſſe ut ex ſanguine eô, qui in unoquoque circuitu ad hepar fluit, ea, quam dixi, bilis copia ſeparetur, ſi ſequamur probabilem admodùm opininionem famigeratiſſimi Doctoris Rivini. Is cum Malpighio dirimens ſanguinem in duas partes, ſolidam ſubrubram & fluidam ſeroſam, quô ſine dubiô cum celeberrimo Collega ſuô Bohniô & ſerum aqueum & ſubſtantiam gelatinoſam ſive fibroſam comprænendit, & ex fluida quidem ſeroſa per plures vias abundantiam ſeroſam, ex illa autem viſcidiorem partem in hepate ſeparari contendit. Enim verò edocuit nos modò laudatus Bohnius in notabili illâ Obſervatione circa proportionem partis purpureæ ac ſubſtantiæ ſeroſo-gelatinoſæ in actis Eruditor. Lipſienſ. A. 1, p. 126. & 127. quòd in diverſis animalibus diverſisq; pariter individuis humanis, tincturæ purpureæ partē unam modò decem modò undecim modò plures, nunquam pauciores ſeri atque gelatinæ partes comitentur. Quod ſi ergò in quavis circulatione libra una ſive duodecim unciæ ſanguinis influant in hepar, à cujus parte undecimâ vel

Juxta Rivinum oritur bilis ex parte ſanguinis ſubrubrâ.

Partis ſubrubræ proportio ad ſeroſam ex Bohnio.

Hinc nova probatio.

duodecimâ purpurea tantùm ſeparatur bilis juxta laudatum Bohnium & Rivinum, ſequitur, quòd ſi in quavis circulatione vel integra ferè vel dimidia uncia ſeparetur, uncia una aut dimidia bilis ab uncia una ſanguinis oriatur, aut quòd omnis tinctura ſanguinis abeat in bilem. Quis verò hoc crediderit? Unde enim rubedo hepatis niſi à ſanguine? Quam in rem conferri etiam poteſt experimentum Gliſſonii quod recitat c. 33. in lib. de anat. hepat. Ubi etiam rectè docet, quod rubicundum colorem à ſanguine pertranſeunte mutuetur, id verò falſum eſſet, ſi tota rubicunda ſanguinis pars abiret in bilem: Quomodocunque rem perpenderis, illicò patet, quòd nullô pacto tanta bilis copia ex affluente per portam ſanguine vel in ſingulis circulationibus vel intra duodecim horas in hepate ſecerni queat, ſi autem illud fieri nequit, & tamen tanta bilis copia in inteſtina erumpat, utique non cum excrementis amendabitur, ſed iterum ad hepar revertetur, quæ ex illo prius effuſa fuit.

Rubedo hepatis à ſanguine.

Ex inteſtinis bilis revertitur ad hepar.

§. 10.

Quâ viâ? non per vaſa lactea.

Sed venas meſaraicas.

Quâ vero viâ regreditur, initiò itidem expoſitum eſt, oſtendimus enim non ſubire bilem oſcula vaſorum lacteorum, eô quod iterùm in maſſam ſanguinis hâc ratione refunderetur. Si cuiquam mirum videatur, quôd in vaſa lactea tantùm chylus aut lympha non autem bilis reſorbeatur; is omnipotentis opificis ſapientiam vel ex configuratione oſculorum & pororum in ſingulis viſceribus diverſâ attonitus diſcat! Qui huic rei in præſenti negotio manum admovere vellet, meditandi materiam inveniet in Anatomia à Lewenhöek, quam ex transactionibus Anglicanis in ſua retulere acta, Celeberrimi Lipſienſes A. 5. p. 5. Cùm verò in meſenterio præter lacteos tubulos non reperiatur aliud vaſorum recipientium genus, quàm venæ meſaraicæ, utique, quod jam ante diximus, bilis vel ſola vel mixta cum chylo venis meſaraicis illabetur.

§. 11. Huic

§. 11.

Huic ſententiæ, ut probabilitatem conciliemus, videndum, an etiam præter ſanguinem aliquem adducant humorem. Ne verò ſtatim in limine quisquam turbetur, ſciat, quòd venæ non tantum ſanguinem ab arteriis immiſſum avehant, ſed & quicquid eorum oſtia ingredi poteſt, unà cum ſanguine reducant. Certè chylo adducendo venas meſaraicas mancipavit antiquitas, tametſi veteribus ex parte ab Aſellio in lucem protracta vaſa à lacteo quem vehunt, liquore lactea ſatis commodè appellata, fuerint nota, ut conſtat ex lib. Hippocrat. de carne & Ariſtot. lib. 4. de partib. animal. Et ſanè in animalibus, quæ lacteis deſtituuntur, meſaraicæ chylum vehunt. In puero quoque morbido, qui *omnem regionem meſenterii ſcirrhoſô craſsôque tumore obſeſſam dedit contuendam*, idem manifeſtavit inſuperabilis diſſecandi nitor Excell. D. Hartmanni Præceptoris mei venerandi, *demonſtravit* enim *ſingulas areolas, quibus lactea incedunt, concretas & in unam compactas maſſam, ſalvis vaſis ſanguineis, quorum trunci ad portam abibant.* Non poſſum etiam non hic laudare Cl. D. Brunneri de lympha & uſu pancreat. c. 8. teſtantis ſe vidiſſe olim *in extis anſerinis experimentum ligatô inferius inteſtinulo, ut flatus ſuperiùs impulſus non ſolùm inteſtinorum anfractus pervaſerit, ſed & per aperta oſcula venarum meſaraicarum perrexerit in venæ portæ ramos totumq; ſanguinis lacunam perfluxerit.* Johannes quoque Van Hornjocularem ſe ſiſtit teſtem his verbis: *Coronidis locô hoc addam, oculari demonſtratione me exhibere poſſe chyli ingreſſum in venas meſaraicas vulgares.* Cùm verò hunc nomino, non neceſſe eſt nominare quoque Schwammerdammium, qui & ipſe de autopſia ſua nos reddit certos. Si difficultatem demonſtrationis cauſaris, eam non nego, ſed neque in iis, quæ tubulis lacteis carent, chyli in meſaraicis ingreſſus obviis cuique experimentis hactenus eſt probatus; Qui ergò vitio verti poterit, quòd commentus chyli per meſaraicas venas in iis, quæ lacteis gaudent clarè non liceat ob oculos ponere

Quod probatur.

Venæ reducunt, quicquid oſtia earum ingreditur.

Meſaraicæ etiam chylum vehunt.

Quod probatur.

Notabile experimentum quod vidit Brunnerus.

ponere? Non ſucceſſerint inquirentibus in veritatem experimenti à Brunnero narrati, ſicuti Hartman. de ſe ipſo teſtatur, ſint quoque difficultates maximæ more Horniano inquirendi in veritatem rei, numquid propterea tanquam falſum reprobabimus, quod Viri Clariſſimi oculati teſtes tum ſeriò affirmant. Quam multa hôc modô reprobanda forent! Omnis difficultas tollitur ſi demonſtretur, quod venæ meſaraicæ pateant intra inteſtina. Si enim aperta ſint, quidni earum oſtia ſubintrare poſſet liquidum aliquod, quale chylus & bilis eſt? Quidni etiam in iis moveretur, cùm nullæ in meſaraicis venis occurrunt valvulæ, quia non tantum flatum ſed & liquorem in gyrum inteſtinorum effundunt. Non vanus eſt D. Hartmannus Vir à fingendi pruritu remotiſſimus in Exercit. de iis, quæ contra peritiam veterum Anatomicum afferuntur, p. 22. & ſeq. ita ſcribit. *Harum* (venarum meſaraicarum) *commeatu citra magnum laborem integras portiones inteſtinorum elotas, ac ſi aqua fuiſſet affuſa, aut inflatas, ac ſi tubulus in eorundem cavitatem fuiſſet immiſſus, Siphone aut tubulô certis ramis venarum portæ immerſis ac ligaturis hinc inde adhibitis.*

Meſaraicæ venæ patent intra inteſtina.

Teſtimonium Hartmanni.

§. 12.

Occurritur objectioni.

Dices: Venæ meſaraicæ non hiant in cavum inteſtinorum ſed in eorundem tunicas terminantur & hinc chylum cum bile avehere neutiquam poſſunt. Ad hanc objectionem reſponſionem egregiam ſuggerit Steno de *Vitell. ad inteſtina pull. tranſitu* ſcilicet neque *venas intercoſtales hiare in cavitatem thoracis & nihilominus tamen pus & ſerum ex cavitate thoracis reducere.* Quanquam id adhuc annotandum ex injectionibus tincturarum oſtendi poſſe, quòd *capillaria meſaraicarum vaſa intimam* tunicæ *telam contexere videantur.* Ocularis etiam inſpectio docet in injectionibus, quòd arteriæ meſaraicæ neutiquam tam altè immergantur, ſed extimam ſolùm tunicam permeent, ſicuti illi ramuſculi venarum, quæ ſanguinem arteriarum revehunt. Exiſtimare ergò fas ſit, quòd illas

Capillaria meſaraicarum vaſa intimam inteſtinorum tunicam conſtituunt.

illas intimam quaſi tunicam inteſtinorum conſtituentes meſaraicas venas vel chylus cum bile, vel bilis ſola ſubeat. Subjicio ad majorem fidem dictis faciendam experimentum Cl. Hoffmanni filii Profeſſ. Norici Celeberr. cujus mihi nunquam non grata jucundaque erit memoria, in ſuis, quibus Hornium illuſtravit, commentariis, quô manifeſtum fecit, *Olea ætherea* promptè ſubire venæ portæ ramos. Cæterum cum *olea ſint liquores inflammabiles unctuoſi & leves*, docente Clariſſ. Wedeliô in Pharmac. Acroamatica lib. 2. Sect. 3. cap. 8. p. 353. ſive ut ingenioſiſſimus Phyſicus Honoratus Fabri effert lib. 4. de plantis prop. V. *multo igne conſtet, quia alioquin flammam minimè nutriret nec inflammari poſſet, & multo præterea humore, ut teſtatur liquiditas imò & ſubtilitas, quæ ſeſe per poros inſinuat*, jam apparet convenientia inter olea & bilem. Nam & hæc ſi experimenta Clariſſimorum Virorum Etmülleri, Bohnii, Rivini conferas, manifeſtò patet, quod *aquam* contineat. Nam tum ex horum relatione tum ex propriis tentaminibus mihi conſtat, quòd ex *deſtillatione libræ unius bilis libræ duæ phlegmatis inſipidi obtineri queant*. Aquæ inſignem adeſſe copiam docet evaporatio. De oleoſis ejus partibus non dubitare nos ſinit ejus *inſpiſſatio* nam tum flammam igni admota concipit æquè ac ſanguis, ut edocemur à Boyleo. Et quotidiè experiri licet quòd, cùm *abundantes aqueæ particulæ ſeparentur, remanentia inſtar picis ardeat*, ut videas non errare, qui bilem ajunt eſſe *liquorem aqueoleoſum ſale volatili debito modo ſaturatum* &c. Quod ſi ergò olea venæ portæ ramos ſubeunt, cur non etiam bilis, quæ tantam habet cum oleis affinitatem, ſeſe orificiis iſtorum inſinuaret? Cogitavi, fateor, etiam de aliâ viâ, quam ſuggerit Clariſſimus Hieronymus Barbatus in brevi quidem ſed nervoſâ de ſanguine & ſerô ejus diſſertat. ſtatuens (pag. 17. in editione Francofurtenſi) à Pancreate *chylum exugi* (p. verò 18.) Chylum *per ramos venæ propriæ, quam Pancreas à trunco portæ conſequitur, in hepar ſolicitè derivari*, verùm mihi ipſi non ſatisfeci, & propterea priori ſententiæ meæ inhærens, de quâ

In illa chylus cum bile vel bilis ſola ingreditur.

Experimentum Hoffmanni.

Olea quid ſint ex Wedelio & Honorat. Fabri.

Bilis abundat aqua.

Experiment.

Bilis eſt etiam oleoſa.

Bilis quid ſit.

Barbati ſententia de tranſitu chyli ad hepar ex Pancreate.

quâ ex conceſſis à Clariſſimis viris propemodùm videar mihi certus, inhæreo, perſuaſus, ex poſitis fundamentis inferri poſſe, quòd bilis circuletur. Si DEO viſum fuerit, alio tempore, quænam ex hâc Doctrinâ utilitates in Medicinam redundere queant, exponam, & Theologiam quorundam morborum ſubjungam.

Soli DEO Gloria!



Ad
VIRUM
EXCELLENTISSIMUM
Dn. MICHAELEM FRIDERICUM LOCHNERUM.
Acad. Cæſar. Leopold. Natur. Curios.
PERIANDRUM.
Diſſertatio Epiſtolica
Acarnanis
De
Dendritis aliisque Lapidibus, qui in ſuperficie ſua plantarum, foliorum, florum figuras exprimunt.

DIU ante dubius hæſi, *Fautor, & Amice optime*, quàm vel vel tibi communicarem, vel luci publicæ exponerem operam hancce, cui præciſa horarum ſegmenta inutiliter aliàs abſumenda impendi, ſed vicit tandem timiditatem audacia, audaciæ ſpeciem ſi non ſuſtulit, lenivit ſaltem Tua perſuaſio, & bonorum quorumvis in judicando ἐπιείκειαι. Sunt fateor tibi plurimæ, Practicæ præſertim, quibus circumſcriberis, curæ, ſed & ea raraq; eruditio, atque curioſitas, ut ea, quæ hujus generis ſunt, non rejicias, imò, quæ tua ingenuitas eſt, altè extollas. Seculi noſtri tam delicatæ ſunt linguæ, aures mentesque, ut vix albos feras calculos ab omnibus, licet elimatiſſima deprompſeris, ſed & ea felicitas, ut nil ſit adeò puſillum, quod non alicunde ſuam mutuet gratiam, ea, audacter loquor, inſipientia atque corruptio, ut id ſolum plerisque arrideat, quod pani lucrando inſervit, ut jure illis occinas Theocriti illud Idyll. 16.

- - ὐ γὰρ ἔτ' ἄνδρες ἐπ' ἔργοισιν πάρ@ ἐσθλοῖς
Αἰνεῖσθαι σπαύδονλι νενίκηται δ' ὑπὸ κέρδων.

- - *Non enim amplius homines propter præſtantia facta.*
Laudari cupiunt, verùm à Lucro victi ſunt.

Sed & ea ingeniorum atque inventorum fertilitas, ut Epiſtolæ huic facilem inter rariora Tua, (ſcil. ratione materiæ, non elaborationis) locum concedas, aliique Collegæ, præſertim λιθόφιλοι, oculos hiſce pagellis forte commodare non faſtidiant. Audacter igitur fœtum huncce, immaturum licet, in auram projicio, atque non obſtante dubiâ eruditorum Cenſurâ communem ſubire aleam, & Tuam præſertim κρίσιν jubeo: id ante omnia Te præmonens, ut limata vel exquiſita nulla expectes ab eo, qui ſtudiis quidem hiſce à teneris innutritus, elaborationi tamen eruditæ, qualem & ipſe exoptas, & rei obſcura difficultas poſtulat, nondum asſuetus:

ὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, ὐδ' ὑάκινθ@.

Non enim ex ſquilla Roſæ naſcuntur, nec hyacinthus.


Sententia eſt Theognidis. Imo ut ad ſcopum tendam, non in vegetabili duntaxat Regno varia reperies monſtrifica producta, ſed & in minerali, quod mirum, plantas offendas vel earum, umbras potiùs, & pictas imagines, de quibus nunc Tecum agere conſtitui: quia nempe prænovi, non Te pœnitere vel temporis, vel laboris inſumendi ad novam huncce in lapicidinas, fodinas metallorum, atque lithanthracum herbationem.

Antea autem quàm itineri noſtro nos accingamus, baculos arripiamus ad montem hunc (aſt quàm anhelum, quàm aërium!) conſcendendum neceſſarios, quàm in umbroſis planisque præcipitiorum ſummitatibus hinc inde ad reficienda membra noſtra defeſſa conſideamus, ratiocinia noſtra de phœnomenis nobis obviis collaturi, & dum in valle amœno, rivulis fontibusque irriguo, adhuc amici deambulamus, conſultum omninò erit, tempus hocce Onomatologiæ enucleandæ inſumere, atq; præliminarium loco nomina vel hactenus uſitata

expo-

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

Fig. A. pag. 59. App.






Fig. B. pag. 60, App.

exponere, vel nova effingere, prout nimirum plantæ lapidibus impreſſæ, vel hactenus deſcriptæ, vel in nominibus ſuis corrigendæ, vel in nullis, quæ ad manus devenerint, Muſeis denominatæ novas nuncupationes merentur. Agedum:

Conferamus initiô de Dendrita, Fig. A. δενδρίτῃ, qui à δένδρῳ ita vocatus, arborum effigiem in ſuperficie exhibet; Baumſtein Germ, in Spener. Mus. p. 91. & à Ferr. Imperat. Hiſt. Nat. lib. 24. p. 578. vocatur. *Pietra imboſcata, Pietra naturalmente delineata in Figure de Boſche.* It. *Pietra di Sinai*, quòd ex monte Sinai apportari vulgò credatur, quamvis non inficias eam, poſſe in monte Sinai extare id lapidis genus, adeoq; appellari *Dendritas Sinaiticos*, ſicut eos, quos ex Germania, vel Hetruria habemus, vocamus *Dendritas Pappenheimenſes, Solisbacenſes, Hetruriæ.* Confer Monconys. Voyag. T. 1. p. 238. Celebris etenim ille itinerator in deſcenſu ex monte Sinai Dendritas reperiſſe ſe ſcribit. Videtur tamen à Dendritis noſtris & nominis derivatione & reapſe alius Dendrites Plin. l. 37. c. 11. Ubi *Dendrite alba defoſſa ſub arbore, quæ cædatur, ſecuris aciem non hebetari* ſcribit. Referri huc debet *Dendrachates* Plinio lib. 37. c. 10. ita dictus, qui *velut arbuſcula inſignis.* Orpheus non una, ſed pluribus arbuſculis eum inſigniri canit, adeò ut viridarii ſpeciem, vel nemoris præ ſe ferat. Verſus hi ſunt quibus eum deſcribit:

Εἰ δὲ δενδροφύτοιο φέροις τρύφος ἐν χερὶ πέτρης
Μᾶλλον καὶ τέρποιτο θεῶν νόος αἰὲν ἐόντων
Δένδρεα γὰρ μάλα κατόψεαι ὡς ἐνὶ κήπῳ
Ἀνθεμόεντα κλάδοισιν ἐπασσυτέροις κομόωντα
Τοὔνεκα οἱ δὲ φῶτες Ἀχάτῃ δενδριέντι
Θῆκαν ἐπωνυμίην ὅτι οἱ τὸ μὲν ἔπλετ' Ἀχάτου,
Ἄλλο δ' ἔχει λασίης ὕλης δέμας εἰσοράασθαι.

Hæc Orphica deſcriptio Δενδρίτου, vel δενδρηέντος Achatis judice Salmaſio in Solin. p. 94. plane convenit cum eo, quem Plinius l. c. ait in India repertum nemoris ſpeciem reddere. *Et in India inventæ contra eadem pollent & aliis magnis miraculis. Reddunt enim ſpecies fluminum, nemorum & jumentorum.* Hæc, quæ nemoris ſpeciem reddit, Orphei δενδραχάτης αὐτόχρημα eſt, qui

Naςίης ὕλης δέμας expreſſum oſtendit. Quæ & δενδρόφυτ☉ πέτρη eidem dicitur & δενδρήεις Α'χάτης. Camillus etiam Piſaurenſis, teſte Dalechampio Achatem ſe teſtatur vidiſſe, in cujus planitie ſeptem arbores delineatæ conſpiciebantur. Dendrites Velſchii Hecatoſt. 1. Obſ. 44. p. 60. ramos abiegnos aut piceos æmulans, diſtinctionis ergò *Elatites*, vel *Peucites* dici meretur. *Ciſſites* poterit vocari à κισσὸς, hedera Dendrites ille Muſei Wormiani p. 45. per cujus truncum hedera ſerpit, diſtinguendus tamen à *Cyſſite*, vel potiùs *Ciſſite* Plinii l. 37. c. 10. qui Aetite lapidi propius accedit, ita enim ſonat textus. *Ciſſites circa Copton naſcitur candida, & videtur intus habere partum, qui ſentiatur etiam ſtrepitu.* Et conferendus potiùs eſt cum Ciſſite, quem in eodem capite ita deſcribit Plinius: *Ciſſites in candido collucet ederæ foliis, quæ totam tenent. Narciſſites venis etiam ederæ diſtincta.* Videtur adeò Narciſſitem cum Ciſſite confundere Plinius, quod etiam obſervavit Gesner. Tr. de figuris lap. p. 121. 122.

Proxime memorandus venit *Rhodites*, non quidem ille Plinii l. 37. c. 11. à roſæ ſimilitudine ita dictus: ſed lapis ille, quem multis inſignem Roſis, non equidem vidit ipſe, ſed ex Relatione aliorum deſcripſit Geſner. de fig. lap. 123. Rhoditem verum, qui Roſas ſtellarum loco (nam inter Aſtroitas eum recenſet) exhibet Velſch. Hecat. 1. Obſ. 44. Hanc ſanè, ut & alias Aſtroitarum ſpecies, *Cometitem, Stigmiten*, à Velſchio recenſitas atque depictas, potiùs quàm Dendritas alios refert, lapis ille fiſſilis cinereus haud procul Lithopoli ex Lapicidina Oeningenſi extractus, qui ferro vel lapidibus affrictus Cornu uſtum redolet, hic namque in ſuperficie depicta gerit nigricantia puncta minutiſſima, ſtellulas majores minoreſque, arbuſculas minimas, cuncta ſubtiliſſimo quaſi penicillo expreſſa, nec à commiſſuris lapidum uti in aliis dendritis fieri ſolet ſurgentia, ſed mediæ lapidis planitiei ſpartim impreſſa. Fig. B.

Fortaſſis etiam ad hanc claſſem pertinet *Phycites* Plin. l. 47. c. 10. ita dictus ab algæ figura. à qua non abludit lapis quidam fiſſilis arenoſus ſubcinereus Fuci cujusdam marini figurâ notatus, iconem Fig. C. ubi iconem a. b. in altera lapidis planitie expreſſam in eadem cum c. d. facie depingere juſſi. Imò & communiſſimos Dendritas Phycitarum nomine inſigniet, qui icones

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

Fig. ♂

ad pag. 62. App.





Fig. C.

ad pag. 60. App.



Fig. D.

ad pag. 61. App.

V et VI.

nes noſtras conferet cum Fuco maritimo Roris marini, foliis dentatis Bocconi Muſ. di Fiſic. p. 268.

De *Gaſidane* gemma ita Plin. l.c. *Gaſidanem Med. (al. Geſſinadem Magi) mittunt, coloris orobini, veluti floribus ſparſam: Naſcitur & in Arbelis. Hæc quoque Gemma concipere dicitur, & intra ſe partum fateri concuſſa, concipere autem trimeſtri ſpatio.* Ex quibus poſterioribus Plinii verbis Dalechampius Gaſidanem refert ad Aëtitæ Geodis ſpecies, vel ipſum Bezoar eſſe autumat. Priora interim verba eum noſtræ præſenti conſiderationi ſubjiciunt.

Eodem jure huc referri debent *Achates ſimilis* limitum (al. palmitum) *floribus quos in Thracia & circa Detam, & in Parnaſſo & in Lesbo, ac Meſſene, & Rhodo reperiri* ſcribit Plin. l.c.

Plinianorum aliquot utpote obſcuriorum, nobisque ignotiorum vicem ſupplet, pluribus aliis etiam notioribus in raritate & elegantia præferendus, quem pro ſuo in nos affectu communicavit Illuſtris, atque Excellentiſſimus Acad. Nat. Curioſ. Præſes D. Lucas Schröckius, lapis fiſſilis griſeus ab Excell. D. Gottofredo Schulzio, nuper eheu! e vivis ſublato, è Sileſia ipſi transmiſſus, ex fodinis Lithanthracum ad pagum Altwaſſer dictum duobus Suidnicio milliaribus erutus, qui in uno ſui latere (Fig. D.) *Adianthum verum ſ. Coriandri foliis* C. B. aſt minoribus foliolis, pulcherrimè refert, ab altero autem (Fig. E.) licet obſcurius, Filiculam quandam exhibet, ita ut propter colorem maximam partem obliteratum dubius hæream an *Filicula ſit fontana* C. B. vel *Filix querna* C. B. vel *Filicula petrea foliis non ſerratis* C. B. atque ſic lapidem hunc novo *Adiantitæ*, & *Filicitæ*, vel *Pteritæ* nomine cum Excellentiſſimi Poſſeſſoris venia baptizare non dubitem.

Quod ſi porro ad manus forent iisdem lapidibus impreſſæ *Ambroſia*, *Artemiſia*, quarum laudatus Schulzius in literis ad Exc. Præſidem meminit, ut & quas in Jaſpidum generibus *Narciſſos, Hyacinthos, Tulipas, Pœoniæ, Gelſaminæ* flores cum ipſis plantis mira arte effigiatos memorat Kircher. Mund. ſubterr. l. 8. p. 26. amplior quoque foret noſtra Onomatologia.

Attulit nobilis naturalium conquiſitor & concivis noſter ex fodinis Ilmenavienſibus lapidem ſubcinereum, cui icones pluri-

rimæ Lonchitidis cujusdam vel Ceterach ſunt impreſſæ, quam Fig. Mart. inter E. & F. indicare volui.

Fiſſilem lapidem, per quem diſcurrentes venæ ex argilla cinerea delicatius lapideſcente arborem coralli inſtar patulam in ramos hinc inde diffuſos repræſentant, in figura malè licèt expreſſa, exhibet Joh. Bauh. Hiſt. Font. Bollenſ. de Lapidibus. pag. 4.

Lapidem porrò fiſſilem cinereum, in cujus ſuperficie Ericæ figura repræſentatur facilè poſſumus *Ericitæ* nomine inſignire. Hujus generis lapidum, qui Ericeta repræſentant, meminit Anſ. Boet. de Boot. de gemm. & lapid. lib. 2. cap. 285. eosque ab incolis pagi Somberg prope Wurzburgum Waſſer-Steine, quia ſub aquis naſcantur, vocari ſcribit. Hic autem obſervari velim, lapides illos, qui vulgò & plerumque ſub Dendritarum nomine veniunt, eſſe hos ipſos lapides Ericeti B. à Boot memoratos. Poſſent itaque ad accuratiorem diſtinctionem *Dendritæ* καθ' ἐξοχὴν appellari, qui arborum Characterem exprimunt, ſive truncum à terra elevatum & poſt in ramos diviſum referunt ut (Fig. F.) Ericitæ, qui ſtatim à radice in ramuſculos finduntur, & ſic frutices potiùs vel Ericas & pluribus ordine locatis picturis fruticeta, dumeta, vel Ericeta repræſentant, jucundo ſanè ſpectaculo, (ut Fig. A.) atque idem cum his eſt *lapis naturæ artificioſâ celatura in figuram Abrotani plantæ effictus: item, lapis naturæ vi affabrè efformatus in figuram & typum nemoris in Muſ. Calceolar. Sect. 3. p. 419. & 420.*

Inter alia naturæ κειμήλια aſſervatur in Muſeo Tigurino lapis fiſſilis è cinereo ſubfuſci coloris, cui *Equiſeti paluſtris longioribus* ſetis C. B. effigies pulchrè eſt impreſſa, cui proin *Hippuritæ* cognomen appropriare non erubeſco. (Fig. G.)

Alium, quem eadem civica Pinacotheca poſſidet (Fig. H expreſſum) *Scolopendritæ* nomine dono, quod Figura foliorum *Ceterach*, quod *Scolopendrium* verum eſſe Botanici aſſerunt, ei exactè quadrare videatur: Diſtinctim tamen à *Scolopendrite* communiter ſic, & Germanico Idiomate Naßel- item Ohr-aßelſtein dicto lapide, qui *Scolopendræ vermis* Figuram habet, & *Aſtroites undulatus major*, potiori jure audit Bocconi Recherch. naturell. p. 141. adeòque in aliam Claſſem referri debet: Aſt quia in hoc eodem lapide, quem nunc Litho-Botanico Exami-

ni ſub-

Fig. E.

ad pag. 62. App.




Fig. F.

ad pag. 62 App.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Fig. G. ad pag. 62. App.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

ad pag. 63.

Fig. I.

ad pag. 63. App.



Fig. H.



ad pag. 62. App.

ni ſubjiciemus, folia non unica ex radice prodeunt, ſed, uti ex Figuræ H. inſpectione patet, ex caule craſſo & lignoſo, illum majori jure appellabimus *Filicitem*, vel *Pteritem*, quòd Filicem marem folio dentato C.B. ita exactè referat hujus lapidis icon, ut etiam veſtigia ſeminum foliis innatorum non obſcurè conſpici queant. Huic ſimilia fortè ſunt *Lapidis ſciſſili ſimilis 5. fruſta ſilicem* (lege filicem) *& alias herbas petrefactas exhibens.* Fünff Stück Steine/ dem Schifer in etwas ähnlich/ worinnen Farnkraut/ und andere Kräuter/ ſo zu Stein geworden zu ſehen. Item. *Lapidis partim Sciſſili, partim Lithomargæ ſimilis adhuc aliquot fruſta, herbarum ſylveſtrium, filicis, polypodii, & aliarum folia petrificata exhibens egregiè.* noch etliche Stück Stein / zum Theil den Schiefer/zum Theil aber dem Stein-Marck ähnlich/ worinnen petrificirte Wald-Kräuter/ als Farn/ Engelſüß / und dergleichen enthalten. Spener, Muſ. p. 92.

Ejusdem omninò reſpectu raritatis ſunt æſtimii *Phyllitæ Salicitæ* ſeu *Iteitæ* lapides Fig. I. vel Silices, in Sila flumine Tigurum præterfluente reperiundi, atque novis hiſce nominibus proptereà inſigniti, quia in ſuperficie ſua pulcherrimo ſanè aſpectu repræſentant variæ longitudinis atque latitudinis folia ſalicis, plurima fibra per medium excurrente notata, interſperſis hinc inde per foliorum interſtitia maculis ejusdem coloris rotundis ac inæqualibus, quæ ſemina leguminum, & fructuum veſtigia non obſcurè exprimunt, ut hinc occaſionem ſumſerit ſuæ denominationis Ferr. Imperat. Hiſt. Nat. l. 24. p. 579. quâ Lapidem hunc *Frumentarium*, vel *Frumentatum* nuncupat, nempe Idiomate Italico, *Pietra Frumentale, ò naturalemente ſcolpita in Figure di frumento, è ſemi de Legumi.* Nec dubito, quin tertium Saxorum genus, quod in Muſeo Imperati ſe vidiſſe ſcribit Kircher. Mund. ſubterran. l. 8. p. 39. & *ſalicis ſerrata* refert *folia*, *folium ſalicis* hinc appellatum, idem ſit cum quarto, quod *frumentatum* dicitur, niſi illud forte ſint folia ſalicis in Toſo expreſſa & petrificata, de quibus mox. Ruſticis noſtratibus, iis ſpeciatim, qui ſilices calcarios ad Ripam Torrentis Silæ colligunt, vocatur Kümmſtein / ſeu Kümmichſtein/ Kümmelſtein / fortè quod figuras lapidibus hiſce impreſſas pro ſeminibus *Cumini pratenſis* ſeu *Carvi* aſpiciunt, oculis licet ipſorum, ceu Microſcopiis rudioribus nimium adauctas;

ſunt

ſunt nihilominus, ut conterraneorum denominationem non minùs extenuare videar, aliquot ex hiſce ſalicitis, qui impreſſiones habent adeò minutas, majoribus interſperſas, easque ad tactum aſperas, ut ſemina *carvi* vel fœniculi non excedant, imò ad ea in magnitudine vix accedant in Fig. I. Lit A. Nec fortè abludunt folia hujus noſtri Phyllitæ à foliis Lauri & Olivæ; ut huc trahi poſſet Plinio l. 37. c. 10. memorata *Daphnia* (à Lauri figura fortè dicta) *quam Zoroaſtres morbis comitialibus demonſtrat*: Saxum quoque illud, quod *ad Lutetias Pariſiorum diviſum Coronæ Laureæ ſpeciem reddidit*, ut ex *Agricola* refert *Geſner*, de Fig. Lap. p. 129. nec non *Lapis ille niger fiſſilis Mansfeldenſium, cui impreſſi erant rami arboris cum foliis Olivæ ſimiles*, apud *Kentman. Nomenclat.* foſſil. p. 55. Imò, ut Helvetici hujus naturalis curioſitatem per varia Synonyma porrò extollamus, lubet inſuper ejus deſcriptionem accerſere ex *Calceolarii Muſeo* ſect. 3. p. 317. 318. hic etenim licet alieno ſub nomine reperiatur, artificis manu ita cælatus viſitur lapis noſter, ut vel ex primo intuitu ſtatim pro eodem agnoſci queat. Ita autem ſe habent verba Andreæ Chiocci deſcript. Muſ. cit. *Lapis eſt valde elegans, non ſanè pretioſus, ut gemmam dixeris, ſed qui illud inſtrumenti genus, quod (leg. quo) quid abſcinditur, exenteratur, cultrum nimirum (μάχαιρα Græcis dictum) non ſine aſpicientium mira jucunditate exprimit, quoquo enim oculi dirigantur, variis rerum imaginibus perpulchrè admodum à natura exornatus eſt* &c. nimirum ſunt hæ variæ rerum imagines ipſa noſtra Salicis, Lauri, vel Oleæ folia, & interſperſa leguminum, plantarumque ſemina, ſed & inſuper reſectæ quaſi horizontaliter truncorum arboreorum facies, cum circellis pluribus invicem uti videtur concentricis. In Fig. I. Lit. B. In noſtro autem Phyllita non hæc omnia tantùm ſunt conſpicua, ſed & ſpirales, albicantesve aut ſubflavi tractus in ſe ſerpentum inſtar convoluti, ſtriis inſuper minutis orbes hoſce itidem exiguos trajicientibus, ita ut reverà novum Cornuum Ammonis genus, idque orbibus ſeu ſpiris pluribus, id eſt, ſeptenis, octonis novenis, præditum conſtituant. In Fig. I. Lit. C.

Merentur porrò examini & contemplationi præſenti ſubjici Cornua Ammonis in his noſtris Regionibus ſatis frequentia, duorum ut plurimùm orbium vel trium, maxima, medioxima



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY



Fig. K. ad pag. 65. App.




Fig. L. ad p. 65. App.



Fig. M. ad pag. 66. App.

nus V et VI.

xama, minima, quæ vel in orbe extimo, vel omnibus ad umbilicum usque foliaceis Cardui impreſſionibus ſunt exornata, ita ut Cardui v. g. ſphærocephali folia illis impreſſa diceres, uti in fragmento extimi orbis Fig, K. videre eſt. Sunt autem nihil aliud revera, quàm lineamenta extrema articulorum, quibus hoc genus Cornuum Ammonis per totam ſæpè circumvolutionem diſtinguitur, ut occaſionem inde ſumſerit Worm. p. 86. articulationes haſce conferendi cum *vertebris ſpinæ ſerpentis*, aut *Anguillæ*, & id genus Cornu Ammonis nuncupare *Lapidem Sceleton Serpentis referentem.* Ipſa autem hæc lineamenta folioſa eleganter ita l. c. deſcribit. *Superficies* (lapidis) *exterior à natura crebris depicta eſt ramuſculis quaſi & linearum ductibus folia arborum quodammodo referentibus, qui ex articulationum anfractibus ortum trahunt.* Et de hiſtoria naturali ſpeciatim Angliæ optimè meritus Martin. Liſter. de Cochl. Angl. ſub Tit. 2. & 5. harum Iconum quoque meminit his verbis: *Maximè in fractis* (Cornibus Ammonis) *articulos quosdam obſervare licet: & in nonnullis iisdem ipſi etiam extrinſecus apparent, ſcil. quodam opere foliaceo* (foliaceâ picturâ) *ſingulos articulos diſtinguente.* Eſt mihi tale Cornu Ammonis fruſtum, quod ornamenta hæc foliacea eo modo impreſſa gerit. quo ferè folia trina Liliorum, Gallici regni inſignia pingi ſolent, *Encrinos* hinc vel *Encrinon* jure vocandum: Fig. L. Quamvis ab eo diverſus ſit *Encrinos* vel *Pentacrinos*, quem in foſſa mœniorum urbis Hildeshemiæ in Germania reperiri tradidit, & his deſcripſit verbis Agricol. lib. 5. de ant. foſſil. *Encrinos* Lilienſtein/ *Lilia repræſentat, cùm enim angulata pars una ab altera ſeparatur, utraque quina Lilia oſtendit. Nam alterius eminentiæ ingrediuntur in alterius ſtrias. Quælibet verò talis pars quinos habet angulos, latera totidem, utrinque quina Lilia, unde pentacrinos Græcè poteſt dici. Conſtat autem ex pluribus interdum conjunctis; adnaſcitur lapidibus in rubro nigri coloris ipſe rufus. Fractis ſingulis ineſt lapidis Judaici color, lævor, ac ſplendor.* nec non ab *Encrino Lachmundi Oryctog. Hildesheim.* p. 57. qui ex multis aliis parvis & angulatis lapidibus conſtat, cujus eminentiæ non aliter in alterius ſtrias inſeruntur, quàm cutis, imprimis in parte anteriore, circa gallinarum crura, ubi in figura apparet.

Quòd ſi coacta illa foliorum ornamenta, quæ aurifabris ſunt uſitata, ultra planam ſuperficiem elevata, & ſub termino Erhobner Arbeit, vulgò nota, Naturæ pomœrio includere licet, meretur omninò hic memorari lapis vel ſilex ſubcinereus Fig. M. in agro Egliſovienſi non ita pridem repertus, & Pinacothecæ Tigurinæ illatus, cujus tractus varii nigricantes, ultra planam ſuperficiem evecti oculis æquè, ac menti jucundas ſpeculationes formant.

Non etiam prætereundi ſunt, ſed omni diligentia in hac noſtra occurſione conquirendi *Toſi*, quibus *Folia Quercus, Fagi, Alni, Salicis, Oſtryæ*, pulchrè ſunt impreſſa. Sic proſtat in pago Stallikonenſi (Stallikon) milliare abhinc verſus occaſum diſſito id Toforum elegantiſſimorum genus in tanta copia, ut integrum montis tractum, ad ſemihorium circiter in longum ſe extendentem, ex hoc Toſo componi dixeris, & ingentia plauſtra onerari eo poſſint: Locus certè eſt rarisſimus & dignisſimus, qui à λιθοφίλοις quibuscunque adeatur. Exempli loco hic unicum ſiſto in Fig. N. ubi Lit. a. exhibet folium oſtryæ b. Alni montani folio latiori, c. Quercus, d. Rubi. e. Fagi, f. Salicis.

Nunc vallis hujus varietate quidem rerum amœniſſimi longitudinem aliàs adverſam emenſi ſumus, ἐκ σάλης καὶ κλύδωνος τῆς ὀνοματολογίας emerſimus, ad radicem montis nobis conſcendendi pertigimus, reponamus, oro, pauliſper membra noſtra non tam exuendæ, quàm præſervandæ laſſitudinis ergò. Sed ne *otioſi* interim videamur, philoſophemur, ſi tempus id permittit, vel pauca ſaltem prælibemus, quæ præliminarium loco inſervire nobis poterunt ad intelligenda & ſolvenda in ipſo monte varia problemata. Noſti, *Collega honorande*, hiſce Muſis non delectari quemvis, geneſin Lapidum ita figuratorum attingere paucos, nedum perveſtigare, nôſti, ſilere hac de re pleroſque, ſi non omnes, Naturaliſtas, hiſtoriam potiùs & diagnoſin, quàm ratiocinia æſtimantes, ſilere Philoſophos, qui maximam partem cum Æſopi vulpecula vitreum vas lambunt, pultem non attingunt, in generalibus hærere, inanibus ſæpe quæſtiunculis irretitos, ſpecialiaora Mathematicis & Medicis relinquendo; ſilere Medicos, curioſa hæcce naturæ arcana

Fig. N.
ad pag. 66. App.






Fig. O.
pag. 68.
App.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

na vel prorſus negligentes, quia nimirum de pane lucrando non ſunt, vel obiter ſaltem, & per tranſennam aſpicientes; rarò quippe offendas tales, qui aureolo illo Hippocratis, ἰατροὶ φιλόσοφοι ἰσόθεοι, excitati, Phyſicæ ita ſtudent, ut exinde Phœnomenis tam abſtruſis ſolvendis pares evadant: Jacent interim in Democriti puteo ſepulta naturæ Myſteria, coguntur ipſi moderni Carteſiani & Gaſſendiſtæ, Philoſophiæ Peripateticæ oſores alias acerrimi, confugere ad qualitates occultas, ſive, quod idem eſt ad naturæ miranda ſecreta ubi nempe à Tyronibus φιλομαθέσι, id genus Phœnomena cum ſtupore aſpicientibus, laceſſiti, vel rogati cauſam dicere coguntur. Sunt interim ſummopere laudandi illorum conatus, qui inquiſitioni cauſarum, utut abſtruſarum, ingenia ſua, & labores conſecrant, felices, qui rerum poſſunt, imò volunt cognoſcere cauſas, licet præ difficultatum occurrentium copia ſcrutari diu ante deſinant, quam ad fundum pertingunt.

Sic non improbaverim eorum ſententiam, qui Spiritui mundi, Archeo ſ. naturæ univerſali, in globum hunc terraqueum ubique panſpermia imbutum perpetuò agenti, & pro ſubjecti diverſitate figuras varias producenti cuncta tribuunt; modò diſtinctiùs ſeſe explicarent, & agentis æquè activitatem, ac patientis materiæ modificationem ſpecialius, uti hic poſcitur, determinarent. Ita in literis ad me 24. Aug. datis philoſophatur Exc. D. Spleiſſius de Dendritarum geneſi. *Cauſam hic univerſalem in medium proferre jubet ipſe rerum ordo, quam cum Johanne d' Eſpagne, aliisque, ignem naturæ, ceu divini opificis Spiritum ſtatuo, qui in globo ſolari ſedem habens, calorem vivificum, figurantem, fingentem, per ejus radios in univerſum naturæ imperium diffundit; ſecum actus potentiam ſeminibus inſinuans, principiumque motus, & actionis in illis ſtatuens. Eſt enim hic Spiritus Clar. Williſio, inſtar Circini mobilis, vel ſtyli in manu artificis variè excurrentis, & diverſimoda lineamenta huc illuc protrahentis. Salinum autem principium in materia jam latens, veluti regula appoſita, principii illius ignei ſummè activi & (quod alii Mercurium univerſi appellitant) excurſus moderatur & determinat, atque intra confinia à naturæ deſignata coercet. Ubi igitur ſalis Spiritus præpollet, prout in vegetabilibus & animalibus, in figuratione rerum major occurrit varietas, quoniam Spiritus latius excurrens, protractus ſui plura efformat veſtigia,*

gia, & lineis non rectis, ſed intortis, & plurimum variegatis corpora deſcribit, prout in deſtillatione ſpirituoſorum, hujusmodi quoque ramificationes Spirituum ad latera vaſorum aſcendentium, videmus. Licet verò, ubi Sal ſpiritui dominatur, uti in concretis mineralibus, ſimpliciores ut plurimum obſerventur figuræ, nempè lineis rectis aut circularibus abſolutæ, tamen nonnunquam & in hiſce, ob confluxum præponderantis principii hujus ignei ſummè activi, vegetabilium rudimenta, pro materiæ ſequacitate, vel exactiora, vel minus, exprimitur. Agentis hujus univerſalis ſ. Archæi in objecto ſpecialia obſervantis virtutem hiſce diebus cum admiratione conſpexi; dum enim Magiſterium Gummi Guttæ ex mente Schrôderi cum Spiritu vini conficerem, & poſt ſolutionem, dimidiamque menſtrui abſtractionem reſiduo aquam ſimplicem copioſam affunderem, ſecretio quidem facta eſt copioſisſima, ſed materiæ viſcidioris, quæ cum liquore integro in mucilaginoſum quid concrevit. Mucilaginem hanc fluidam in concham vitream effudi, & die uno elapſo rurſus decantavi, ſic quod adhæſit vitro reſiduum reſinoſum vi ſalina imbutum, & actuatum in exiccatione ſui innumeras formavit ſtrias, & plures quidem ab uno puncto latè verſus unam plagam, vel undique diffuſas, ſicque dendritas noſtros, imò integra virgulta, dumeta, arundineta, roſas, ſtellasque repræſentantes, ſicuti Litera α. β. γ. in Fig. O. talismodi exhibent Dendritas artificiales ex pluribus aliis ſelectos, & ſpeciminis loco huic Diſſ. inſertos. Eſt hoc experimentum Chymicum, tum exponendæ, & ſpecificandæ Spleiſſianæ hypotheſi, tum illuſtrandæ Dendritarum geneſi apprimè congruum, adeòque optimo jure hic inſerendum.

Ferr. Imperatus Hiſt. Nat. lib. 24. p. 578. Figuras Dendritæ deducit ab exhalationibus quibusdam in lapidis generatione ejus corpori ſeſe inſinuantibus, & à radice per ramos minores, minoresque ſeſe diffundentibus, ſicuti id inquit obſervare licet in pyritis ab ignis calore vehementiori in plures particulas fiſſis. Hoc quidem lubens Imperato largior eſſe quid ſubtile, mobile, quòd à radice ſeſe diffundit in ramos, & ramulos, quæritur tantum, an ſubtilis illa materia tincturam, & figuram lapidi impertiens id agat ſub forma effluviorum, vel exhalationum, an verò ſub forma fluidi ſeu liquidi: prius aſſerit Imperatus

ratus. & ex eo Worm. Muſ. p.45. Schulzius item in literis jam ſæpe laudatis ad Exc. Præſidem: nempe Dendritæ figuras eodem modo videntur explicare, ac variantes illas in feneſtris hypocauſtorum hyeme conſpicuas, & nemora, arbores jucundo ſpectaculo repræſentantes figuras, quæ certè vaporibus debentur aqueis in hypocauſto durante fornacis calore agitatis hoc deficiente orbibus vitreis alliſis, ibique ſtatim eo, quo allapſi fuerunt ordine condenſatis & conglaciatis. Hiſce autem contrariari videtur Prop. 11. in Stenonis Prodr. Diſſ. de ſolid. intr. ſolid. p.25. reperiunda. *Si corpus ſolidum alii corpori ſolido, non modò quà ſuperficiei conditiones, ſed etiam quà intrinſecam partium, particularumque ordinationem per omnia ſimile fuerit, etiam quà modum & locum productionis illi ſimile erit.* Penetrat Dendritarum, ſi non omnium, plurimorum ſaltem Tinctura lapidum ipſorum fiſſilium ſubſtantiam, hærentibus in ſuperficie duntaxat vitri figuris illis ab exhalationibus aqueis hypocauſto productis: præterea nemora vitri producuntur inter ſolidum (vitrum) & fluidum (aërem hypocauſti) arboreta dendritarum inter ſolida & ſolida, nempe in ipſis lapidum fiſſilium fiſſuris ut taceam, nequidem convenire figuras comparatas, in ſuperficiei conditionibus: in vitris namque omnes figuræ ſunt irregulares, inæquales, confuſæ, in uno eodemque orbe vitreo, ex denſa vaporum glaciatorum congerie prominent arbuſculæ, plantulæ, cruces, projectæ trabes. Cùm è contra in Dendritis eadem ſit arborum vel fruticum ſeries, non intermiſtis aliis aliorumque corporum figuris, imò quod nunquam ſatis mirari poſſum, in quibusdam tàm pulchrè ſecundum lineam rectam diſpoſitæ ſunt arbuſculæ, altitudinis etiam differentis, ut nunc denſum, nunc rarum arboribus nemus pulchrè referant: Pyritæ ab igne in varias particulas fracti exemplum meo judicio huc prorſus non quadrat; eſt ibi διάκρισις, hîc σύγκρισις, fit ibi à vehememementi igne ſolutio, hîc à frigore potiùs vel quiete condenſatio ac conſolidatio. Non tamen hanc meam cenſuram eousque extenſam velim, ut non cogitationes haſce Imperati, Schulzii aliorum ipſis quibusdam Dendritis, Rhoditis, Aſtroitis &c. applicare deſiderem.

Ne interim hâc meâ cenſurâ, modeſtâ licèt, mihi ipſi applicare viderer vulgatum illud, veriſſimumq́; ῥᾷον μωμεῖσθαι, ἢ

μιμεῖσθαι, propoſui aliquid in re tam difficili tentare, ut ſi non propius veritatem attingerem, Tibi ſaltem, Vir Exc. omnique Lectori benevolo curioſo, unam inter duas tresvè opiniones eligendo liberum relinquerem arbitrium. Nam: οὐ καλὸν ὦ φίλε, πάντα λόγον ποτὶ τέκτονα φοιτῆν μηδ᾽ ἐπὶ παντ᾽ ἄλλω χρεῖος ἴσχεμεν. Ἀλλὰ καὶ αὐτὸς τεχνᾶσθαι σύριγγα.

Non pulchrum eſt, ô amice, omni de cauſa ad fabrum ventitare, neque in omnibus alio indigere, ſed & ipſe fabrica fiſtulam.

Aurea ſunt Bionis Smyrnæi verba, cum grano Salis tamen accipienda, & cautè uſurpanda, ne nimio contemnendi aliorum placita, vel rejiciendi ardore correpti, nos ipſos, & famam noſtram aduramus; vel novitatis ſtudio allecti ad abſurda deveniamus, & noſtra cogitata riſui exponamus: non enim omnibus quadrat illud quod immediatè ſubjungit ſapiens noſter Bion.

Πέλει δέ τοι εὐμαρὲς ἔργον.
Eſt autem tibi facile opus.

Agedum, ut commodiùs & Methodo Mathematicæ convenientiùs procedamus, contemplemur priùs Phænomena circa dendritas occurrentia, ut ex collatione illorum poſtea cauſas eruere poſſimus, eorum ſolutioni proportionatas. Et quidem.

1. Ponamus obſervationem curioſam a Ferr. Imperato l. c. traditam, quòd ſi igni imponatur Dendrites brevi evaneſcat pictura, relicto lapide ſimplice & nudo, picturâ ſuâ orbato, qui adeò ſit tenax, & igni invictus, ut diutiſſimè vim ignis ſuſtineat, abſque quòd calcinetur, imò à continua ignis actione in vitrum abeat. Nec omittenda ſunt, quæ Laudatiſſimo Schröckio communicavit χαριέστατος Schulzius: quod *Nigredo iſta à lapide recenti abraſa & carboni ignito injecta, fumum & odorem bituminoſum ſpargat, ipſe verò lapis, ſi fruſtulum ejus purum, & nigredinis hujus omninò expers igniatur, nec fumet, nec odorem ullum ſpiret.*

2. Solent Dendritæ ſemper ſola arborum & fruticum folia, eaque prout è longinquo ſpectantur, à pictoribus miniato opere (en miniature) exprimuntur, repræſentare, (uti ſanè vivorum

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.

Fig. P. ad pag. 71. App.




Fig. Q. ad pag. 71. App.



ovum ovo ſimilius quam Dendrita noſter Fig. P. fruticibus ac dumetis in tabulis Perellianis, (den Geſträuchen und Bäumen in Perellianiſchen Landſchafften) nunquam flores, vel ſemina, nec etiam folia, prout viſui propius admota ſeſe offerunt, id quod de foſſilibus plantas varias repræſentantibus in Anglia reperiundis obſervat (Cambden Brittan. impreſſ. Londin. 1695. p. 692.

3. Ita juxta invicem exurgunt arbuſculæ, ut nulla aliam impediat, una alteri cedat, nullus etiam ramus alium permeet & interſecet; uti id cum ſtupore obſervo in Fig. A. & Q.

4. Contingit haud raro, ut ſuper arbuſculas origine priores & emarcidas quaſi proindeque flaveſcentes Lit. a. b. a. b. Fig. Q. aliæ exurgant recentes nigricantes c. d. c. d. ut hîc pulchro certè ſpectaculo ipſa Natura Naturam imitari videatur.

5. Radices arbuſcularum in Dendritis ſunt in ipſis lapidum commiſſuris, ſive incipiunt ſeſe expandere frutices hi à Natura depicti, ibi, ubi fiſſiles lapides alios contiguos in ſua craſſitie tangunt. Fig. A. P. Q.

6. In ſingulis lapidum fiſſuris novæ obſervantur picturæ, novæ conſpiciuntur fruticum & arborum icones, & quidem eædem in duabus ſibi contiguis ſuperficiebus.

7. Sunt Dendritæ quorum Tinctura arborifica totam ipſius lapidis craſſitiem penetrat, ita tamen, ut in ſola ſuperficie extrema diſtinctas arborum icones repræſentet, quales ſunt Pappenheimenſes; hi enim ſi poliantur, ſenſim ſenſimque obſcuriores evadunt, atque ſic eam, quâ ſuperbiebant antea, pulchram effigiem, in maculoſum neſcio quid commutant, vel prorſus tandem amittunt.

8. Alii è contra ut Dendritæ Hetruriæ, quò plus poliuntur, eò prodeunt in figuris arbuſcularum diſtinctiores, atque hinc politi capſulis vel ciſtulis exornandis egregiè conducunt.

9. Alii tandem lapides in ſuperficie duntaxat figuras oſtentant, quibus ab illa abraſis ne veſtigium quidem ullum effigiei arboreæ compareat. Et tales ſunt quos è fodinis Lithanthracum extractos Exc. Præſidi noſtro transmiſit Schulzius, cujus hæc ſunt verba: *Iſte verò color niger non, aut certè parùm admo-*

admodùm in ipſam lapidis ſubſtantiam penetrat, ſed ſuperficiei ejusdem ſaltem illitus & agglutinatus eſſe videtur. & in lapidibus recens erutis cultelli cuſpide facilè fruſtillatim ita ſeparari poteſt, ut nullum ejus veſtigium in lapide remaneat.

Dum in umbroſo hocce conſedimus loco, Spiritus noſtros recollecturi, corpora inter aſcenſum defatigata ſub amœna hac arborum umbra refecturi, oculos jucundo in ſubjectos valles, urbes, flumina, ſylvas &c. proſpectu recreaturi, aures grato avicularum concentu tanquam mulcimine lenituri, conabimur ex Phænomenis Dendritarum enarratis rationes haurire, quibus illorum ſolutioni ſatisfacere, atque ſimul viam ſternere posſimus ad excogitandam hypotheſin, quæ non ſolum Dendritarum geneſin planam reddere, ſed & alios id genus pictos lapides illuſtrare posſit.

Et quidem ut 1. Phœnomeno ſatisfiat, ſtatuendum omninò eſt, Tincturæ illius nigræ, quâ lapides cæterà albidi vel cinerei pinguntur, materiam aliam eſſe à materia lapidis ipſius, & quidem illam hac eſſe ſubtiliorem, mobiliorem, fluidorem, quia poris ſolidi corporis ab igne reſeratis illa, ſive particulæ magis volatiles, ſpirituoſæ, ſulphureæ avolant, relicta maſſa Tincturæ experte: & eſſe quidem Tincturam hancce ſulphureæ, & bituminoſæ naturæ, patet tum ex odore bituminoſo & fumo, quem igni injectus lapis de ſe ſpargit, tum ex loco natali, memorabile quippe eſt, quod Schulzio retulerunt foſſores, ſe, *dum puteos in profundum agunt, ſtrata plura lapidis fiſſilis reperire, in nullo verò earum figurarum hujusmodi quippiam conſpici, niſi in ultimo, cui vena Lithanthracum immediatè ſubjacet.* Ita quoque fiſſilia varia exprimentia figuras plantarum, quæ non ſolùm à Britanicis, ſed ab omnibus à Botanicis deſcriptis differunt, deprehendi in Carbonariis Anglicis tegulæ cuidam impresſis, quæ ad ſuperficiem carbonis proximè adjacet, ſcribit Cambden. Britan. edit. cit. p. 692. Ubi verò per hanc ignis torturam non evaneſcunt picturæ; quod mihi Dendritam Pappenheimenſem igni per bihorium ferè committenti accidit, cogitandum eſt, eſſe particulas tincturæ volatiles ita cum terreſtribus Alcalicis fixatas, ut ab earum compedibus vix liberari queant. Quod verò Dendritæ adeò tenaces ſint, & com-

pactæ

pactæ ſubſtantiæ, ut igni maneant invicti, inde concludere licet, eſſe eorum ſubſtantiam valdè homogeneam, nihilque ſulphuris improbi ſeu ſylveſtris intertextum gerere. Quòd enim Metalla & Mineralia calcinentur, inde fit, quia ignis harum maſſularum vicinitatem turbat, minima ſua ſubtiliora in eas frequentiùs, ac impetuoſiùs impellendo, & has eo usque ſuccutiendo, donec contiguitatem ac cohæſionem mutuam derelinquant, hincque quod hactenus compactum & tenax, poroſum & friabile evadat corpus, vel in pulverem collabaſcat, ſicuti calcinationis actum optimè explicat Bohn. Diſſ. Phyſ. Chym. 12. §. 4. Quod verò per continuatam ignis actionem tandem fundatur lapis Dendriticus, inde evenit, quod terrea lapidis ſubſtantia expulſis paucis, quæ adſunt ſulphuris volatilis particulis, cum alcalica coit, atque in fluorum agitatur.

Ex 2. Phænomeni conſideratione ſtatim patet, non eſſe has arbuſcularum imagines ipſas arbuſculas petrefactas, nec etiam impreſſiones fruticum in molliorem adhuc lapidis ſuperficiem factas, nam ſic exprimerentur non ſola folia, ſed ipſa florum & fructuum adeſſent veſtigia, imò conſpicerentur folia non opere miniato, prout ſcil. è longinquo ſpectantur, & frondes viſui occurrunt, ſed in tota & naturali ſua extenſione, cum petiolis, & fibris; atque ſic diſtinguerentur facilè plantæ vel arbores unæ ab aliis. Vel ſaltem inde conſtat, non eodem modo produci has plantas in lapidibus depictas, quo progerminant in ipſo terræ gremio. Qui verò Dendritarum figuras potiùs conferret cum Ericæ, Abrotani &c. iconibus, atque ſic hos ipſos ſuffrutices, à ſubverſionibus terrarum, inundationibus aquarum &c. delatos diceret inter lapidum fiſſilium ſtrata, atque his utrinque impreſſos, hunc tyro quivis Botanicæ facilè confutabit. Qui enim vel primis attigit digitis ſacræ hujus ſcientiæ limina, enunciare poterit, quanti laboris, induſtriæ, dexteritatis opus ſit, Herbarium vi um, uti vocant, conficere, folio-la ſingula, quæ recentia, & ſucculenta facilè confunduntur, ſicciora paulò corrugantur, evolvere, explicare, ut diſtinctè conſpici, & in figura expanſioneque naturali conſiderari queant, & ad primum Dendritæ alicujus, uti Fig. A. obtutum ſtatim & verè quidem judicabit, aut adfuiſſe ſummam artis induſtriam

ſtriam; plantam ipſam inter duas fiſſiles laminas delatas collocantem, digitorum apices valdè acutos foliola explicantes, & cuncta ita diſponentes, ut ne nimia quidem facta fuerit ramuſculorum vel intricatio, vel confuſio, vel interſectio, aut quod potius nobis videtur, productas eſſe has figuras ex motu fluidi alicujus inter duo vel plura ſolida incluſi, compreſſi, & ſeſe inter illa diffundentis. Athanas. Kircherus Vir plurimarum rerum notitiâ inclytus, Mund. ſubterr. lib. 8. p. 37. quadruplici modo figuras lapidibus imprimi poſſe ſcribit. 1. Caſu & fortuitò, ut nubes, naves, montes, urbes, caſtella, cruces, literas alphabeticas, figuras Mathematicas. 2. Ex diſpoſitione terrenæ ſubſtantiæ, intra quam, tanquam intra formam receptus humor tinctus, tandem Spiritu lapidifico in eam figuram quam terrenæ ſubſtantiæ matrix refert, induratur, ut piſces in Ichthyite. 3. Ex aliquo ſingulari accidente, quo figuræ in lapidibus, nunc in hanc, nunc in illam formam emergunt. 4. Cœlitum præſertim figuras ex diſpoſitione ſingulari divina. Atque pro plantarum noſtris iconibus explicandis eligit tertium, ſingularemque fovet opinionem, paucis fortè probatam, quam propriis ipſius verbis p. 40. reperiundis exponam. *Cum in terra* inquit, *lapideſcente variarum ſtirpium plantarumque pulveres inſint, in quibus unà cum exiguo calore neſcio quid ſpermaticum adhuc ineſt, quod in lapide adhuc molli materiem nactum utcunq; ad id aptam, cum plantarum ſubſtantiam ea conſtituere non poſſit, id quod poteſt, id eſt ſolas in materia herbarum imagines, plaſtica facultate, quæ ſeminali virtuti aliquo modo inexiſtit, depingit*; Subjungit quidem pag. ead. alium modum, qui tamen longè diſtare mihi videtur à ſcopo ſtro, & applicabilis ſolùm muſco aliisque plantis earumque partibus integris petrefactis, vel Tartaro obductis, cryſtallinave materia immerſis.

Altioris indaginis eſt ſolutio 3. phænomeni, qui nimirum fiat, ut arbuſcularum figuræ non invicem confundantur, nec rami implicentur, putaret ſtatim quivis, materiam fluidam inter lapidum fiſſuras compreſſam, atque ſuper eorundem lapidum planities effuſam non poſſe tam ordinatè & diſtinctè moveri, quin vel totam inundet ſuperficiem, eamque ſic uno eodemque colore tingat, vel ſaltem confuſas ſine ordine inducat

sat maculas, non diſtinctas fruticum icones: difficultatem auget, quòd ne duo quidem rivuli, ut ut juxta invicem effluentes curſus ſuos commiſceant, ne duæ quidem arbuſculæ invicem confundantur, licet interſtitium ad exortum tam exiguæ ſit latitudinis, ut vix oculis diſcriminari poſſit. Hoc ſanè ſcrupulo menti oblato vix me liberare poſſum, niſi ſtatuam fluxum perennem materiæ ſubtilis, per ſingulos corporis porulos, quæ jugi ſuo per corpus etiam ſolidiſſimum tranſitu non ſolum confluxum, atque miſcelam rivulorum prohibet, ſed & ipſam fluidi tingentis ramificationem determinat, & latitudini æquè ac longitudini ſingulorum rivulorum leges quaſi & terminos figit, quos transgredi non poteſt. Magnam certè vim & efficaciam eſſe fluidi ſubtilis permeantis exemplo longitudinis filorum evincit Stenon. prodr. Diſſ. de ſolid. intr. ſolid. p. 65. quæ circa Magnetis poros è ferri limatura exurgunt, non ſolùm, quando eadem limatura magnetem proximè contingit, ſed etiam, quando intercedens charta à Magnete illam dividit: cui obſervationi innixus idem Author p. 66. & 100. cryſtalli incrementum per appoſitionem materiæ certis ſolùm Cryſtalli faciebus, figurationem & erectionem ſalium volatilium alembici collo adhærenrium, aliaque id genus Phænomena permeanti fluido adſcribit. Huic etiam penetranti fluido debetur diſtincta illa arbuſcularum, nemorum, aliarumque figurarum in orbibus vitreis diſtincta expreſſio, niſi hæc à copia allabentium vaporum impediatur.

Phænomeni 4ti Phyſica ratio, ut aliqualis detur, ſtatuenda eſt temporis ratione prioris & poſterioris diverſitas, & adſcribenda illi geneſis foliorum flaveſcentium, & quaſi marceſcentium, quia ſitu ſunt inferiora, huic productio foliorum recentium illis ſuperinductorũ: Ut autem hæc diſtinctiùs intelligantur, ſupponendum, fluidum arborificum inextitiſſe ipſis lapidum poris, atque exudare, vel potiùs exprimi à conſtrictione pororum, quæ conſolidationem lapidis neceſſariò comitatur, ex ipſo lapidis fiſſilis corpore: quando nunc poſt aliqualem & primam pororum conſtrictionem, ab expreſſione prima fluidi, fuit producta prior ſeu inferior arbuſcularum ſeries (ita ut etiam hæc pictura exiccata fuerit) nova fit à frigore vehemen-

hementiori, vel alia cauſa, ejuſdem lapidis nondum plenè compacti ſeu conſolidati conſtrictio, tunc materia tingens fluida in poris corporis reſidua, de novo exprimitur, atque pro ratione ſitus, vel priſtinarum arbuſcularum faciem denuò inundat, vel ſuper nudam quampiam, nec dum tinctam faciem ſeſe effundit; quòd autem Tinctura prior coloris ſit flaveſcentis, non atri & vividi, ſicut poſterior, ejus ratio conjici facilè poteſt ad ſulphur magis vel minus exaltatum, atque ipſius Tincturæ primæ (quam nigram quoque ſupponere licet) ratione texturæ à cauſa quapiam ut colori ficis exhalationibus, vel fumis ſulphureis aliunde ſurgentibus &c. immutatione.

Ex Phænomeni 5ti circumſtantia notabili clarum eſt 1. fieri Dendritas per expreſſionem fluidi cujuſdam, ex ipſius lapidis ſubſtantia, quod poſtea amplius quærens ſpatium ſuper extremam lapidis ſuperficiem ſeſe diffundat, & vi actinobolica partium ſalinarum ipſi Tincturæ immixtarum, in effuſione ſui & exiccatione formam arbuſcularum imitetur, eo ferè modo, quo ſupra vidimus in mucilaginoſo gummi Guttæ concreto, ſimiles ipſis Dendritis figuras progigni. 2. Fieri exundationem illam fluidæ Tincturæ per craſſiorem & breviorem lapidis Diametrum, non per longiorem ſeu ſuperficiem lapidis fiſſilis ampliorem, qua in figuris ſe invicem tangunt, ſive in planitiebus ſuis ſtratorum ad inſtar ſuperimponuntur, atq; hinc colligere facile eſt, fieri expreſſionem illam fluidi tingentis ex poris lapidis per conſtrictionem pororum in duabus maximis, & invicem parallelis ſuperficiebus à frigore, pondere ſuperincumbentium ſtratorum, vel alia cauſa inductam.

Phænomeni 6ti conſideratio attentior, anſam dat cogitandi, quod 1. à cauſa conſtrictoria pluribus vicinis ſtratis inducta, è ſingulis exudet fluidum tingens. 2. Fluida duo ex duobus contiguis ſtratis expreſſa, & ad idem interſtitium effuſa ſeſe conjungere, & eandem ſimul viam inire. 3. Si vel ex unico contiguorum ſtratorum ſeu vicinorum lapidum fiſſilium exudaret fluidum, hoc inter binarum ſuperficierum anguſtias compreſſum, utrique ex dictis ſuperficiebus Tincturam eandem impertiet. Sicuti videmus, poſt diſruptionem duarum tabularum è lapide fiſſili nigro politarum, atque oleo, vel aquâ priùs illita-

rum, & ſuper invicem probè tritarum, easdem arbuſcularum effigies in utriusque tabulæ ſuperficiè exprimi.

Reliquorum Phænomenorum attentior paulò conſideratio anſam dat cogitandi de æqualitate, vel inæqualitate materiæ, quaDendritarum lapides conſtant, uti & de tempore ac gradib9 conſolidationis: notum quippe eſt ex Mineralogia generali, lapides etiam ſolidiſſimos, ſi ſecundum Naturæ leges producti ſint, è fluido productos eſſe, uti etiam hanc prop. III. *ſuis de ſolido intra ſolidum*, cogitationibus *in prodr. Diſſ.* præmittit *Stenon.* Et ſanè niſi hoc effatum verum foret, nemo unquam ſibi poſſet concipere Dendritarum effigies ſolidum marmoris corpus penetrantes & permeantes, ut vel ex hoc ſolo Dendritarum aſpectu veritas propoſitionis Stenonianæ abunde pateat. Prout nunc materia ſolidi lapidis ſive arenulæ ſunt craſſiores & rudiores, uti pro ſolutione Phænomeni 7mi ſupponendum eſt, poterit Tinctura arborifica non eodem totam maſſam lapideam permeare ordine, quin à jugi arenarum craſſiorum objectu à recta pororum via deflectere, ſicque inordinatam & maculoſam quamvis figuram inordinato ſuo motu deſcribere debeat: imò propter prohibitum, per poros rectos materiæ fluidæ motum, & ad latera nullo ordine deflectentem fit, ut tandem ſeſe perdat, antequam ad mediam usque lapidis materiam penetret, ſicque clarè ut puto concipi poteſt, quomodo in politura Dendritarum Pappenheimenſium ſenſim magis ac magis non ſolùm diſtincta arborum facies, ſed ipſa etiam Tinctura evaneſcat? In Dendritis verò Hetruriæ ponenda neceſſariò eſt, uti in cunctis marmoribus, materia fluida ſive arenulæ, è quarum compactione conſtant, æquales, ſubtiles, & pulviſculorum ad inſtar tenues, ut ita propter æqualitatem materiæ fluidum tingens, poſtquam ſeſe per ſuperficiem ſtrati exteriorem effudit, ſeſe etiam inſinuando in poros fluidæ adhuc lapidis maſſæ, perpendiculari ſemper & recto tramite incedat, absque quòd à particularum craſſiorum objectu avia quærere cogatur, & hinc fit, ut conſolidata hæc maſſa, quò plus poliatur, eò nitidiores, & expreſſiores reddat arbuſcularum imagines, quod Phænomeno 8. indicare volui.

Pro Phænomeni 9. & ultimi ſolutione ſtatuendum facilè eſt, fuiſſe productas arbuſcularum in ſuperficie exteriori effi-

gies, vel ex fluido tingente, juſto craſſiori, adque ulteriorem inſinuationem inepto, vel conſtrictâ jam & nimium conſolidatâ lapidis ſubſtantia; dum enim fluidum tingens à poris lateralibus fuit expreſſum, ut ſuper externam effunderetur ſuperficiem, potuit eodem tempore ita à cauſa externa conſtrictus fuiſſe lapis, ut ulteriori Tincturæ reſorptioni factus fuerit ineptus, καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς Δενδρίτας.

Reliquos quòd attinet initiò recenſitos lapides, qui in ſuperficie ſua plantæ cognitæ, vel ignotæ effigiem exhibent, eorum geneſis vel ex præmiſsâ de Dendritis Diſſertatione concipi, aut ſaltem facilitari poteſt, vel ſub tam obſcuro latet tegmine, ut ad plenam detectionem nulla appareat ſpes, vel confugiendum tandem ad plantæ alicujus inter bina ſtrata nondum plenè conſolidata caſu creſcentis, aut per ruinam eò delatæ, compreſſionem, & factam impreſſionem. Et ſanè ab hujus opinionis amplexu vix detinere me poſſum, quoties aſpicio Scolopendritæ vel Filicitæ potiùs in Muſeo noſtro civico ita ad naturæ leges expreſſam effigiem, ut non adſit duntaxat foliorum è caule exeuntium ad ipſius caulis craſſitiem proportio, ſed in ipſo caule lignoſo corticis aſperioris & rimoſi manifeſtiſſima proſtent veſtigia, folia è caule alternatim exeuntia, imò, quod magis mirum, in ipſis etiam foliis nigrè coloratis nigriora, id eſt atra copioſiſſima conſpiciantur puncta, ſeminum in parte averſa foliorum in his epiphyllospermis conſpicuorũ clariſſima indicia.

Dendritas illos vel Rhoditas Oeningenſes aut Lithopolitanos, quod concernit, qui arbuſcularum, vel roſarum, ſtellarumve figuras mediæ planitiei impreſſas, nec à commiſſura lapidum, ut in aliis incipientes gerunt, illos facilè conceſſero pingi non à fluido ipſis lapidis poris expreſſo, ſed effluviis bituminoſis, vel oleoſo-Salinis, ab imo lithantracinarum fodinarum, vel ſulphureis mineralibus aliis aſcendentibus, lapidibus hiſce fiſſilibus impingentibus, ibi conſiſtentibus & in exiccatione ſuâ picturas dictas delineantibus.

De lapide frumentario Imperati vel ſalicita noſtro id porro monendum habeo, non eſſe, ut primo aſpectu videtur, folia ipſa vel ſalicis, vel oleæ, vel lauri arboribus delapſa, & una cum maſſa lapidea tunc molli adhuc petrefacta, ſed materiam quandam cal-

cariam

cariam ſpatia lapidis adhuc mollis, ſed ob ſiccitatem interve-nentem rimas in ſuperficie agentis replentem, ſicuti Alphabeti literas lapidibus à Natura impreſſas, aliasque figuras Geometricas explicat Krcher. Mund. ſubt. lit. 8. p. 23. & p. 24. experimento argillæ confirmat. Non etenim ſunt figuræ hæ foliorum in ſilicis duntaxat ſuperficie, ſed ad digitum unum vel duos in ipſam lapidis ſubſtantiam penetrant; & ſi ipſe hic ſilex calcinetur (variis namque calcinationis gradib9 ſalicitas hoſce qui alias ad calcem conficiendam fornacibus calcariis ingeruntur expoſui) ad medietatem e. g. apparebit materia hæc foliorum icones exprimens ochracea quaſi & mollior altera duriori, & magis rubicunda, quâ ſilices ipſi conſtant, & quorum interſtitia illa ſuffarcinat. Ipſa autem illa materia ſuffarcinans, ſi in exiccatione ſui, vel unam rimam agat, vel plures centro concentricas, prodibunt veſtigia, aut venarum per medium foliorum excurrentium, aut truncorum arboreorum horizontaliter reſectorum, aut circulorum linearumve Ellipticarum invicem concentricarum. De convolutionibus illis ſerpentiformibus Cornua Ammonis referentibus, quæ dici poſſent, ea in commodiorem reſervo occaſionem; ſicut & quæ ſpectant impreſſiones illas Cardui foliis ſimiles in cornuum Ammonis orbibus conſpicuas.

Phyllitas tandem quod ſpectat Toſaceos, ſeu folia illa quorum veſtigia in Toſis ſunt conſpicua, venis ſuis exactè diſtincta, non exiſtimaverim, eſſe hæc in ipſis Toſis ita progenita, vel à Spiritibus quibusdam ſubterraneis elaborata, ſicuti de Conchitarum in terris productione conjecturas exhibui in Append. Eph. Germ. Dec. III. Ann. IV. reperiundas, ſed firmiter mihi perſuadeo, ipſa folia ex arboribus delapſa, viſciditate materiæ adhuc mollis, liquidiuſculæ, Toſaceæ adhæſiſſe, ſuique figuram ei impreſſiſſe, quæ poſtea manſit. Atque ad hoc ſtatuendum cogit me tum ratio, tum experientia; & ſpeciatim excurſio nupera Botanica, in pagum Stallikonam (Stallikon) hunc ob finem inſtituta, ut venam Toſorum curioſiſſimorum foliis prægnantium induſtriâ Paſtoris ibi degentis laudabili detectam, exactius rimaret. Expatiabar itaque cum raræ eruditionis viro, & ob amicitiæ fidem diu atque conſtanter ſervatam junctiſſimo, & inveni

Toſis

Toſis albis copioſiſſimè & eligantiſſimè impreſſa folia, *Quercus*, Fagi, Alni, Salicis, Aceris &c. & quidem ita, ut ea ſemper folia Toſis inextiterint, quorum arbores ſuprà ſtantes, vel proximè fuerunt parentes, folia nempe Quercus ad radices *Quercuum*, & ſic de cœteris, manifeſtiſſimò petrificationis foliorum delapſorum, & viſco Toſaceo involutorum indicio: nec hoc ſolo obſervato dimiſſus abii, ſatisfecit inſuper curioſitati meæ, quod in mediis Toſis ipſa repererim folia, tanquam Archetypum ex typo, ſive veſtigia ipſi adhuc immanentia, cum pediculis, licet plerumque teneriora, & vel in totum, vel ex parte corroſa, in pulverem mox collapſura.

Satis nunc Fautor optime Hiſtoriarum eſt, ſatis ratiociniorum, Quod ſi hæc de Dendritis. & affinibus lapidibus cogitata ingenio Tuo ſubactiſſimo non præbeant cibum, aliquid ſaltem condimenti delicatiori exhibebunt. Quod ſi Theoremata hæcce, vel innixæ ſolutiones problematum Tuo vel aliorum judicio minus firmo ſtent Talo, ſcias optimum quemque à veritatis ſemita abſcedere, & nullum ubique poſſe felici ludere dextra, ſcias naturæ luſus tot ſubjectis variatos plures ne quidem cogitando aſſequi poſſe, ſufficere mihi, quod glaciem tam craſſam fregerim, viam ad novam hanc in lapicidinas herboriſationem paraverim, & quod vehementer opto, alios ad ſtudium hocce nobiliſſimum & curioſiſſimum proſequendum invitavero, quibus proin, & commercium, & amicitiam, & communicationem eorum, quæ vel vires meæ poſſunt vel Helvetia noſtra producit, eâ quâ valeo animi ingenuitate promitto.

Vale VIR ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ, ϗ Φιλῶν Διατέλει.

Exc. Tuæ

Tiguri ex Muſeo
die 5. Octobr. 1698.

addictiſſimum

Joh. Jacobum Scheuchzerum. M. D. Helvet.
Tigurin. Ac. N. C. dictum Acarnan.

HISTO-

HISTORIÆ LITERARIÆ

S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum CONTINUATIO VII.

AUTHORE

MICHAELE BERNHARDO VALENTINI

D. Med. Prof. Giſſeno, Collegii Cæſareo-Leopold. Adj. & Recup. in Italia Collega.

I.

GEORGII HIERONYMI VELSCHII, Diſſertatio *De* ÆGAGROPILIS

Auguſtæ Vindelicorum.
Typ. JOH. WELTE A. 1669.

VIR πολυμαθέςατος ab Amicis ſæpe rogatus, an Pilarum, quæ in ventriculis caprarum alpeſtrium reperiuntur in curatione uſus aliquis eſſe poſſit? rem diſſertationi commiſit, præcipuè cùm alii illas al.o ſupercilio contempſerint. Quùm verò neque Ant.quis neque Modernis vel nomen earum eſſet cognitum, ὀνοματοποιΐας lege easdem ÆGAGROPILAS ab αἰγάγροις, ſive Rupicapris & pilis appellavit, qua nomenclaturâ rem ſibi ſatis expresſiſſe videtur, quæ Germanicè Gemſenſtein/Gemſenkugeln ab effectu verò *Bezoar Germanicum* audiunt. Quemadmodum enim oſſicula quædam in aliis animalibus lapidum nomine veniunt, ut in lapidibus percarum; ita hæ quoque pilæ lapides dicuntur, ſimiles ferè illis globis, qui in ventriculis boum reperiuntur & à Cardano ovum bovis, lingua Patriâ Ochſenmutter vocantur.

*L Ob-

Oblongâ enim, rarius rotunda figurâ naſcuntur, pondere etiam cùm maximi ſint, leviſſimô, ex triplici ſubſtantiâ conſtantes quarum interior gemina aut fibras radicum, aut filamenta plantarum ſucco quodam concretô compacta refert, exterior autem cutem æmulatur coriaceam, interdum lignoſum corticem, rariſſimè cruſtam lapideam, coloris ut plurimùm aut cinerei aut nigri, magnitudinis variæ, manum tamen in pugnum contractam vix unquam excedentis, ut ex Iconibus adjectis demonſtrat; eaque de causâ à Schrœdero diſſentit, qui ægagropilas vix ad nucis juglandis magnitudinem adſcendere dicit. *Differunt* à lapidibus bezoar, quod hi in variis partibus, illi verò tantum in primô aut ſecundô ventriculô generetur, eaque occaſione in quadruplicem Ruminantium ventriculum inquirit & in figurâ æneâ ob oculos ponit. Relicta formâ, quam homines nec mente ſatis aſſequi nec nomine exprimere poſſe ſtatuit, *in Cauſam efficientem* inquirit & p. n. generari ſupponit, quia non in omnibus reperiatur: Non â ſolô calore vel frigore, ſed ut lapides â principiô ſalino & Spiritu vel facultate λιθοποιητικῇ, quam plantæ cum nutrimento attrahant & animalia cum potu aſſumant, quæ nî excretricis robore ejiciatur, morbos parere putatur. Materiam dicit Doronicum Gemſenwurtzel/ Schwindelwurtzel / Mutterwurtzel/ quod contra alios alexipharmacum potius, quam venenoſum eſſe ratione & experientiâ probat. Poſito tamen illud aliquid veneni alere, ea propter tamen Ægagropilæ non ſtatim venenoſæ erunt, cum & coturnices helleborô veſcantur, quæ tamen neutiquam venenoſæ ſunt, eòque minus, quòd & aliarum plantarum illic nominatarum fibræ intertexantur, ut præter Camerarium, Bauhinum &c. ipſa αὐτοψία & ocularis demonſtratio ab authore addita oſtendit, eaque occaſione in plantas quaſdam aromaticas montanas inquirit. Interim vis potiſſima ab ipsô animali deducenda, â fermento ſc. ſtomachico, cùm non ſolô calore vel facultate chylifica, ſed liquore ſtomachicô petrificiatur chylificatio. Proportio interim, quâ ſingulæ pilas ingrediantur, determinari non poteſt, quas fermentum aut nimiâ copiâ, aut acrimoniâ peccans generari poſſet. Cæterùm *Qualitates ægragropilarum* ſunt calido-ſiccæ, in fine 2. gradus, aperientes, rarefacientes, leniter tamen adſtringentes, diaphoreticæ, diureti-

cæ,

cæ, cephalicæ, ophthalmicæ, pneumaticæ, cardiacæ, ſtomachicæ, hepaticæ, Spleneticæ, meſentericæ, nephriticæ, hyſtericæ, arthriticæ &c. Adeoque *Uſus* intuitu conveniunt in morbis univerſalibus, febribus, cumprimis quartanis & hemitritæis, malignis peſtilentialibus, variolis, morbillis, petechialibus, Ungaricis, Sudore Anglicô, Catarrhalibus. Ex Particularibus: Hydrocephalo, Cephalalgia, Hemicraniâ, Vertigine, Memoriæ imbecillitate, Amentiâ, in primis Hypochondriacâ & Hyſtericâ, Maniâ, Hydrophobiâ, Lethargô, Tremore, Paralyſi, & ſimilibus: Pleuritide, maximè malignâ, Lipothymia, Syncope, omnibus ventriculi, lienis & hepatis affectibus, gonorrhœâ, ſterilitate, partu difficili & dolore â partu, arthritide, caſu ab altô, in quibus omnibus plura, quam ab ipſo lapide bezoardico commoda ab illis expectare licet. *Doſis* illarum ad gr. X. ad XII. aſcendit. Qui enim ad Drachmam procedunt, obruunt Naturam. Dantur autem in vehiculô appropriatô, ut per ſingula affectuum genera eundo, brevibus formulis oſtendit & *Coronidis* loco *Abuſus* ægagropilarum ad impenetrabilitatem armorum, præſervationem â fame, ſiti &c. ridet & abhorret.

II.

JOH. JACOBI WEPFERI
Med. D. Scaphuſ.
CICUTÆ AQUATICÆ

Hiſtoriæ & Noxæ, commentariis illuſtr.
Baſileæ Anno 1679.

QUa occaſione Senex poſt cineres Venerandus ad ſcriptionem hanc devenerit in *Præfatione* docet. Poſtquam ſcilicet cicutam omnium ferè ore fug dam tam atroces inferre convulſiones obſervarat, dubitare cœpit de ejus temperamentô, eoque magis, quod radices ejus vomitu rejectas non nocere viderit, unde ſibi perſuadere non potuit, ſuccum inde elicitum, in ſanguine demum operationem ſuam perficere, ſed in Ventriculo ſtatim ſpicula ſua ſeponere crebris in brutis experimen-

tis comperit. Deprehendit quoque venena operari citra Spirituum diſſipationem, ſanguinis coagulationem &c. Sed particulis acutis varièque formatis ventriculum ſcindendo, citra etiam alcali & acidi pugnam in ventriculo; Inde autem Spiritus ſimul turbari ſtatuit, quos per Præſidem ſyſtematis nervoſi, h.e. Animam ſenſitivam intelligit. Addit ſimul conſilium, quo Phiſophi venenorum operationem in brutis addiſcere poſſint. Abhinc depictâ prius cicuta Aquaticâ quoad radicem & herbas in fig. æneâ *Hiſtoriam* ejus & *noxas* per caſus tragicos & practicos deſcribit, è quibus omnes periêre in quibus cicuta intus fuit detenta: Qui verò vomitu vel ſpontaneô vel arte excitatô eandem rejecêre, ſalvati omnes.

IN COMMENTARIIS autem.

Cap. 1. Danubium deſcribit, circa quem abundat cicuta. *Cap.* 2. Species ejus Terreſtrem ſc & Aquaticam. *Cap.* 3. Qualitates enumerat, eamque non tam frigidam quam calidam eſſe ex effectu concludit. Caliditatem autem ejus à particulis igneis, ſalino-ſulphureis ſpirituoſis, acuminatis, linguam acrimoniâ vellicantibus naribusque gravibus deducit, quæ omnia convulſiones, cardialgiæ aliaque ſymptomata in ægris obvia teſtentur, ut in *Cap.* 4. plurimis hiſtoriis ex aliis tum Botanicorum, tum Practicorum libris petitis demonſtrat. Ad Dioſcoridis verò authoritatem *Cap.* 5. reſpondet, diſtinguendo inter ea, quæ per ſe & quæ per accidens refrigerant. Nec Socratis mortem placidam *Cap.* 6. obſtare dicit, cum 1. incertum ſit, an venenum ab Athenienſibus Socrati propinatum reverà tale fuerit, quod ex Platone ferè dubium reddit. 2. Si tamen fuit, non ex ſolâ cicutâ conſtitiſſe aliunde probatur, & licet etiam frigidiſſimum fuiſſet, citra tamen tumultum operari non potuiſſet. Licet autem calidam eſſe cenſeat cicutam non tamen ſolo calore enecare *Cap* 7. oſtendit, cum placentas piperatas & alia calida copioſè devorent, ſed facultas venenata ſimul in radicibus, & quidem harum non facultatate occulta, ſed particulis ſalino-ſulphureis variè figuratis ſcindentibus & Archæum irritantibus cum Recentioribus deducit. *Cap.* 8. autem modum agendi, quo ſymptomata in ægris particulæ hujusmodi produxerint, fuſius exponit, quatenus in ventriculo rodendo: In ſan-

ſanguine præcipitando agunt. Abhinc *Cap.* 9. Hiſtoriam infanticidæ Anatomiæ ſubjectæ per digreſſionem inſerit & quæ in viſceribus obſervavit, hiſce per *Scholia* ſubjuncta explicat *Cap.* 10. Cur in illis qui curati ſunt, nulla ſymptomata funeſta reliquerit cicuta? inquirit, variorum ætiologiam adjungit & tandem ad ſuam hypotheſin per varia venena brutis inſuſa applicat, additis hiſtoriis aquaticæ cicutæ datæ, cum Scholiis, ubi in canibus & lupis eadem, quæ in ægris annotaverat, ſymptomata vidit. Abhinc aliorum quoque VENENORUM operationes per ſimilia experimenta examinat. Sc. *Cap.* 11. Napelli *Cap.* 12. Cocculorum *Cap.* 13. Nucis vomicæ. *Cap.* 14. Hellebori albi. *Cap.* 15. Gialappæ. *Cap.* 16. Radicis Coronæ imperialis. *Cap.* 17. Solani vulgaris & furioſi. *Cap.* 18. Hyoſcyami. *Cap.* 19. Amygd. amar. *Cap.* 20. Antim. *Cap.* 21. Arſenici & auripigmenti. *Cap.* 22. Mercur. quæ omnia propriis æque, ac aliorum exemplis demonſtrat. *Capite* autem 23. addit *Cicutæ Utilitates*, quas tamen internè reformidat, contra alios: Externe autem quodammodò indulget, v. g. in Empl. de cicuta pro affectibus Lienis, quo ipſe caliditatem ejus magis ſtabilire ſategit, cum aperiendo & diſcutiendo agat. Tandem *Cap.* 24. *Curationem poſt cicutam aſſumptam* addit & in principio vomitoria, poſtmodum verò pinguia, lacticinia, cordialia & alexipharmaca ſuadet.

III.

JACOBI AUGUSTINI HÜNERWOLFFII.

Med. Lic. & Pract.

ANATOMIA PŒONIÆ

Arnſtet. Typ. Henrici Meureri
1680.

Author ſpecificam Pœoniæ virtutem eò feliciùs expreſſurus in *Procœmio* mirabiles nonnullarum plantarum effectus enumerat, Sambuci v. g. in ſalice contra epilepſiam, nigellaſtri ra-

 dicis

dicis contra hæmorrhagiam &c. à quibus ad Pœoniæ tractationem deſcendit, in cujus *Cap.* 1. *Nominalia* expedit. *Capite* verò 2. Definitionem Pœoniæ ejusque Diviſionem in Marem & Fœminam ſubjungit, quarum prior radice craſſiore & ſimpliciore: Poſterior fibroſâ magis gaudet, utut & caule, foliis, floribus & ſemine, diſtinguantur, de quibus Botanici. Utrumque genus varias ſpecies floribus vel ſimplicibus vel plenis diſtinctas admittit, de quibus fusè Author. *Cap.* 3. in veram Pœoniam marem inquirit, quam cum Dioſcoride omniumque, qui de Pœoniâ ſcripſerunt, teſtimoniis una radice conſtare dicit, quam in horto Vinarienſi reperit Wedelius; unde neque fraxinellam cum Trago, neque dictamnum album pro eadem habere poterimus, cum diverſiſſimæ utrobique radices ſint. *Locus Natalis Cap.* 4. in montibus altiſſimis & in ſpecie Alpinis & Narbonenſibus creſcit, è quibus nunc in hortis alitur, quos fœmina imprimis exornat, unde radices & flores in umbrâ ſiccati, ut & ſemen loco ſicco aſſervanda ſunt. *Cap.* 5. *Temperamentum Pœoniæ & fundamenta Chymica* tradit. Illic calidum & ſiccum eſſe colligit ex colore rubro, non obſtante dulcedine, quam amarities diſtemperat: Hoc adſtrictio ejus docet; quæ omnia enchiriſis Chymica confirmat, qua ex lib. 1. Radicum ℥vj. aquæ ſpirituoſæ & olei ʒiij. obtinuit, relictô capite mortuo, Sal fixum continente, & exinde vires ejus tam generales, quam ſpeciales dependent, quarum priores, aperitivas ſc. attenuativas, leniter tamen adſtringentes *Cap.* 6. à diverſitate particularum deducit, addita vi anodyna, emmenagoga, anthelmintica, lithonthriptica &c. In 7. verò *Cap. vires ejus in ſpecie contra varios effectus internos* explicat, in febribus ſcilicet tam intermittentibus, quam malignis ad præcavendas convulſiones in Epilepſiâ, in quâ acetoſam ſanguinis acrimoniam corrigendo nervorumque criſpaturas ſolvendo ſive ſola, ſive c. Sal. vol. in uſum traducta mira præſtat, imprimis in Epilepſia puerorum in in qua rad. & grana pœoniæ cum abſorbentibus & opiatis aliquot diebus ante novi- & plenilunium cum fructu dedit. Non minus in cephalalgia, vertigine, incubo, lethargô, apoplexiâ, melancholiâ, maniâ, catarrhis & tuſſi puerorum convulſiva (contra quam egregium pulverem ex eô probat Mynſichtus conducit, quam poſtremam præmiſſo vomitu radice pœoniæ

cum

cum elæoſaccharô aniſi in puellâ unius anni feliciter curavit. & in aſthmate, palpitatione & lipothymis, torminibus ventris, dyſenteriâ, paſſione iliaca & hypochondriacâ conducit. Quod verò lumbricos à Ruſtico puerô eſſentiâ rad. pœoniæ & Sal. CC. vol. c. Spir. Vitriol. fixatô paucisque gr. gummi guttæ expulſerit, additamentis fortè adſcribendum. Arthritidi verò & calculo eandem mederi, ſpaſmum demulcendo, Authori facilè crediderim, præcipuè cùm egregium hic experimentum referat; quâ ratione & ſuffocationi hyſtericæ, partui difficili & doloribus à partu ſuccurrit. Quodſi verò *in amuleto virtutem antepilepticam* quoque exſerat, id *Cap.* 8. particulis aëreis ſulphureis exhalantibus & ſeri acrimoniam corrigentibus adſcribit, utut nunquam, ut ingenuè fatetur, idem tentârit. *Cap.* 9. porrò *Uſum pœoniæ externum* in affectibus variis internis & externis, in formâ unguenti empl. balnei, pediluvii; *Compoſitiones verò in formâ liquidâ,* aquas, Spiritus, clareta &c. *Cap.* 10. Morſulos verò, rotulas, trochiſcos aliasque *in forma ſolida præparationes Cap.* 11. ſicut *mediæ conſiſtentiæ* pharmaca, *Cap.* 12. proponit, addendo *Cap.* 13. *Doſin* & vehicula, *Cap.* 14. verò invectivas aliorum in vires pœoniæ declinat, cùm ſi unquam ſpem fefellerit, utplurimum vel carioſa, vel tempore inconvenienti collecta in uſum trahatur.

IV.

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI.

NOBILIS SALVIA

juxta methodum & leges Acad. Nat. Cur.

Aug. Vindel. impenſis Laur. Kronigeri; Typ. Brechenmacheri.

SAlvia bufonum nidus eſſe dicitur, hinc utrumque diſcutit Author in ſcriptis publicis, de priori IV. Sectionibus agens, è quibus 1. PHILOLOGICA-PHYSIOLOGICA proponit, ita

ita ut *Cap.1. Nominalia* & *2. Deſcriptionem realem* abſolvat, quàm à textura & proprietatibus à Dioſcoride deſcriptis petit, quarum priorem undique cavernoſam obſervavit Author microſcopiorum ope. Abhinc 3. differentias ejus & ſpecies ſiſtit, ſalviam ſc. vulgarem latifoliam & minorem anguſtifoliam, præter quas & cretica, ſylveſtris & picta Botanicis innotuerant. In conſideratione verò *loci natalis* & *culturæ* ejus 4. per digreſſionem ſummoperè miratur DEI T. O. M. providentiam, quia iis in locis, ubi endemii quidam morbi graſſantur, medicamenta pariter appropriata reperiantur. Hinc ubi ſalvia pullulat, capitis uterique affectus (quibus dicata eſt) frequentiores eſſe tradit. Adeoque *vires* & *qualitates* ejus 5. ſunt digeſtivæ, diaphoreticæ, diureticæ, alexipharmacæ, imprimis autem cephalicæ & hyſtericæ, quas ex odore æquè ac ſapore colligit. Ut autem faciliùs ſumatur, variis formulis eſt præſcribenda, adeoque varia inde *præparata Cap.6.* recenſet, pulveres ſc. ſuffimigia, decocta, infuſa &c. Quibus expeditis SECT. II. PARTE I. MEDICO-CHYMICA Uſum ſalviæ ſpecialem in AFFECTIBUS SUPREMI VENTRIS, imprimis cerebri organorumque ſenſoriorum per plura *membra* horumque *capita* deducit variasque ex clinicis formulas, quas ſalvia ingreditur, colligit & recenſet, ita quidem ut ſalvia ſum̃opere in affectibus paralyticis & ſpasmodicis, tum & oris, dentium & gingivæ laudetur, ad quas poſteriores collutiones, it. Styli dentifricii Cnöfelian. in Tom. VII. Eph. Cur. p.78. deſcripti commendantur SECT. II. PARS II. USUM SALVIÆ IN AFFECTIBUS MEDII VENTRIS faucium, pectoris &c. per ſua *membra* atque *capita* deducit & ſpeciatim aſthmaticis optima dicitur SECTIONE II. PART. III. USUM SALVIÆ IN AFFECTIBUS INFIMI VENTRIS methodo priori deducit per familiarium obſervationum collectionem; ubi præcipuè laudatur in iis, quibus ſcorbutus conjunctus, ut colica & paralyſis ſcorbutica. It. in menſibus ſuppreſſis & ſymptomatibus poſt partum &c. SECT. III. PART. I. PHARMACEUTICO - THERAPEUTICA USUM SALVIÆ SPECIALEM IN FEBRIBUS *Cap.1.* Intermittentibus 2. continuis & malignis 3. in Peſte tradit. PARTE II. S. III. USUM SPECIALEM IN AFFECTIBUS EXTERNIS deducit. Ultima tandem SECT. IV. OECONOMICA

MICA USUM CULINAREM ejusque noxam addit ſalviæq; lotionem ſuadet, cum ob umbram & aſylum Bufones ſub illa ſæpe ſtabulentur, ut ex *faſciculo Obſerv. Dec.II. Anno V. Miſcell.* annexa oſtendit.

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI, LYCOGRAPHIA

De Natura & Uſu LUPI libellus ad Norm. Acad. Leopold. N. C.

Francofurti ad Mœn: Imp. Joh. Dav. Zunner. Anno 1694.

TOtidem hic, quot prior, Sectionibus diſtinguitur libellus IV. ſcilicet, è quibus I. PHILOLOGICO-PHYSICA *primum nomina lupi* expedit, variasque inde deſumptas hominum, morborum plantarumque denominationes. *Secundo Lupum deſcribit*, quod ſit quadrupes ululans, viſu & odore excellens, forte, aſtutum, crudele, rapax & vorax, nihilominus tamen ſalutare: Additâ fuſiori analyſi, differentiis autem à magnitudine, colore, forma & ſævitiâ petitis. *Tertio ſpecialiorem* ejus *Anatomen* inſtituit, in qua caput verminoſum ex traditione Venatorum obſervat. Quod verô cerebrum, una cum Luna creſcere & decreſcere dicatur, Alberti fabulam redolet. Imprimis autem organon auditus conſiderari meretur, quod Gahrliepio Dec.2. Ephem. A.9. Obſ.71. teſte accuratiſſimum obtinet, unde ſonum facile percipit eâque de causâ tympani ſonitus ipſi gravis eſt eoque pellitur. Ventriculus ampliſſimus rapacitatem docet, cui Vermes in ventriculo pondus addunt à Wepffero, Heyſio & aliis obſervati. Reperiuntur ubiq; terrarum, Angliâ exceptâ, non quidem aliquô Naturæ dono, ſed quia olim tributi loco à ſubditis pendendi erant; vel quod per ſententiam judicis, ii, qui pœnam capitis promeruerant, certam luporum quantitatem occidere tenebantur. Cicurari tamen poſſe curioſum eſt. Rabiē autem illorum à vermibus in cerebro deducit. Abhinc in SECT. II. HISTORICA 1. USUM LUPI RELIGIOSUM. 2. POLITICO

TICO TOGATUM in fundandis familiis, denominandis *Regionibus, urbibus, pagis, monaſteriis, caſtris, fluviis*, adde & *fonti* prope Heidelbergam: it. in inſignibus & Heraldicis, nummis, prognoſticis & prodigiis. 3. USUM LUPI POLITICO-SAGATUM in caſtris, prœliis & vexillis tradit, SECTIO porrò III. MEDICA eſt & *Uſum lupi ſpecialem, tam in quam externum* explicat, ita ut 1. USUM ejus in AFFECTIBUS SUPREMI VENTRIS enumeret, ubi cor ad *Epilepſiam & melancholiam*, hepar ad *cephalalgiam*, pinguedo ad *agrypniam*, ſanguis ad *vertiginem*, pellis ad *incubum*, cerebrum ad *paralyſin* & *memoriam deperditam*, oculus, fel & ſtercus ad *ſuffuſionem* & *lippitudinem*, hepar uſtum ad *hæmorrhagiam narium* curanda conferre dicuntur. II. USUS in AFFECTIBUS MEDIÆ REGIONIS in eô conſiſtunt, quòd *Anginæ* lupi guttur & ſtercus, *pleuritidi* dens, *tuſſi* pulmo, *ſanguini congrumato* eſſentia ſanguinis lupi mederi dicantur. III. in USIBUS INFIMUM VENTREM concernentibus *Anorexiam* ſtomachus lupi, *cardialgiam* pellis fotus, *Colicam* inteſtina ſolari dicuntur; quemadmodum in *Diarrhœa* oſſa uſta, *hæmorrhagiâ* caro lupi, in *hydrope, fluxu hepatico & obſtructionibus* hepar præp. in *Ictero* fel, in *affectibus renum* jus carnis & veſica combuſta, in *affectibus genitalibus* virga, in *obſtructione menſium* lien lupæ, *ſuffocatione hyſterica & abortu* cingulum ex corio lupi juvare putantur. Nec IV. in FEBRIBUS omni caret utilitate, cum in malignis cor laudatur, imò V. in AFFECTIBUS EXTIMIS, pinguedo, fel, medulla egregiè convenire dicuntur. Tandem SECT. IV. OECONOMICA *Cap. 1. Uſum lupi in Veſtimentis 2. Magicas ſuperſtitiones*, de tympano è pelle lupina alia ferè muta reddente &c. addit, quæ Geſnero jamdum in fabulis habentur. Quod verò pellis ovina citius conſumatur, ſi prope lupinam deponitur, ab hujus ſiccitate deducit illius humiditatem abſumente, id quod in depilatione & à pediculis præſervando quoque obtinere putat. Stercus verò lupi in ſtabulo vel alibi defoſſum oves inquietas reddere cum aliis fabulis ibi recenſitis ridet. Lycanthropiam verò præſtigiis Dæmonum relinquit.

I. N. J.

PARALLELISMUS
Ad
OBSERVATIONES
In Ann. III Dec. I. Ephem. Curioſ. contentas,
Opera
ROSINI LENTILII ORIBASII
Collectus.

B. C. D.

Ad OBSERV. I. Ann. III. Dec. I.

ILluſtriſſimi Comitis *Oettingenſis* cubicularius ante aliquot annos ingentem linguæ & faucium tumorem cum dolore ſummo paſſus. Varia Medici juxta & Chirurgi, ſed fruſtra omnia, denique cibi potusque commeatu intercluſo nil niſi extrema. Sed proſiliens deſubito ſubter *linguam calculus* omnia brevi ſymptomata mitigavit, quem plures poſtea, ſed minores, inſecuti, conſolidato denique vulnere & homine ſibi reſtituto. Salivæ auſteriuſculæ hos fuiſſe fœtus exiſtimo, qui alibi obſervationem communicavi de Amico quodam meo, cujus ejaculata inter loquendum ſuper orbem ſtanneum ſaliva momentanea petrificatione calcis albiſſimæ fruſtillum eſt efformare ſolita. Cum lympha, ſalivæ matre, haud raro particulæ terreſtres abripiuntur, ab hujus acidulo ſpiritu ſolutæ, quæ ad extimas corporis partes, linguæ puta pupillas delatæ, exhalante acidulo ſpiritu, denuo coagulantur, glareali ſalivæ viſcoſitate multum contribuente: ſicut ad *Principum fontem* Welnizianum haut procul *Jena*, feſtucæ, baculi, arborum decidua folia, lapidoſa cruſta inveſtiuntur, abraſis ab aqua nitroſa in montis viſceribus particulis petroſis, quo Spiritu nitroſo poſtmodum in aëris illa libertate exhalante atomi lapideæ denuo concretæ

in feſtucis aut alia re quavis idonea conquieſcunt, quo de *Jebringius* eleganter in *Diſp. de calculo A.1663. Jenæ* habita. Cæterum præter hiſtorias plures *lapidum ſublingualium* in obſervatione productas habetur inſuper parallela *Seidelii* ad *Lyſeri cultr. anatom.* adnexa *p. m.* 294. *Calculi* nempe *ſublingualis* coloris ſubflavi in muliere *Gryphisvvaldenſi* magnitudine articuli digiti reperti. *It. Obſ.* 116. *Ann. X. Dec. II. Ephem. noſtr. Tulp. Obſ. Med. lib. 2. cap.* 75. *p. m.* 141. *Tim. à Güldenkl. lib. 1. Caſ. Medicin.* 35. *p.* 68. quas majore numero collegit Illuſtriſſ. noſter *Argus Diſp. de lapicid. capit.* §. 54. 55. 56.

Ad OBSERV. II.

VIde etiam *Ann. I Dec. I Ephem. noſtr. Obſ. II.* & eleganter ibidem de *Atretis* differentem Scholiaſten eruditiſſimum *Phosphor. l.* piæ mem. *It. An II. Dec. I. Eph. Cur. Obſ.* 22 & *Schol. It.* quæ de imperforatis per vulvam alvi excrementa reddentibus & diu vitam protrahentibus leguntur in *Ann. X. Dec II. Eph. noſtr. Obſ.* 75. quales non ſimpliciter, ſed ſecundum quid *Atretas* dici rectè vult *Hartmannus* noſter, addito quoque tali exemplo dicti *Anni Obſ.* 159. Hic affectus non ſemper congenitus eſt, ſed nonnunquam à male curatis ani ulceribus demum producitur, coaleſcentibus improvide longanonis parietibus, cui malo quo pacto medendum vid. ap. Excell. noſtrum *Aretæum* in den Chirurgiſchen Handwirckungen *num.* 29. *p.* 112.

Ad OBSERV. IV.

QUod Eryſipelas ζωςὴρ à *Plin. lib.* 26. deſcribatur, *quod medium Hominem ambiat, inde Zoſter appelletur, & enecet, ſi cinxerit,* & *Excell. Bruno in Lex. Med. ex* Scribon. *num.* 63. & *Rhod. not. ad h. l. Zonam* vocet Herpetis ſpeciem, quæ occupat regionem illam mediam, ad quam homo cingi ſolet, unde & ab aliis *Circinus* dicatur, uſitatius ζωςὴρ, it *Zinzilla* vel *Zinzillis*; exinde ſtatim apparet, Eryſipelas à *Langio* deſcriptum *Epiſt.* 32. *lib.* 1. *p. m.* 135. non eſſe genuinum ζωςῆρα, eo quod hominem à lumbis, umbilico, & teſticulorum oſſeo usque ad genua cingat, ſepiat & circumdet, quale quid de cingulo, utcumque latiſſimo,

nemo

nemo facile prædicarit, quorſum etiam referendus *Sennertus* â-lioqui adcuratiſſimus, qui ζωστῆρα â cruribus usque ad lumbos, ſeu locum cincturæ ſerpere ait. Multo minus in hunc cenſum venient affectus in Obſervatione Excell. *Schulzii* deſcripti, quum alter tumor à ſcapulis inceperit, à ſuperiore pectoris parte ad collum ſerpſerit, poſtea faciem totam & caput occuparit, alter totum pectus & dorſum ad collum usque cinxerit, hasque partes pauliatim deſerendo ad faciem & caput adſcenderit, quod herpetis eſt potius, quam eryſipelatis. Nec propterea mihi dicendum exiſtimetur eryſipelas ζωστὴρ, quod hinc inde in toto corpore hanc vel illam partem cingat, ſed, quod eam determinate partē ſpatio haut adeo lato ſupra lumbos cingat, quæ ab Anatomicis *Zona* dici ſolet. vid. *Brun. loc. cit.* Nam alioqui obſcurum eſt, cur non æquè ζωστὴρ dici mereatur eryſipelas crus totum occupans; cur non æquè ſcabies univerſalis aut lepra, quod corpus totum cingant? Hinc iſti *Zonæ* eryſipelaceæ limites omninò figendi. Veri eryſipelatis ζωστῆρος exemplum, me quidem opinante, propinat Exc. *Brechtfeldius* in *Act. Med. Hafn. Vol.* 1. *Obſ.* 108. qui in vidua *Hildeſienſi* deprehendit *tumorem eryſipelatoſum inferiorem ventrem tam accurrate circumdediſſe, ut cingulum fuſcum palmam latum ad amuſſim referret.* Nos autem in iſta noſtra praxi non niſi unum obſervaſſe recordamur in matrona ultra quam ſexagenaria ſingulis ferè menſibus recurrens, ſcil. ſupra lumbos palmi latitudine cingūlum ſ. *Zonam* exacte metiens. Arbitramur autem, ſi quid conjiciendum, eam potiſſimum ob cauſam ζωστῆρα nonnunquam in his, qui ad eryſipelas inclinant, oriri, quod ob præcincturam, cumprimis arctiorem, capillaria vaſa ibidem compreſſa, ſanguini ſulphureo & bilioſo in venulas transmittendo non ſufficiant, unde inflammatio, & ζωστὴρ adeo decantatus, tametſi rarus, affectus.

(o)

Ad OBSERV. VII.

QUod in Obſervatione color nivis cœruleus tantum emphaticus prædicetur, à reflexione cœli cœrulei natus, & in obſcura tantum camera talis obſervatus, ego contra, nivem rutilam ſæpe numero me obſervaſſe memini revera talem. Nec impoſſibile cenſeo, poſſe dari nivem quoque realiter, non emphatice, cœruleam, tinctam fortaſſe à latentibus ſubter Terra nive cooperta mineralibus, quorum aporrhœas nivis colorem immutare poſſe, nullum ſane eſt dubium. Ab urina jumentorum nives rufeſcere hyemali tempore itinerantes creberrime comperiunt, quin & intra ſe nives ipſæ ſalia quædam recondita gerunt ope chimica in apricum collocanda, obſervante id quoque *B. Borrichio*, *& Iſraël Conradi Diſſert. de frigor. natur. & effect. cap. 12. p. m.* 181. ex nive depurata & filtrata poſt ſolutionem, tum per factam evaporationem, ſal cubicæ figuræ, pauca quantitate ſemet ſeparaſſe aſſeverat, quamvis, utrum id fuerit domeſticum, an adſcititium, nondum liqueat. Sic & *Gaſſendum* in *Phyſ. Epicur.* ſe ignis ope ex nive manifeſtum quoddam, acri ſapore linguam feriens ſal eduxiſſe *Bartholinus Tr. de nive*, teſtatur, & alii, quod nivalem aqnam ad ſtateram examinatam alia communi graviorem eſſe, experti eſſent, pondus iſtud nitroſi cujusdam ſalis admixtioni non inepte ferunt acceptum. Cui accedit, quod nix evaporata, fugato omni phlegmate, pulverem ſemper relinquat, qui ſalis acrimoniam præ ſe fert, & incenſus ſtridorem, nitri inſtar flammæ admoti, emittit, quod ſaponaria & abſterſiva vi gaudeat, quod præ aqua pluviali colores variet, & quos hæc cœruleos, illa ſubvirides reddat, &c. quæ, & alia plura, partim ex *Barra de Medico nivis, glaciei & frigoris uſu, in Diſp. de frigoris natura Præſ. Exc.* SCHRADERO *Helmſt.* 1684. *habita* SLEPPERUS adducit. Adeo non eſt plane ridendus ille nebulo, quem nivem, pone fornacem arefactam, loco ſalis vendidiſſe, ſcommate recenſent! Et ſi eſt omne frigus à ſale, quis nivi ſalem deneget? qualem ſi poſſidet, pro acceſſu Sulph. cujusdam ſubterranei exhalantis explicatum varios adſciſcere colores aptum naſcitur. Huc quoque facit hexagona nivis figura, de qua *Bartholin. lib. de nivis*

uſu

uſu & alibi. Et quamvis cum *Ettmüll. Schröd. dilucid. cap. 3. p. m.* 212. *a.* fateri neceſſe habeamus, multos Medicos nivi ſalem nitroſum denegare, & ex ea potius Sulph. parare poſſe, & etiam quoddam oleum, de quo videri poteſt Excell. *Borrichius ap. Bartholin. Cent.* 3 *Epiſt.* 97. & 99. ubi ſe ſal aliquot tertii generis, cubicæ formæ, cum ſulphure & oleo inde deſtillaſſe aſſerit, attamen, uti hac ratione ſal nivi non penitus derogatur, ita ubi eidem ſulphur & oleum aſſeritur, jam promtior eſt ratio, unde colores nivis aut cœrulei aut rutili queant derivari. Nivem alioquin oculorum aciem adeo præſtringere, ut eos quoque haut rarò vehementer lædat mirum eſt. De gallinaceo genere quotidianum, quod â nivis aſpectu, quodamtenus viſu ſpolientur, quod vocant Schnee blind werden. Hominibus idem propemodnm etiam in noſtris regionibus contingit. Sic oculi quoque mei nivis eximium ſplendorem ferre nequeunt, ſic ut peregre tempore hyemali profectus oculos præmunire neceſſe habeam. In orientalibus quibusd. locis id magis uſu venire ſolet. Namque in montoſis Regni *Tibet*, ad ſcaturiginem *Gangis* fluvii, quæ perpetua ferè nive operiuntur, incolis oculi ſunt certis perſpicillis muniendi, quod nî faciunt, ingenti prius ophthalmia, mox cœcitate multantur, id recenſente *B. Franciſci* im Chineſ. und Oſt-Ind. Luſt-Garten *p. m.* 930. quæ perſpicilla non ſunt è vitro, ſed retis tenuiſſimi genere, contexta: Sic & in *Armenia* ob fortiſſimam nivis reflexionem hyberno tempore itinera perquam fieri moleſta, & indigenos tenui panno holoſerico, ſupparo nigro haut abſimili, atque in hunc ſolum uſum efficto, alias autem vittas prominentibus longiuſculis caprarum pilis conſartas uſurpare *Tavernierius* Auctor eſt *Itin. Perſ. lib.* 1. *p.* 10. Quod autem præterea Illuſtr. *Verulamius Silv. Silv. Cent.* 6. *§.* 569. Antiquis obſervatum dicit, è nive valide compacta & putrefacta pullulare herbas, eosque omnes deprehendi amaras, quarum præcipua *Flomus* appelletur, certumque aſſerat, in nive plerumque vermes reperiri lumbricis haut abſimiles, unde non ſit improbabile plantas ex ea oriri poſſe; denique *Cent.* 7. *§.* 696. nivem veteraſcentem exſerere vermem colore rubido, motu tardo, paululum natalibus ſuperſtitem, antiquitatis teſtimonio credat, indeque latentem nivis calorem, ſine quo vix conſtaret vivificatio, arguat: hæc

inquam

inquam, ſi unquam vera comperta, nil aliud probant, quam nivem aptam extitiſſe quibusdam ſeminibus matricem: Nam hæc in & à nive generari, generationis æquivocæ nihili commentum refutat. Nivem in ſubterraneis quoque antris concreſcere, idque fieri, dum vapor in cryptas frigidus nitroſis ſpiritibus refertas inciderit, ſpumoſa vaporis ſubſtantia, antequam in aquam vertitur, ambientis aëris frigore in niveos floccos contracta, Auctori *Kirchero*, qui volet credere poteſt. *Mund. ſubterran. lib. 4. ſect. 2. cap. 10. p. m. 220.*

Ad OBSERV. IX.

QUoties ego de Mercurio dulci, amiciſſimo mihi & penitus familiari remedio, cogito, toties horrore profundor totus; perfundar autem, quoad ſpiritus hos reget artus. Laudatiſſimum enim in ſe remedium, ſine quo propemodum eſſe Medicus nollem, ante tempus haut adeo longum, tantas mihi cum collegis tragœdias excitavit, quantas vel mente concoincipere quis haut facile poſſit, ſic ut hunc *Draconem mitigatum* omnino ſimus imitiſſimum experti. Namque minus legitime parati & corroſivi, aut non ſatis ſublimati, aut fortaſſe vetuſtioris, & quod indolem caſcam contraxiſſet, grana decem ægroto cuidam, à cujus incolumitate multorum millium ſalus cum æterna tum corporalis pendebat, quemque DEUS in ſeros annos, non ſine maſcula prole, quam clementiſſime ſervet, cum theriaca in pilulas redacta propinaveramus. At, eheu! vix aſſumpſerat, qui faucium ardor, qui cardiogmus, qui tremores, qui pallores, quæ convulſionum, quæ mortis egelidæ præludia? In anguſtias ineffabiles redacti, tum ab Officinis pharmaceuticis trium ad minimum horarum diſtantia remoti, quid faceremus? In promptu fuit amararum amygdalarum oleum, id vero præbio haut novercali propinabamus, inde vomitus inſtantanei cum aliquo levamine. Perreximus lac pingue à foco calens, quin & jura butyro liquato delibuta præbere, dum aliunde antidota ferrentur; denique nocentiſſimum virus, adſtite DEO expugnavimus, cui propterea immortales gratiæ debentur. DEUS procul dubio magno noſtro Patienti ſuggeſſerat, ut ipſe à pulvere abhorrens, medicamen-

rum cum theriaca in pilulas uti redigeremus, mandaret, unde tracta toxici ferocia, quod ni factum fuiſſet, ipſum certiſſimus interitus, nos autem pœna fortè capitali haut multo minor manſiſſet. Reſiduum enim iſtius Mercurii virulenti, quum ego lingua hac mea deguſtaſſem, reperi maximè corroſivum & cuprei quaſi ſaporis æmulum; quin & argenteum cochlear, ex quo non ſine genuum flexu venerand9 patiens pilulas cum nigrorum ceraſorum quam amabat, aqua, hauſerat, triſti nigredine tenebrabatur, imò dictæ ceraſorum aquæ guttula una cochlearis manubrio nigredinis maculam affricabat, quod A. 1669. etiam *Tubingæ* viſum. Patet inde, quam ſit momentoſa medicamentorum cum omnium, tum præcipue Mercurialium elaboratio? quam pendeat ab incurioſi vel ſeduli pharmacopœi manu & labore Medici, etiam præſtantiſſimi fama, non minus quam vita? & quanto præſtantius, utilius & Reip. fructuoſius foret, ſi Medico etiam hiſce in oris liceret medicamenta ad minimum generoſiora ſua manu parare, de qua felicitate *Saxoniæ* gratulamur. Nec enim, quod heic obiter, antipathia quadam adverſus Mercurium Noſter ferebatur, quale quid de ſe commemorat Exc. Dn. *Paterſon Hain*, qui, dum eum tractavit, ſtatim rubedinem & pruritum in manibus, totiusque faciei tumorem expertus eſt. *vid. Ann. 2. Dec. 1. Ephem. noſtr. Obſ. 118.* Siquidem idem biduo ante ejusdem ex alia quadam officina petiti grana ſedecim extracto panchymagogo & dacrydio juncta ſine ullius moleſtiæ nota deglutiverat. Nec etiam in doſi exceſſeramus, quod balneator fecit, exhibendo cuidam ejus una vice ſemunciam cum conſectaria morte, ut videre eſt in *Ann. X. Dec. II. Ephem. noſtr. Obſ.* 14. Ut proinde, qualis eſſe debet, nempe ſalutaris, ſit hujus medicamenti effectus, uti maxima cura, maximoque circumſpectu paretur, eſt omnino neceſſe, nec pharmacopœo cuivis heic fides habenda. Et planè attendi debet Exc. *Wedelii* cautela *Pharmac. acroam. lib. 2. Sect. 1. Cap. 5.* inquientis: *Quando Mercurius talis inter purgantia (adde & alia) memoratur, probè curandum eſt, ut nomini ſuo ſit conveniens, id eſt, acrimonia corroſiva omni exutus, unde genuinus præparandi modus, niſi obſervetur, necare poteſt hominem, vel triſtiſſima excitare ſymptomata.* Circa hujus itaque præparationem multum Auctores variant, non tantum

 in

in proportione utriusque vivi nempe & coagulati obſervanda verum & in ipſo ſublimationis actu, quin & hujus iteratione, quæ ſingula hic referre chartæ anguſtia non permittit.

Ad OBSERV. X.

SImiles Obſervationes recenſet Excell. noſter *Aretæus* im Teutſchen Anatomiſchen *Collegio*, *Lect.* 3. *p.m.* 55. ex BODINO, HEERIO & propria experientia.

Ad OBSERV. XII.

VIdimus ante ſemeſtre monſtrum in oppido *Palatino-Neoburgico* femininum, optime conformatum, niſi, quod brachiorum nec adeſſet vola neque veſtigium: pedis autem dextri ex hypogaſtrio parva quædam inſtar digiti minimi appendicula, ſiniſtri itidem nil quidquam; quum id viderem, optima tunc utebatur valetudine.

Ad OBSERV. XV.

SEmen lycopodii ſolitarium, ſeu *anthera muſci terreſtris clavati* inflammabilis, heic *Nordlingæ* in Officinis noſtris adſervatur, ſub titulo *pulviſculi operatoris Ahlenſis*; ſiquidem celebris iſtius loci operator, *Gentner* appellatus, primus fuit, qui in hac urbe dictum pluviſculum ad Iſchuriam infantum commendare cœpit: cujus uſum quotidie felicem hic, etiam vulgi elogio, comperimus. Cum aqua præcipue petroſelini præbetur.

Ad OBSERV. XVIII.

VIde, quæ ſum in eam rem commentatus in *paralleliſm. ad An. II. Dec. I. Ephem. Cur. Obſ.* 257. *p.* 133. cui præterea nil addimus, quam nos hactenus per plura fonticulorum, qua naturalium, qua artificialium, ſummo cum ægrotantium emolumento ſcaturientium exempla, in iſta, quam ibi tulimus, ſententia mirifice firmatos fuiſſe. *vid. etiam hujus anni Obſ.* 65.

Ad OBSERV. XXII.

MUlierum hæmorrhoidibus laborantium die quarto decimo poſt fluxum menſtruum ex *Sennert. prax. lib.3. part. 2. ſect.2. cap.13. p.m.418.* menſibus ſuppreſſis ap. *Schenk. Obſ. lib. 3. p. m. 391.* & in gravidis menſium loco fluentes, *id. ibid. p. 392.* it. *Hollerium, Foreſtum* &c. proſtant. Conſentit *Ariſtot. 3. hiſt. anim. cap 19.* quin & *Galen. 5. Aph. 33.* it. *Fernel. Conſil. 39. Solenand. ſ.4. conſ.20.* In Principiſſa Naſſovica juniore fluxum menſtruum novilunio fluentem, una cum fluxu hæmorrhoidum plenilunio fluente, *Exc. Dolæus,* Patronus noſter, *Encyclop. Med. l.3. c.10. p.m. 519.* vidit. Nos quoq; Baronem illuſtriſſimam novimus, cui licet menſes rite haberent, interdum hæmorrhoides tanta copia fluebant, ut eas medicamentis ſiſtere neceſſum fuerit. Addimus Baronem puerum, cujus à nobis injecta mentio *Ann. IX. Dec. II. Ephem. Cur. Obſ.* 124. adhuc ſtatis temporibus hæmorrhoides pati.

Ad OBSERV. XXIII.

EXcell. *D. Röderus,* Practicus *Hilperhuſanus* jam ante novendecim annos ad me *Jena* ſcripſit, *B.D.D. Faſchium* in cane quondam reperiſſe calculum veſicæ ℥iiß. pondere, figura caſei vulgaris ruſticani Thuringiaci, cujus utrinque mucro ſeu cacumen eſt obtuſum, Quarck-Käſe vocant, albicantiſſimum, qui in ventre ſuo alium elegantiſſime formatum minorem, ſed qui totius & integri calculi figuram exactiſſime referret, continuit. Sic aëtiten iſte calculus eſt mentitus. Calculos complures à lithotomo coëmtos ex diverſis putaminibus compoſitos, & ſucceſſive his involutos inſtar tunicarum cepæ, atque ad alicujus centrum parvum & mollem calculum figuræ ovalis, quaſi acinum tunicarum conglomeratarum, vidit & invenit *Boyle Util. philoſ. experim. p.m.* 133. Credibile eſt, majorem calculorum partem iſta methodo hinc inde coagmentari.

(o)

Ad OBSERV. XXXV.

EGregiè Exc. *Wedelius Phyſiol. reform. cap. 8. p. m. 185. Nemo* inquit, *vivere poteſt ſibi relictus, nec perſiſtere poteſt ſine alteratione, quam ipſe ſecum ſentit & perfert.* Fruſtra ſunt, qui vivere ſine cibo & potu, adeoque ſine ullis fomentis, hominem poſſe ſtatuunt. Nullus ſine cibo & potu, ſine fomentis vitæ, viſus eſt vixiſſe. Pauſa quædam, ponamus illam, non facit finem toni, ſed interpolationem quandam. Abſtinentia non niſi pauſa eſt, quam, ſi perpetuam facias, ne concipere quidem poſſis. Et paullo poſt: ſubſiſtere aliquandiu poteſt corpus ſine alimento ex penu illo & ſupellectili, quo pollet, ſed non ultra ſeptendium. Ἑπτήμερος ὁ αἰών. Vita hominis ſeptem diebus circumſcribitur, inquit *Cous, lib. de carn.* id eſt, non poteſt vivere homo ſibi relictus abſque alimento ultra ſeptem dies, quin ſeptimo ad ſummum moriatur. Terminus hic eſt adæquatus ipſis fomentis & apparatui præſenti, proportione inter agens & patiens habita, probante id ipſum experientia. Attamen ultra hunc terminum homines aliquando ſanos vixiſſe, hiſtoriarum fide credere tenemur. Memorabile eſt exemplum 276. hominum *S. Pauli* in itinere maritimo comitum, qui usque ad quartum decimum diem cibi nihil aſſumſerant, nullo tamen inde mortuo. *Act. 27. v. 33.* quorum ſane exemplorum adhuc plura hiſtoriæ nauticæ promunt. *Eraſmus Franciſci* im Oſt-Ind. Luſt-Garten *p. 105.* ſeq. de animalculo Braſiliano *Ai* (quod & *Pigrities* vocatur) refert, quod aliquibus credatur aëre victitare; *Marggravius* autem in eo repererit folia conglobata; alios credere, quod muſcas, formicas, vermiculos, &c. deglutiat interim tamen 40. diebus nil comediſſe obſervatum. Sic *Benjanorum* aliquos ſupra naturam 20. 30. imo 40. dies jejunare poſſe, ſine ullo cibo, tantum nonnihil aquæ amari cujusdam ligni raſura commixtæ bibentes, *Arnoldus* recenſet, *addit. ad Roger.* offner Thür zum verborgnen Heidenthum *Cap. 23.* Sed *Tavern. Itin. Ind. lib. 3. cap. 6.* In India, qui ob malum commiſſum pœnitentiam agere conſtituerint Ethnicos, admirandis modis in eodem eoque vario, ſitu indeſinenter, ad aliquot interdum annos ma-

nent,

nendo, ſe excruciare, & haut raro in 9. l. 16 diebus *ne micam comedere aut* guttam bibere tamen ſuperſtites, recenſet: quinimo *ibid. cap.* 20. narrat, hiſtoriam inediæ oppido prodigioſæ *Bramini* cujusdam Indici, quem ipſe *Tavernier* cum aliis quibusdam noctes diesque curioſe obſervavit, numquid forte clam ipſi ſuggereretur, ſed nil quidquam ad 30. dies alimenti quocunque modo hauſiſſe compererunt: *quamvis*, addit, *poſtea docuerit eventus, eum fuiſſe Diabolicum Spectrum*, quod coram teſtibus plus quam centum ſubito diſparuerit. Sic & malo Dæmoni ſunt ſui Martyres, & miſeris hiſce mancipiis efficta ſanctimonia illudere, eosque magis atque magis, callidis ſuis artibus, miraculorum ſpecie irretire ſolet. Placet autem recentius protractæ ſine vitæ diſpendio octiduanæ inediæ exemplum producere, quod nempe novellæ publicæ *Hamburgo* aſportarunt. Namque in incendio, quod menſe *Junio* 1684. in iſta urbe exarſit, poſt octiduum repertus eſt in fumario puer, qui ad prænominatum tempus abſque cibo & potu incolumis perſeverarat. Meretur hic legi, Fortunius Licetus, de his, qui diu vivunt ſine alimento.

Ad OBSERV. XXXIX.

SAmiator noſtrâs in Iſchuria commendare ſolet lutum, quod ſubter cotem colligitur, dum inſtrumenta ferrea exacuuntur. Aliqui deprædicant ejus effectum in Iſchuria plurium dierum ceu præſentiſſimi euporiſti. In Nobiliſſima Matrona ex hydrope tympanitide Iſchuriam paſſa, convenientibus me & Exc. Collega meo, factum periculum: Datum iſtius magmatis, quantum ʒ. cultri cuſpidibus inſediſſet, id eſt, drachmæ circiter duæ (nam grave pendit) ex liquore neſcio quo, ternis vicibus, interpoſita ſemper hora una. Viſa eſt urina liberius emanare, nec ea tamen quantitate, qua erat pro aqualiculi exhauſtu opus. Fuit enim brevi poſt tempore extincta, ſi quid conjiciendum, illud lutum fortaſſe non ſine ratione uſibus iſtis applicatur, continet enim in ſe moleculas martiales abſque dubio quam plurimis, atomis cotis abſcedentibus commixtas, quarum virtute queant obſtructiones expediri. Fortaſſis in iis, qui Dyſuria ex calculo, aut hujus materia proxima, pituita nempe glutinoſa, vias urinarias oppeſſulante, laborant, negotium

alacrius procedet, quam ex urinæ ſuppreſſione ex hydrope. Nec forte rem iſthanc occaſione data pœnituerit experiri, præſertim, quod teſte Nobiliſſima iſta Matrona medicamentum adeo ſaporis ingrati non ſit, atque nos quidem augurabamur. Quid ſi lutum iſtud exſiccatum in forma pulveris, aut per ſe, aut diureticis mixtum, utile his malis remedium exhiberet?

Cæterum totalis urinæ ſuppreſſio haut raro à magna veſicæ diſtenſione exoritur, quum potatores intempeſtivo pudore, vel etiam vana polypoſias gloriola moti, calicibus diutius aſſident, quo in caſu ipſe etiam immiſſus catheter in veſicam penetrare non poteſt, quo pacto mortem ſibi celeberrimus Aſtronomus *Tycho Brahe* in aula Cæſarea acceleravit. Quibus ex iſta cauſſa lotium ſubſiſtit, ſalvari poſſunt admiſſa ſectione iſta, qua lithotomi calculos excipere ſolent, quæ ante inſtituenda, quam à nimia diſtenſione circa veſicæ collum inflammatio excitatur; alias fruſtra ſuſciperetur talis operatio, propter metum ſupervenientis ſpaſmi cynici, juxta mentem *B. D. D. Scretæ.*

Ad OBSERV. XL.

PEr glirium pulverem Auctor ſine dubio pulverem intelligit, interimendis gliribus aliisq; murium generibus deſtinatum: & quod ſub ſpecie ſacchari Nobiliſſimæ Virgini impoſuerit, oportuit eum fuiſſe album, atque proinde vel ex arſenici proſapia, vel certe Mercurium ſublimatum. Utraque inſigni, qua pollent, corroſivitate, deleteria exiſtunt, quum in cadaveribus iſta morte pereuntis atque diſſectis, eroſiones ventriculi & propinquorum reperiantur. Quæcumque igitur ſunt apta nata, acutiſſima utriusque veneni ſpicula obtundere, eadem inviſcare, & ne ventriculi plicis infigi queant, impedire, ea medentur iſtiusmodi venenis, eorum virtutem caſtrando. Qualia ſunt omnia pinguia, mucilaginoſa, lac, butyrum, olea maxima copia hauſta: vide, quæ de arſenici, ſed cum butyro accepti virtute antipyreta notavimus, ad *Ann. III. Dec. II. Ephemerid. noſtr, Obſ. 46. It. Ann. IV. Dec. II. Obſ. 12. Schol. Chocolada* igitur ejusmodi aſpergine toxicata, non quod polleret vi alexipharmaca, ſed ob oleoſitatem, qua ſcatet, vel ob alkali

oleo-

oleoſum, ut ait *Blancard tr. de arthr. vag c. 4. §. 34.* haut dubie veneni aculeos maxima ſui parte hebetavit, cumprimis ſi fuit cum lacte vitellisq; data, non enim encheireſin, parati è *Chocoladæ* potus, Auctor expreſſit. Notum enim de fructu *Cacaô*, qui *Chocoladæ* baſin abſolvit, eum eſſe maxime oleoſum, quorſum & *Achiota*, amygdalarum minorum Americanarum ſpecies. Accedunt roborantia quædam, *cinamomum, caryophylli.* Idque magis præſtabit *Chocolada* noſtrâs, ad imitationem Americanæ, omiſſo ſumme acri pipere Mexicano conflata, cui præterea *pineas* nuces & *piſtacia* rurſum oleoſa addere ſolent, *cum ambra, moſcho, ſtillatitia florum aurantiarum*, cordialibus. Quin alicubi & ipſas amygdalas & avellanas utrasque Americanas addi legimus. Hinc ſuo ſapore quid unctuoſum apertiſſime per ſe fert *Chocolada*, nec ætatem quoque fert, quin breviuscula mora ſibi contrahat rancorem. Vidimus nuper in Officina pharmaceutica, quam haut procul ab hac urbe viſitaramus, eam vermiculis albis pullulantem, ut verum ſit omnino, quod aliqui aſſerunt, inter centum *Chocoladæ* pondo vix unum ad nos deferri genuinum, tutius hinc iſtam parari vernaculam, ſuccedaneis quibusdam in exoticorum locum ſuffectis. *Blancardus tr. de podagr. cap. 2* §. 5. æmulum *Chocoladæ* medicamentum conficere jubet ex amygdalis noſtratibus minutiſſime tritis, addito cinamomo, caryophyllis, aniſo, ſaccharo, & loco fabarum pauxillo balſami de peru, quam confectionem apprime laudat, eamq; non multum à *Chocoladæ* ſapore diſcedere affirmat. Nec dubitamus concinnari poſſe medicamentum elegantiſſimum, iisdem, quibus Chocolata virtutibus præditum, ſequenti methodo: ℞. *Amygd. dulc. ambroſ. excort.* ℔j. *pinear. mund. piſtac. rec.* aa. ℔ß. *cinam. opt.* ℥iß. *caryoph. arom.* ʒij. *mannæ elect.* ℥iiij. *Sacchari q. ſ. Fiat confectio inſtar Chocoladæ, in quam, ſi libet ambræ moſchique tantillum prodigere queas.* Iſta confectio more *Chocoladæ* ex lacte cum *ovi vitello* hauſta, præbet fortaſſis analepticum notæ haut adeo poſtremæ, addita quoque pro intentionis modulo *alkermes confectione.*

Ad OB-

Ad OBSEV. XLVI.

EX relatione Nobiliſſ. Domini *Eiſeleri*, ex inteſtini recti fiſtuloſis ulceribus mortui, ſequentia: Se noſſe dixit Nobilem quendam Auſtriacum, qui non niſi denis, duodenis, aliquando denis quaternis diebus, alvum excrerit, quam nihilominus ſuppoſitorio ciere cogebatur. Excrementa non excedebant quantitatem cibi unius diei, & erat, qui ſe haut novercaliter invitaret. Scybala vero non tam erant dura & ſicca, quam verè arida, ſic, ut in pulverem friari poſſent. Fuit habitu macilento & retorrido, eamque ſtipticitatem jam annos ultra 40. paſſus, nullo alio incommodo. Medici ſententiam rogati, nil reſponderunt/ aliud, quam humidum excrementorum in inteſtinis à nimo calore abſumi. Num ſatis appoſite, jam non diſputabo. *vid. etiam obſerv. 42. Ann. IX. Dec. II. Ephem. noſtr.*

Ad OBSERV. XLVIII.

EXcellentisſimus hujus obſervationis Auctor absque dubio à pulveris Catholici poſſeſſore falſus eſt. Chimici enim moderni ſatis noverunt, Mercurium vitæ nil iſto ſuo nomine minus promereri, nec eſſe, niſi de antimoniali proſapia; hinc ubi de Mercurio vitæ in ſuis encheireſibus agunt, eum non in ordine Mercurialium, ſed Antimonialium collocant. *Vid. Febure* im Chimiſchen Handleiter/*p. m.* 729. qui medicamentum hoc ſub titulo pulveris emetici, & *Lemery Cours de Chimie*, qui eundem ſub nomine *Poudre d' Algaroth* (ab Auctore Italo hujusce nominis) *ou emetique* proponunt. Hinc *Williſius pharm. rat. part. 1 ſect. 4. c. 4. p. 40.* pulverem inquit, iſtum nihil in ſe Mercurii continere, inde conſtat, quoniam hic ſalibus congelativis privatus, priſtinam argenti vivi ſpeciem reſumſit, inq; retortam totus colligitur. Conſentit *Wedelius pharmac. in art. form. redact. lib. 2. ſect. 5. cap. 5. p. m. 216.* addita probandi ratione, quod Mercurius vitæ etiam vitrificationi obediat, hinc de Mercurio omnino nihil participare, ſed eſſe antimonialis naturæ. Et alibi nempe *Amœn. mater. med. lib. 2. ſect. 1. cap. 10. pag. 309.*

nil

nil aliud eſſe ait Mercurium vitæ, quam flores antimonii. Hinc, quia Excellentiſſimus Auctor in ejecta per vomitum materia Mercurium vivum circiter ℈ij. ponderantem invenit, citius credam, propinatum fuiſſe iſti ægroto purum ſublimatum, particulis ejus acribus corroſivis ab aſſumto multo oleo abſorptis, & rejecto hinc in figura Mercurii. Certum enim eſt, & per chimiam probatiſſimum, ſalia iſta corroſiva Mercurium haut difficulter deſerere, modo inveniant ſubjectum magis gratum ſibi & acceptum. Vel Mercurius vitæ non fuit rite paratus. Quidquid ſit, mirum ſane eſt, præſcripta integra drachma patientem tamen fuiſſe ſervatum. Exurgit inde cautela in medicamentis incognitis, præcipue Chimicis, quæ ſecretorum nomine circumferuntur, utcumque ab Auctoribus ſuis commendatiſſimis obſervanda. Nec arbitramur practicum iſtum, omni eruditione, doctrina & experientia, ut laudatur, præclarum, quisquis etiam fuerit, quod erat partium Chriſtianarum, feciſſe, dum frigida iſta reſponſione Excellentiſſ. obſervationis Auctorem expedire ſuſtinuit, *Periculum facit expertum Medicum* Nam & ſic latrocinia faciunt expertum, Cæteroqui, ſi Mercurio vivo in aqua forti ſoluto addatur antimonium pulveriſatum, nanciſcimur butyri antimonii analogum ex tempore quæ ſolutio cum aqua calida præcipitata, ſtatim præbet Mercurium vitæ, quo tamen inter tutiora & elegantiora emetica antimoniata carere poſſumus, quamvis in aſcite, ſed alio fine, fit medicamentum haut inelegans, tunc tantum per inferiora purgans, cujus grana duo cum maſſa panis in pilulas redacta, viginti diebus *Exc. Bilgerus Campidunenſis*, Patronus noſter, olim in aſcite eſt exhibere ſolitus.

Ad OBSERV. LVII.

IN *Curlandiæ* Ducis aula corvos albos videri, non eſt rarum, quorum aliquos Sereniſſimus b. m. Dux *Jacobus* in aulam Cæſaream aliquando mittere conſueverat. Num autem in iſto Ducatu tales excludantur, an è locis ſeptentrionalioribus illuc deferantur, pro certo affirmare non auſim. Credibile eſt, non à rigore hiemis ejusmodi colorem candidum & urſis & lepori-

bus & corvis illarum regionum imprimi; ſed, quod matribus, quum gravidæ exiſtunt, aut ovis incubant, nullus in regionibus nive per totum propemodum annum, (eo cumprimis tempore, quo aves etiam fœtificant) coopertis color obſervetur, quàm albus, id fortis imaginatioois opus eſſe, cujus vires in immutando fetu ex principiis *Carteſianis* prolixe admodum deducit *Bayl. Diſſert. Phyſ. 3.* vide etiam, quæ in eam rem notavi ad MEMORABILIA CURLANDIÆ *Ann. X. Dec. II. Ephem. noſtr.* appenſa *pag. 125.* Corvos autem in *Wetteravia* quoque candidos eſſe repertos, rarius quidem eſt, attamen non adeo mirandum, cum in *Rhætia* noſtra *aves Canarienſes* (quarum ad Batavos usque deportandarum non unus quotannis millenarius gignitur) frequenter excludantur candidæ, noſtra adhuc memoria 40. imperialibus, nunc autem fere duobus venientes.

Ad OBSERV. LVIII.

B. Dn. D. *Hornungius* meus in Phyſicata *Crailsheimenſi* Anteceſſor ad hunc locum ſua manu notavit, olim extra portam inferiorem *Crailsheimenſem* ædiculas in piſcium conditoriis, ſupra montem Fronenberg dictum exſtructas conſpici potuiſſe, nunc earum nec volam ibi videri neque veſtigium. Sic & heic *Nordlingæ* de Turri noſtra excelſa jam *Haarburgum*, caſtrum ſepultura *Sereniſſimorum Principum Oettingenſium* celebre, & abhinc ſesquimilliari diſtans videri, quod olim ſpectantium oculis non patebat; verum eſt, quod idem dici poteſt de fortalitio *Wildsburg* prope *Weiſenburgum Noricorum*, id nempe de dicta noſtra Turri videri non potuiſſe, quod jamjam conſpicitur abhinc milliarium quinque diſtantia. Cauſſam iſtiusmodi phænomenon quamvis adſecutum eſſe *Ricciolum* in *Almageſto*, prout ab Exc. noſtro *Reiſelio An. VIII. Dec. II. Eph. Cur. Obſ. 57.* allegatur, adſtipulante cumprimis ingenioſiſſimo *Sturmio*, facile concedam, vel exinde, quod ex locis ſupra dictis & ab Exc. *Reiſelio* quoq; adductis, ad minimum ea, quæ mihi cognita ſunt, fluminibus alluantur *Crailsheimium Jaxti, Eſslinga & Canſtadium Nicro, Haarburgum Werntlo & Wildsburgum Alemano*; arbitramur tamen omnino negari non poſſe, quod à collapſu ſpecuum ſubterranearum montium ejusmodi ſubſidentiæ fieri poſſint. Confer, quæ de

rui-

ruinis ſeu terræ ſubſidentiis prope *Pappenheimium* in præfatione ad *Nerreteri diſſertationem de ortu fontium* notavimus.

Ad OBSERV. LIX.

Eſſe digeſtionis longe maximam ad perpetranda ſecretiora Chimiæ opera vim atque facultatem, qui penitius actiones naturæ conſiderant, ſine dubio experiuntur: præcipue quum illa fit igne leniſſimo, qualis eſt ille, quem lampadis appellant. Omnia eximia naturæ opera tempus ſibi requirunt, atque uti nullum violentum eſt diuturnum, ita nec operis ullius præclari & eximii promum condum. Opus grande philoſophicum qui moliuntur, ad unum omnes in eo conſpirant, quod ſibi ſcilicet poſcat ignem leniſſimum qualis eſt color incubantis ova gallinæ, quem ignem antiquiſſimi Chimici *ignem mollem* dixerunt. Digeſtio clavis eſt, quæ centra mixtorum reſerat: atque, ut *Wedel. Pharmac. acroam. l. 1. ſect. 2. c. 5.* eam egregiè deſcribit, quod ſit operatio & Naturæ & Arti maxime familiaris, quum videamus in Macrocoſmo digeri fructûs & ſuccos eorundem à ſole, fonte caloris. digeri in viſceribus Terræ metalla & mineralia, digeri in corporibus animalium ingeſta, adeo, ut concordiam quaſi quandam & amicabile conſortium in ſingulis regnis præſtet, Sic Exc. *Cramerus Colleg. Chim. Diſſ. 4. c. 1. §. 3.* per talem digeſtionem ſicciſſimos ſilices ploraſſe liquorem deſtillabilem expertus eſt. Calor moderatus, inquit *Tackius Chryſogon. animal. & mineral. p. m. 185.* in Macrocoſmo & Microcoſmo totam implet & abſolvit paginam, ad reſolutiones & ſeparationes, coagulandorumque coagulationes. Exemplum ſolutioni Coraliorum ab Exc. *Langelotto* adductæ haut multum diſſimile nobis ſuppeditavit *Exc. Dn. D. Megerlinus*, Sereniſſ. Principis *Oettingenſis* Archiater, Fautor & Collega noſter æſtumatiſſimus. Nim. affudit ille raſuræ ſuccini oleum Tart. per deliq. & longa digeſtione caloris blandi nil amplius tale cogitans, ſuccinum reperit in mucilaginem omnino reſolutum, ex qua affuſo poſtea Sp. Vin. Tincturam longe elegantiſſimam extraxit. Quam nobile medicamentum B. noſter *Clauderus* nobis reliquerit in cinnabari ſua per longam & diuturnam digeſtionem exaltata, legi poteſt in ejusdem *inventi novi cinnabarini* cantionis vere cygneæ *cap. 9. & ſeqq.* poſtquam capite præcedenti Chimicæ digeſtionis vim & lau-

laudes multis encomiis perſtrinxiſſet, nec eſt ullum dubitum, eodem modo longe nobiliſſima & efficaciſſima remedia poſſe concinnari. De fermentatione Philoſophi omnes conſentiunt, quantus ejus, & quam inexhauſtus ſit uſus. De Tritura autem merentur legi, quæ Excell. *Tackius loc. cit. p.* 93. ,,eleganter ſcribit. Forte haut ſive ratione tritura à multis celebratur ad conjugium immortalitatis in opere philoſophico ,,perpetrandum. Clamant enim plurimi: *tere, tere, tere*! coque, coque, coque! Magnum profecto in trituratione arcanum latitat, quod, ſi probe ponderarent Medici, in præſcribendis pulveribus præciperent pharmacopœis, ut pulveres ,,non ſubtiliter tantum & per cribrum minimum trajiciendos ,,tererent, ſed eousque pergerent in trituratione, quousque quod eſt ſuperius, factum eſſet inferius, & vice verſa; ſicque, quod eſt in centro & ſiliquis terreſtribus obumbratum & obnubilatum, ad ſuperficiem eſſet deductum, ſine mora deinceps ſua ,,dona & virtutes Medicas in homine exſerturum. Et, quaſi in *Langelottianam* auri trituram digitum intenderet, pergit: ,,Videntur Philoſophi nonnulli hanc trituram inculcare velle, ,,ut *Augurellus, qui laminas auri continuo ictu in liquorem redigere ju-* ,,*bet* &c. Sic *clavis ſapientiæ* ait: Ovum minerale non putreſcit ,,absque contritione ſive molitione, non enim ingreditur ſolventis humiditas in ipſum absque molitione, propter adhærentiam partium ipſius ſoluti ad invicem. It. ovum plantæ ,,differt ab ovo mineræ in hoc, quod indiget tritura. It. quomagis ,,ipſum corpus attenuamus, tanto magis ipſius anima ſubtiliatur &c. In libro *Secretorum Calid* hæc habentur: Niſi converteritis corpora in ſubtilitatem, ut ſint ſubtilia & tactu impalpabilia, non dirigetur vobis, quod quæritis. Et, ſi trita non ,,fuerint, revertamini ad operationem, quousque terantur, & ,,fiant ſubtilia. Novi proinde quendam magni nominis Philoſophum, qui per multos annos materiam ſuam trituraverat, ,,ut ſic centrum verteret in circumferentiam, de quo etiam labore multum gloriabatur &c. Hinc & Celeberrimus *Borrichius* trium ſeptimanarum ſedula tritura effecit, ut gemmæ fragrantiſſimum odorem ex ſe ſpirarent. vid. *Act. Med. Hafn. Vol. V. Obſ.* 37. Quod rationi quoq; eſt conſentaneum, diutina nempe tri-

trituratione in atomos identidem ſubtiliores, hinc primam, ut ita loquar, fere materiam triturabilia mixta reſolvi, quæ tum poris corporis ſe tunc promtius inſinuare, tum in Spiritus quoque noſtros intimius penetrare valent; quis ultra de medicamentorum ea ſedulitate paratorum præſtantia dubitaret? Denique non poſſum, quin addam, quæ *B. Dn. D. Gerhardus*, Phyſicus olim *Geislingenſis* ante triennium ad me ſcripſit: „Si neceſ„ſitatis eſſet, monſtrare ac demonſtrare poſſem, quæ expe„rientiſſimus *Langellottus p. m.* Collegio veſtro *Naturæ Curioſo* de „*auri tritura* expoſuit, jam ſub anno quadrageſimo quarto „hujus ſeculi Parentem meum p. m. (*D. Johannem Gerhardum*, „Profeſſorem quondam *Tubingenſem*) ſuis inſeruiſſe ſecretis, & „ſi opus eſſet, facile etiam docere poſſem, quomodo forte „hoc ſecretum nobiliſſimo *Borrichio* p. m. ad deſcribendum *Tu„bingæ* obtigerit, & ſic opinanter ad manus Sereniſſimi Ducis „*Holſatiæ*, cui ſecreta ſua chimica jam ante dictum tempus of„ferre chariſſimus parens in animum induxerat, manus & po„teſtatem pervenerit.

Ad OBSERV. LX.

AN ad ἀναυδίαν pertineat, vel ejus quædam ſit ſpecies, quod in Paſtore 28. circiter annorum obſervavimus, qui non equidem loquelam omnem interdum nulla ex evidente cauſa amiſit, ſed certa tantum quædam verba non præferre, aut in ſerie potius juſta collocare potuit? v. gr. ſi quanto dicere vellet: *O utinam nobis clementia divina pacem reddat?* ea verba aut omnino non, aut ordine plane per- & inverſo, cætera mentis potentiſſimus, præferebat, nec tamen linguam ſibi gravem eſſe querebatur, quin dicto citius & opinione verba iſta decenter & ordine aliquando loquebatur. Præterita hyeme ex febre continua maligna periculoſiſſime decumbens, ab eo tempore nil amplius tale, quod ſciam, ſentit.

(o)

Ad OBSERV. LXVI.

ANte quadriennium *Haarburgi* piſtor annorum 24. à nuptiis bene potus, domum noctu titubare ſuſtinuit hiemali tempore, ſui vero minus compos ſuper pontem *Werneſi* conſedit, & ſomno obrutus de ponte ſupinus labitur altitudine pedum circiter ſedecim, ubi neſcio quamdiu jacens à vigile nocturno ſuſpirans auditur, domum portatur, & diſcuſſa crapula, ſe à vertebra præterpropter ſpinæ dorſi ab oſſe ſacro tertia ἀναίσθητον experitur, livoris quadam nota ibi deprehenſa. Urina, quamdiu ſupernus cubaret, ſuppreſſa, quoties erigeretur, ipſo inſciente profluebat. Appetitu ſatis firmo fuit, nullibi dolens: intra tres ſeptimanas ſuperveniente convulſione adhibitis fruſtra, quod prædixeram, remediis omnibus, exſpiravit. Anno demum præterito Senatoris cujusdam noſtratis ancilla ceraſa acida de arbore non adeo procera decerpere ſuſtinens, confracto ramo vetuſtiore, ſuper dorſi ſpinam delabitur, eadem, quæ Piſtorem afflixerant, ſymptomata mortem tribus poſt ſeptimanis attulerunt. Matrona hujusce urbis primaria, annorum fere quadraginta non quidem ex caſu, ſed paralyſi, opinor, ex frigore contracta, per totos undecim annos dimidia, & inferna quidem ſui parte mortua ſine ſenſu & motu vixit, ſuperna parte ſana, vel quaſi, ita nimirum, ut munia domeſtica, ſella rotatili provecta, exſequeretur. Cæterum infra nec ſenſus, nec motus; alvus & urina nec ſcienti, nec volenti, ſecedebant.

Ad OBSERV. LXX.

IN Lapicidina noſtræ urbi vicina ejusmodi multi luſus videntur. Nos ipſi collegimus inde lapides, quibus conchæ cochlearum minorum omnino & ipſæ lapidefactæ, non aliter, imò adæquate magis, ſunt incluſæ, quam lapilli minores aëtiti lapidi, quaſi ſuæ matrici infuſæ, als wie eingegoſſen. Poſſedimus etiam lapidem, cui adglutinata erat ſpina halecis integri cum cauda & ſpinulis coſtalibus, tam affabre, ut vix Pictor expreſſius. Lapis porro hinc inde virgulta nigra, ceu ſilvulas, monſtrabat. Eum celeberrimi Monaſterii *Neresheimenſis* Raritheçio addidimus.

Ad OBSERV. LXXI.

ANte biennium Præceptoris Claſſici noſtratis filiola, duorum atque dimidii præter propter annorum è feneſtra in plateam altitudine pedum ad minimum quatuordecim præceps decidit, & quidem lapſu non perpendiculari, ſed ultra plateæ medium, ubi declivior lapidum ſitus ad aquæ pluviæ collectionem fieri ſolet, ſex ſcil. paſſuum à domo diſtantia, lapſu cætera prorſus indemni. Ante compluſculos annos ferunt hic fabrum murarium de tertia ædium contignatione ſuper ſtratum præcipitem factum, nullo inde malo contracto; quum is humo ſurrexiſſet, interrogaſſe ajunt, ubinam pileum ſuum reliquiſſet? quo recepto ad labores rediſſe. Vid. etiam *Act. Med. Hafn. Vol. V. Obſ. 73. de varia cadentium fortuna.*

Ad OBSERV. LXXIV.

SImile quid in B. mea *Stüberide*, uxore deſideratiſſima, quin multis quoque aliis expertus ſum, non tantum, qui ex antica rhedæ parte, verum & poſtica vehebantur. Et fallitur Exc. Obſervationis Auctor, quum mares nil tale pati credit. Nam & horum plures dari, qui ad vecturas etiam terreſtres nauſeant, imò vomunt, plus vice ſimplici vidimus. Quid? quod *Mœbius Inſtit. lib. 2. pars 2. cap. 5. p. 182.* quosdam videri aſſerat, qui ex equitationis motu nauſea & vomitu tententur. Rectiſſime autem Exc. Obſervationis Auctor æmulam huic vomitioni vectoriæ affirmat nauſeam ſuper mari navigantium: à qua inter centum vix unus immunis itinerari ſalo cœpit. Inter omnes vectores, qui 1677. primi *Travemunda Gedanum* tendebamus, præter me & Ephippiarium *Kittingenſem*, reliqui omnes Oceano patri creberrimis vomitibus, ceu inaugurali ſacro, initiabantur. Quinimmo vidi, qui nunquam impune ſe ventis darent, quin ſemper iſtud pendere tributum cogerentur, quod alioqui plurimis prima tantum vice contingit: alios vidi, qui cum primi vectores nil triſte ſentirent, alia tamen vice commune malum experiebantur, quos inter memetipſum numero.

Hinc

Hinc *nauſea* vox κατ' ἐξοχὴν, huic marinæ, vel ipſius etymologiæ vi competit, qua de conquerentem eleganter *Senecam* audimus *Epiſt.* 53. ubi de ſe ipſo peregrinator in Ponto, nauſea, inquit, me ſegnis, & ſine exitu torquebat, quæ bilem movet, nec effundit. Cauſſas huic propemodum inevitabili malo diverſi diverſas adſignarunt. *Job. Acoſta lib.* 3. *hiſt. natural. cap.* 9. Aëri marino, exhalationibus & ventis naturæ inſuetis eam adſcribit; alii faſtidioſæ exhalationi ſalſilaginis marinæ, ut *Pontan. Attic. bellar. p.* 524. It: *Holler. Comment. in Aphor. Hippocr. p.m.* 181. Enimvero mihi vix ea vera ratio videtur, ex eo potiſſimum fundamento, quod etiam, qui ſuper flumina vehuntur inſueti, eodem haut raro, licet fortaſſe mitiore, malo divexentur. Anno 1689. vehebar ſuper *Danubio Donaverda Ratisbonam*, Illuſtriſſ. cuidam Comiti meis conſiliis adfuturus: Erant tunc mihi Comites exauctorati equites duo, qui non aliter, quam in Archipelago vecti nauſeabant. Simile quid in *Volga* fluvio *Olearius Itin. Perſ. lib.* 1. *cap.* 2. in aliquibus obſervavit. Deinde quinam ſalſi maris moleſti halitus iis, qui à mari diſſitiſſimi curribus vehuntur, nauſeandi & vomendi neceſſitatem imponunt? Propius ad verum collimat ingenii vere divini noſter *Hippocrates*, qui *ſect.IV. Aphor.* 14. ita: Ἐπὴν πίῃ τις ἐλλέβορον, πρὸς μὲν τάς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους καὶ μὴ κινήσιας ἧσσον. Δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλίη, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει. Lat. *Epoto elleboro motu ciendum (movendum) corpus potius, quam ſomno & motus vacuitate compeſcendum (quam ſomno tradendum aut quieti.) Nam corpora motu cieri (alii turbari) vel ipſa indicat navigatio.* Hic igitur ab humoribus in motum concitis malum arceſſit, cui accedunt Interpretes, nominatim *Heurnius & Hollerius*, quorum primus è vetuſtioribus principiis refluxum humorum in venas ope hujus motionis factum incuſat. vid. etiam Exc. *Bruno Lex. Med. p. m.* 865. Enimvero, quod ejusmodi vomitus ſæpenumero plane enormes & viridiſſimæ bilis excernicula ſint, quinimo haut raro momentanei, vix dum, ubi quis navigare cœpit, atque adeo concipi non queat, unde ſpatio temporis adeo brevi, præſertim in corporibus antea ſibi nil infirmi conſciis, colligi queat vis tanta porraceæ amurcæ, quæ

for-

ſortaſſean corpori ante quadrantem horulæ non inextiterat, magis ad verum accedere mihi videntur illi, qui ſpirituum animalium ἀταξίαν incuſant, quales ſunt, præter *Williſium* & *Sydenhamium in Diſſert. de affect. hyſter. hyſtericarumque vomitione porracea*, Exc. noſter *Dolæus Encyclop. Med. lib. 3 cap. 7. p. m. 461.* ubi, videmus, ait, colluviem coloris plane herbacei ex hominum vel ſaniſſimorum ventriculo prodire, ubi primum in mare ſunt longius provecti, quibus tamen ante horam non inerat bilis, quam porraceam appellamus, quod in memetipſo in mari verſato contigit; vomitum itaque talem cieri à vehementi ſpirituum denſe conglomeratorum in fibras circulares pylori impulſu, unde & ſpaſmus ventriculi, & dolor, aliorumque viſcerum ſubverſio totalis. Sic ob ejusmodi ſpirituum ἀταξίαν in vulneribus cerebri aliisq; cephalæis v. gr. periodicis oriuntur vomitus atrociſſimi, ventriculo partium longe diſſitarum culpâ per conſenſum luente. Notandum enim ejusmodi nauſeam marinam nunquam eſſe ſine vertigine, vertiginoſis utplurimum accidere, quin, ſi nauſeam longe moleſtiſſimam ſequi vomitus nolit, quod ſupra conqueſtus eſt *Seneca*, vertigine à quacunque cauſa concitata, is promte & cum levamine cietur. *Illuſtr. Boyle util. philoſ. experim. part. 2. ſect. 1. Exerc. 5. cap. 14. §. 8.* Notatu dignum eſt, ait, quod, ſi quis, mare ſulcans, nauſea, non tamen ad vomitum ſufficiente, tentetur, à nautis, de navis latere in aquam proſpicere jubeatur, quo, celeri navigii decurſu, aqua rapide profluere viſa, velocis fluminis vices explente, ſpectator, vertigine concitata, facilius vomere poſſit. Quod ipſe non ſemel, ſanitatis cauſſa nauſeam promoturus, expertus ſum. Huc facit, quod non quovis tempore aut cœlo eadem vomituriendi lege vectores teneantur. Nam, obſervante *Oleario loc. cit.* id non ſtatim accidit ab initio, dum ventus placide ſuſurrat, & eſt malacia, ſed tunc demum, ubi oborto ventorum fremitu fluctus impetu majore ſurgunt. Id fortaſſe fuit in cauſa, quod, cum primo navigium conſcendiſſem pomeridie, cœlo ſereno & placido, nil tale fuerim expertus, dum vero in portu *Vindavienſi Curlandorum*, triennio poſt, me navis *Hollandica* exciperet, ac nos in mare paulum promotos ingens tempeſtas obrueret, me quoque iſto malo haut parum divexatum ſentiebam.

Hinc & *Hollerius loc. cit.* Non quivis motus in navigatione nauſeam & vomitum cient, ſed præſertim iſti, quibus corpora ſublevantur cum navi & ferè ſubito deprimuntur, aut in gyrum circumferuntur. Recordamur in aula Sereniſſimi cujusdam Principis erectam alicubi perpendiculariter trochleam, è cujus media à terra diſtantia protendebatur trabs, & trabi affixa ſella, in quam, qui conſediſſent, pernicioſiſſimo motu tamdiu circumgyrabantur, inſtar aſinariæ molæ, donec concitato vomitu ſpectatoribus videndi materiam largirentur. Quod phænomenon marinam nauſeam valde colluſtrat. Excitatur itaque procul dubio nauſea iſta cum vomitu, tum in iis, qui mari, tum qui curru inſueti vehuntur, ſequentem in modum: A motu inconſueto navigii, tum celeri, tum ſurſum deorſum lati (ſic ut inſueti erecti in navigio ſtare aut incedere non poſſint) vel curſus velocius acti, ſpiritus animales, dum mare aut terram moveri, navim autem, aut currum ſubſiſtere ſibi videntur, in motum inordinatum, puta vertiginis, cientur, qui nervis propioribus per conſenſum communicatus in pylori primo nervoſiſſimum circulum, hinc & ventriculi fibras propagatur, qui inde ſpasmodice contracti nauſeam & ptyalismum, ob nervum ſexti paris, ſuperius ventriculi orificium ambientem, atque ad glandulas faucium delatum, poſtea vomitum, concitant. Hac enim ratione admiſſa, ſtatim liquet, cur æque in curru, quam navi; item cur feminis magis, hyſterico potiſſimum malo affectis, quam viris; cur iis magis, qui antica currus parte, quam qui in poſtica ſedent, iſta accidant, & quæ huc alia pertinent? Iſti malo quæſita inde ab omni ſeculo remedia. *Bartholinus tr.* elegantiſſimo de *peregrinatione Medica* ex *Gordonio* ſequentia adducit: ſi fuerint in mari, eligant ſibi locum à ſentina longinquum & ab omni ſorde, & ſtent in aëre frigidiori & altiori, quantum erit poſſibile, & ſi de facili nauſeant, teneant ſe ad columnam, & odorent panem aſſum cum aceto; ſumant valde parum de cibo & potu, & Dn. JESUS dirigat in tranquillitate vid. m. quæ dictus *Bartholinus* ex *Ægineta, Oribaſio, Baverio, Montagnana, Celſo, loc. cit.* affert; ubi cumprimis, noſtrorum, ait, nautarum ſecretum eſt, hauſtus aquæ ſalſæ marinæ, quamprimum navim intraveris; quod remedium etiam allegat in

collectan.

collectan. Med. Phyſ. 1680. p. m. 193. eamque aquam marinam aut ſolam aut vino mixtam bibi ſolere aſſerit. Sic nota ſalium quædam mixtura, quæ de *Hart. Prax. Chimatr. cap. de nauſ.* it. *Alex. à Pedemont. in Secretis* agunt. Sic *Blancardus loc. cit.* commendat pulverem ranarum calcinatarum, cujus 3, a. 4. diebus ante navis ingreſſum mane ℥j. ſumatur. Illuſtr. *Baco de Verulam. hiſt. vit. & mort. operat. ſuper exkluſ. aër §. 15. p. m. 537.* ſe meminiſſe ait, quendam Anglum ut vectigalia ſupprimeret, croci ſaccum, cum transfretaret, circa ſtomachum portaſſe, ut lateret, eumque cum antea ex mari graviſſime ægrotare ſolitus eſſet, optime tunc valuiſſe, nec nauſeam ullam ſenſiſſe. Noſtræ muliercula ex antiqua, ni fallor, ſuperſtitione, ſcrobiculo cordis applicare ſolent fruſtum ſpeculi, & panis melliti Noribergenſis, chartæ cœruleæ involuta. Nos arbitramur, ſi remedio hic fidendum, omnem tunc paginam abſolutura Caſtoreata & Zinnabarina.

Ad OBSERV. LXXXIX.

ANte ſexennium Medicinam fecimus Illuſtri cuidam Baroni ex atrophia ſcorbutica extenuatiſſimo. Placuit inter cætera transplantationem experiri, Sanguinem è mediana dextri ad ℥iiij. hauſimus, ejusque portionem evacuatæ ovi teſtæ incluſam in acervum formicarum defodimus. Bene quidem ſenſim habere cœpit, aliis quoque medicamentis adhibitis, illuſtris patiens, ſed nihilo tamen factus habitior. Sic, ut incertum ſit, utrum iſta transplanatatione quidquam profecerimus. Elapſo ſemeſtri, cum acervum formicarum luſtrarem, inveni teſtam, ſed ſanguinis ne atomum. Radicem ſymphyti oleto proprio delibutam, & in Terram defoſſam, tam pluribus aliis, tam nuper admodum illuſtri puello hernioſo ex aſſe profuiſſe, teſtari poſſum. Archipræfectus quidam Illuſtriſſimus mihi aſſeveravit, ſe, dum alicubi, Studiorum cauſſa, moraretur, odontalgia gravi frequenter excruciatum, portiuncula ligni tetigiſſe gingivam, ut ſanguinem ſtillaret, mox terebella foramen in ædium ſuarum grandiorem trabem excavatam iſta ligni portione oppleviſſe, ſed per longam annorum ſeriem nil quidquam doloris paſſum. Accidiſſe autem, ut forte fortuna iſtæ ædes

conflagrarent, hinc dolorem acerbiſſime recruduiſſe. Quod Obſervatio *LXI. Vol. 2. Act. Med. Hafniens* de hernia per tiliam fiſſam ſanata, aſſerit, illud in Comite quodam Illuſtriſſimo B. meus Patruelis, celeberrimus *D. Joh. Valentinus Majer*, Phyſicus quondam *Crailsheimenſis* obſervavit, eum nempe ſibi fuiſſe reſtitutum, cum totus nudus pyrum fiſſam ter tranſiret, ſine abuſu nominis SS^æ. Trinitatis, quo de Exc. *Reiſelius* loco infra citando, nec annua repetitione, fiſſura poſtmodum cera & terebinthina conglutinata. Unguium autem præſegmina malo arbori parum intra corticem ſauciatæ impacta, herniam ſuſtuliſſe recordor in pueris duobus. Sic, ut dubium omnino ſit nullum, quin ope tranſplantationis ejusmodi curæ perfici queant, quorum adeo ſunt plena tot auctorum fide dignorum volumina. Sic tranſplantationis morborum aliquot exempla vides *Ann. I. Dec. II. Ephem. noſtr. Obſ. XI* & *Ann. IX. Dec. II. Obſ 34.* cum accuratiſſimo de ejusmodi curis judicio, vid. etiam præter allegatos ab *Excell. Reiſelio Illuſtr. Boyl. Utilit. philoſ. experim. p. m. 290. ſeqq.* ubi harum quoque curarum defenſio *p. 293. ſeqq.* it. *Cæſ. Longin. trin. Mag. tr. de magnet. vulner. curat. podagr. per tranſplant. cap. 5.* & *6. Wirdig. Medicin. Spirit. lib. 2. cap. 27. Muralt. Clav. Med. exercit. 12. p. 551. Diſp. Keſtneri ſub Exc. Wedelio 1686. Jenæ habit. de tranſpl. morb.* Ubi attendendum, quod *§.* 24. 25. & 26. monetur, nempe omnem hic abeſſe debere ſuperſtitionem, omnem intentionem nocendi, omnia, quæ ſuſpectam reddere norunt operationem, omnem dierum, v. gr. Veneris, vigiliæ Natalis Domini &c. electionem, omnia certa concepta verba, divini Nominis adhibitionē, ſigilla, characteres, geſticulationes, ſignationes crucis, conſecrationes, quin & conſtellationes planetarias, unde facile pateſcit, quænam tranſplantationes ſint licitæ, quæ illicitæ. Qui experimentis *Digbæanis*, *Boyleanis* aliisque compluribus innixus, didicit vim & efficaciam effluviorum, eorumq; ſphæram activitatis longe diffuſiorem, atque Philoſophorum vulgus facile crediderit, non opus habebit, aut omnia tranſplantationum genera, ceu ſuſpecta, abhorrere, aut cum *Rhumelio, loc. cit.* cauſis ſupernaturalibus adſcribere. Curas tamen ejusmodi conſcientia erronea aut dubia quenquam ſuſcipere velle, ſuadere nolim,

ſiqui-

ſiquidem, quidquid ſit contra conſcientiam, eſt peccatum. *Rom.* 14. v. 22. 23. Mihi autem talia, quod facio, tentanti, ſi quispiam propterea dicam ſcribere ſuſtinuerit, næ is contra charitatem peccaverit.

Ad OBSERV. XCI.

PRæſcripſimus ante annos aliquot pro elæoſaccharo errhino nobis familiari *oleum deſtillatum liliorum convallium*, quod ab Excell. Obſervationis Auctore itidem factitatum in dicta Obſervatione video. Naſutus quidem Pharmacopœus, & acris formularum Medicarum cenſor, myčteriſmo quærit ex alio quodam Pharmacopola: Numquid vidiſſet unquam oleum diſtillatum liliorum convallium, & poſſe tale ex hiſce liliis extorqueri, crederet? Se enim tale nunquam conſpexiſſe. Atqui fors multa non vidit ſibi ſuffenus homuncio, quæ revera tamen exiſtunt, ipſique opus, opinor, eſſet perſpicillo chimico, quod aliis non-entium Chimicorum Scriptoribus, neſcio, an ſuo ubique merito, applicatum recordamur. Adſurgimus Exc. *Ludovici*, hoc oleum profecto tædioſum adſeveranti *Diſſert. 1. de pharmacia modern. ſec. applic. p. m. 488* ſit vero tædioſa ejus deſtillatio, atqui non eſt nulla, ſit rarum porro in officinis id oleum, at eſt in rerum natura. Oportuit Pharmacopœum de oleo me interrogare, non autem omittere illud in elæoſacchari mixtione, aut forte quid aliud pro lubitu ſurrogare. Scimus equidem ex odoratiſſimis floribus, quales ſunt *roſarum, liliorum convallium, violarum, Jaſmini, aurantiarum &c.* ubi ſumme expanſum eſt, per Sal. volat. copiam ſulphur, & à phlegmate copioſo magis dilutum ac diffuſum, adeoque fugaciſſimum, per deſtillationem parciſſimum prodire oleum, ſic, ut referente *Tachenio, Florentiæ* Dominicani ex 84. ℔. roſarum, tantum olei ℥j. ſeparaverint. vid. *Cram. Colleg. Chim. Diſſ. 3. cap. 3. §. 1. p. m. 53.* it. *cap. 5. §. 2. p. 73. & B. Ettmüll. Comment. Ludovician.* integer cophinus liliorum convallium vix det olei ℈ß. nobis tamen ſufficit, illud, quantulumcumque ſit, haberi poſſe. Nam, quod Excell. *Wedelius* de antheris aſſerit *pharmac. acroam. lib. 2. ſect. 3. cap. 8. p. m. 358.* eas nempe nihil aliud eſſe, quam ſulphur efflo-

reſcens ſubtilius, hinc conſultum eſſe, easdem in deſtillatione oleorum ex floribus non abjicere, ſed retinere, adeoque flores una cum antheris, copioſius præbere oleum, quam his rejectis, ubi ὁμόψυφον habet *Febure* Chimiſcher Handleiter *part.2. p.m.* 331. id quoque ad convallium liliola poteſt ac debet omnino applicari, ſiquidem & hæ ipſa ſuis antheris pro modulo gaudeant. Igitur ſi quis olei liliorum convallium, utique gratiſſimi & ſuaveolentiſſimi proventum deſideret, floſculos recentes, nec conquaſſatos, (quod etiam de oleo roſarum valet) aut contritos, ſiquidem tunc opera luditur, una cum antheris, ſuperfuſo aquæ proprio quadruplo, per veſicam aut balneum deſtillet, nec erit, quod de labore fruſtra inſumto conqueratur. Nec enim, quod obiter notamus, adeo usque fugax eſt liliorum convallium ſulphur, quin etiam flores aridi, nec admodum nuper collecti, ubi intra digitos confricantur, odorem ſpirent gratiſſimum.

Ad OBSERV. CIII.

ANno 1678. d. 14. Aug. vidimus in *Curlandia* puellum recens natum, ad cujus umbilicum erat globus, quantitate caput infantis æquans, quem cum intuerer, vidi peritonæum eſſe, & per illud transparere inteſtina omnia. Nec diu ſupervixit.

Ad OBSERV. CXIV.

IN femina, ſexageſimum ſeptimum annum agente, menſes obſervavit *Böhme Diſſ. inaug. de menſ. defect. hab. ſub B. Borrichio Hafn. 1684. §. 2.* Super Obſervatione centeſima *Ann. IX. Dec. II. Ephem. noſtr.* libenter ſuſpenderem cogitata mea, usque ad illius Anni parallelismum, quum autem incertum ſit, utrum ad illud temporis detur aura mundana fruiſci, brevibus id dico, mihi non ſimile verò videri, fluxum ſanguinis, quod Excell. Obſervator, fuiſſe menſtruum. Namque quod Agrippa prodierit puella, atque adeo ſine dubio diu intra clauſtra ruptæ ſecundinæ hæſerit, ſanguis in utero fluctuans facile potuit ejus pudenda intrare, hinc, quum extra uterum extitiſſet, inde ſen-

ſim

ſim profluere, quod nos haut ſemel in puellarum partubus contigiſſe novimus, parentibus fruſtra quid infauſti hinc ominantibus. *vid m. Ann. IX. Dec. II. Ephem. noſtr. Obſ. 126.* it. *de menſium fluxu* in puella 5. menſium *Dn. Dolæum Encyclop. Med. lib. 3. cap. 10. p. 519. & lib. 5. cap. 3. p. 877.* it. in puella ſeptenni *ibid loco prius cit.* In puella decem annorum nos nuper heic *Nordlingæ*; In puella 6. annorum Exc. *Wedelius tum in Ann. V. Dec. II. Obſ. 78. Ephem. noſtr.* tum in *Phyſiol. reform cap. 7. p. 173.* In infante 2. annorum *Blancard.* Holländ. Jahr-Regiſt. *1680. Obſ. 81.* Idem in triennali ibid. *Cent. 2. Obſ. 25. Ann. 1681. Obſ. 47. Cent. 6. in anu* 72. annorum (quamvis utrum hi fuerint menſes, ſanguinis nempe fluxus ter vel quater uno menſe per collum prorumpens, nondum adeo liqueat.) In anu, quæ centeſimum ætatis annum emenſa, per tres adhuc annos ordinarie tributum lunare pendebat, id. *Cent. 7. Obſ. 18.* & alia quadam, quæ usque ad annum ætatis centeſimum ordine non interrupto eunt. Fluxum patiebatur, *ib. Obſ. 19.* In alia muliere, quæ à prima infantia menſtruata fuit, *ib. Obſ. 78.* Denique quod in nullo usquam bruto, excepta ſimia, fluxus ſanguinis menſtruus obſervari cenſeatur, quo de vid. *Muralt. Coll. anat. Lect. 3. p. 58.* adſtipulante *Bayle Diſſert. Med. 1. de cauſ. flux. menſtr.* idem *Blancardus* refellit *Obſ. 19. Cent. 6.* exemplo canis, certis temporibus ejusmodi fluxum ordinarie ſuſtinentis.

Ad OBSERV. CXXIII.

Confer quæ de ſero omnino lacteo poſt Venæſectionem à ſanguine ſemet ſeparante memoravimus in *Append. ad Ann. VII. Dec. II. Ephem. Cur. p. 72.* ubi noto, virum iſtum hujusce urbis primarium per aliquot abhinc annos ejusmodi ſerum lacteum haut amplius exhibere. Interim affligitur nephriticis & ſcorbuticis ſymptomatis. Alias, utrum & quantum hæc Obſervatio cum illa congruat, quæ exhibetur *Ann. II. Dec. I. Ephem. noſtr. nempe 210.* qui cernii ſunt, judicent.

Ad OB-

Ad OBSERV. CXXV.

EJusmodi Tubas Stentorophonicas variæ magnitudinis videre contigit apud Illuſtriſſimum Comitem de GEYER in *Giebelſtatt*, Dominum meum gratioſiſſimum, rerum naturalium, cum primis Mathematicarum, curioſiſſimum, cui volupe erat illudere agricolis aut aliis rus euntibus, quum eos ex arce *Goldbacenſi* variis modis per ejusmodi tubam alloqueretur: qui attoniti circumſpiciebant, unde vox inſperata proficiſceretur. Habebant verò ejusdem Tubi Stentorophonici diverſa orificia, quæ pro lubitu eximi poterant; ſic in conclavi longo, qui ab altera extremitate conclavis alterum tubi orificium auri applicabat, ſubmiſſisſime colloquentem ſecum è regione ex altero tubo percipere poterat, intermediis, ant etiam ad latus loquenti ſtantibus, nil quidquam audientibus.

Ad OBSERV. CXLI.

GUla eſt inſtrumentum varii generis malorum, non tantum, ubi ejus miniſterio ad luxum abutimur, verum & ubi deglutiuntur ejusmodi res, quæ & ipſi gulæ & ſtomacho, & reliquis porro viſceribus, non modo moleſtiam, verum & periculum creare ſunt apta nata. Quum puellus adhuc triennalis eſſem, nodulum ſtanneum pruni ſilveſtris magnitudine, quantum à dilecta matre memini relatum, improvidus, ſed non ſine ſuffocationis & vitæ periculo, deglutivi. Hujus generis exempla toto die occurrunt, ſicut neque cultros integros devorare, jam ſit amplius novum, nec ſit cuiquam de hiſtoria *Regiomontana* fas ultra dubitare, quum nuperum exemplum *Hallenſe* rei poſſibilitatem demonſtrarit. Ante annos aliquot Excell. D. *Laibius*, Phyſicus *Dinkelsbühlenſis*, hiſtoriam acus, à netrice ni fallor, per incuriam deglutitæ perſcripſit, quæ multum ipſi negotii faceſſebat. Exemplum aciculæ deglutitæ præbet etiam *Muraltus* noſter in den Chirurg. Geſchicht. *hiſt. 129. p.m.* 389. ubi ait, purgatione per troch. alhand. puellam ſenſim convaluiſſe, quod acicula, dimidia ſui parte conſumta, per alvum egeſta fuerit. Fallacia cauſſæ eſt, quando Excell. *Kerkringius* quod in

in *Scholio* ad hanc *Muralti* obſervationem Exc. *Königius* recenſet, arbitratur monetam cupream deglutitam ab acido fermentali ventriculi exeſam fuiſſe. Siquidem hodie tantum acorem liquori gaſtrico, ſecundùm naturam ſe habenti, vix largimur. Alibi *Muraltus* noſter in nummo deglutito foris embrocationem fecit in ventre & dorſo oleo roſato, internè dedit butyri recentis cochlearia aliquot, jejuno ſtomacho, unde factum, ut alvus pecuniam redderet. vid. *Ann. X. Dec. II. Ephem. noſtr. Obſ. 6.* de annulo pronubo ab infante unius anni, & *Obſ. 67.* de clavo ferreo à puero Muſico, it. *Obſ.* 79. de ſpina piſcis improvide deglutitis, hujusque ultimi ridicula cura. Legi quoque merentur, quæ B. noſter *Clauderus* de cura ejusmodi deglutitorum notavit, ad *Ann. VIII. Dec. II. Ephem. noſtr. Obſ. 208.* vid. quoque ejusdem *Anni Obſ. 167.* it. *Blancard.* Holländ. Jahr-Regiſt. *Cent. 5. Obſ. 32.*

Ad OBSERV. CXLVIII.

ANno 1694. melancholia propemodum in hisoris epidemice graſſata fuit in utroque ſexu, ſic ut per integrum temporis, quo praxin exerceo, plures oblati non fuerint. Utplurimum tamen, ſi morigeri obtingerent, ope Martialium ſunt reſtituti. Hos inter quoque fuit paſtor ruralis, vir pius & doctus, ab adoleſcentia mihi notus, cui diu medicinam feci, denique acidarum *Göppingenſium* potum ipſi plurimum profuiſſe, tum expertus, quod itidem cum aliis, curæ meæ ſubjectis, factum. Quid cauſſæ ſubſit, cur hoc magis anno plurimi ſint melancholia correpti, curioſius nunc inquirere non vacat. Tribus tamen dico, mihi videri, quod ob inſolitam annonæ caritatem panes apud nos, feræ ſine diſcrimine, admixta plurima piſorum, quin & viciarum & fabarum farina piſti, ſanguinem minus lucidum, aut ſi mavis, ſpirituoſum, progenerarint, atque adeo vicia dederit vitia, quam meam conjecturam aliis dijudicandum relinquo. Cæterum obſervationem Excellentiſſimi Auctoris plane ſimilem recenſet *Blancardus* Holländ. Jahr-Regiſt. *Cent. 7. Obſ.* 12. de melancholia cum mortis motu. Exempla porro melancholiæ, quæ nobis nunc occurrunt notabiliora, ſequentia

tia damus; *Limmer. Diſp.inaug.de hydrophob. habita Altdorf.1688.* §.11. ſe noviſſe ait Textorem *Lugduni Batavorum*, qui ſe Regem Hiſpaniarum eſſe credebat, & greſſum juxta leges geometricas quaſi inſtitutum, in deambulatione obſervare videbatur: & *Amſtelodami* alium, qui ſe DEum eſſe jactitabat; imò in patria *Serveſta* rurſum quendam, qui ſe decimum tertium Apoſtolum, & cæterorum Præſidem extraordinaria vocatione Divina conſtitutum eſſe perhiberet.

Id autem, quod ab ipſomet me obſervatum, eſt lectu plane horridum. Nobilis quidam Capitaneus, mihi optime notus, 25. circ. annorum A. 1685. in Auſtria miles, in tantum delirium melancholicum incidit, ut continuo, ubi ſtaret, ſederet, mearet, nullo habito reſpectu vel matris, vel aliarum feminarum aut virginum, multo minus virorum, pene producto maſtuprationi indulgeret, nullis aut Theologorum, aut aliorum quorumcunq; monitis, quinimo nec verberibus flexibilis, ſic ut neceſſe habuerint, manus ligaturis coërcere. Per totam noctem nil aliud, quam id ſolum, ad ſudoris eruptionem & animi deliquia continuo agitabat, nil interim ad quæſita respondens. Interdum ſecum ipſemet ſequentia, repetita vel centies ultima voce, muſſabat: Ach/ wann ich doch nicht gegangen / gegangen / gegangen / etc. Ex acidulis percelebribus auctoritate ſupremi Magiſtratûs, ob ſcandalum ingens, exactus, denique ad Medicum famigeratiſſimum, amicum noſtrum, delatus, ad ſe ſenſim rediit. Eleganter *Laurentius* de melancholicis, *quemadmodum*, ait, *exercitatiſſimi belli Duces, falſis exploratorum indiciis ſeducti, imprudenter & temerariè in hoſtem feruntur; ita ratio, phantaſiæ erronea denunciatione decepta, abſurdos diſcurſus fabricatur.*

Ad OBSERV. CLV.

IN hac fit mentio cerviſiæ, quæ per totam ferè *Livoniam* candentibus ſilicibus decoqui conſueverit. Vide, quæ hanc in rem notavi ad *Append. Ann.X. Dec.II.Ephem. noſtr. de Curlandiæ memorabilibus p. 133.*

Ad OB-

Ad OBSERV. CLXI.

CUm iſta cœcitas nil aliud fuerit, quam gutta ſerena, quod oculi nullo modo læſi conſpicerentur, eo ipſo planum evadit, non omnem guttam ſerenam eſſe immedicabilem, ſed interdum nervos opticos obſtructos aut ſponte naturæ, aut medicamentorum decenti apparatu deobſtrui poſſe. In hoc caſu ptarmicum Mercuriale *Jonſtoni* eſt nobile. Sic, ut vel hic quoque omnia bona Mercurius rite utenti polliceatur.

Ad OBSERV. CLXIII.

IN *Braſilia* tanta eſt cœli clementia, ut homines centum annos attingere nil omninò ſit novi. *Franciſc.* im Guineiſchen Blumenbuſche *l. 1. cap. 2. p. m. 24.* In Caſtellò *Naſſovico Guineæ*, it. in *Accara* homines 130. annos numerantes viſi plures. *Braun navigat. 3. p. 66.* In Inſula *Banda* homines multi centum annos vivendo complent. *Franciſc.* im Oſt-Ind. Luſtgart. *p. m. 990.* In vico *Cheauqueau Tavernier* vidit virum 130. annorum, *Itin. Perſ. lib. 1. cap. 7.* Pharmacopœus quidam *Calecutiæ* ex uſu Ambræ 160. annos vixiſſe perhibetur, atque Nobiles in *Barbaria* ex ejusdem uſu longævi comperiuntur, cum vulgus, ſeu plebs, brevioris ſit ævi. *Verulam hiſt. vit. & Mort. p. 528.* Cum *Ferdin. Lopez* Vice-Rex in *India* eſſet, A. 1636. ad eum delatus fuit Vir quidam, nomine *Hugo d' Acugna, Bengalenſis,* qui tum erat annorum 340. capillitio nigro, poſtquam quartum repubuerat, & ſucceſſive 700. uxores habuerat. *Zeiller. in Theatr. Trag. hiſt. 13. P. Caſp. Dragonetti* A. 1600. apud Jeſuitas Romanos verſatus Grammaticus A. 1626. jamjam ultra annos 70. juventutem in Grammatica erudierat, & tunc erat annorum 115. bene dentatus, & absque conſpiciliorum uſu legens, vegetus, robuſtus, ex *Pet. de la valle Auct. Colloq. menſtr. A 1694. Mart. p. 203. S. Polycarpus, Smirnenſis* Epiſcopus propemodum 120. annos vivendo complevit. *Id. A. 1692. April. p. 292.* Bononienſium quorundam longævitas 150, 100. & plures annos exſuperantium, addita cauſſa, it. longævitas ab anhelitu puellarum videatur,

ap. eand. A. 1691. Febr. p. 124. ſeq. Nauta quidam *Roſtochienſis* 162. annos vixit. *Ann. VIII. Dec. II. Ephem. noſtr. Obſ. 159.* ubi alia quoque longævitatis exempla, it. *Ann. IX. Dec. II. Ephem. Cur. Obſ. 211. & Schol.* Chiliarchi cujusdam Suevici per Imperium notiſſimi Pater, cujus nomen, quod ejus propalandi facultas nobis conceſſa non ſit, tacemus, ætatis annum 115. attigit. Ruſticus *Cadolzburgenſis* in Marchionatu *Onoldo-Brandenburgico* 109. annorum, ſine conſpicillo legit, ἀναίσθητος tamen & obliviosſus, ſic, ut hodie confeſſus, cras de adeunda ſacra ſynaxi monendus eſſet, & prope fornacem conſidenti veſtes cum ſubjecta cuti, ſed absque ſenſu, amburerentur. *Curlandos* Ruſticos eſſe longioris ævi notavimus ad *Append. Ann. X. Dec. II. Eph. noſtr. de Curlandiæ memorabilibus p. 138.* Heic *Nordlingæ* per hos decem annos, aliquot vidi utriusque ſexus homines, qui nonageſimum annum exceſſerant.

Longævitati conquiſita ab omni ævo remedia. Judæi ad diſcriminationem ſeptimanæ inſequentis à Sabbatho, poſt hujus finem vinum benedicere aut conſecrare ad lampada certam ſolent, hujusque vini benedicti tantillum arteriæ illitum longævitati conducere credunt. Verba ſunt *Buxtorf. Synagog. cap. 11. p. 284.* Excell. *Wagenſeilius*, Patronus noſter Judæos longævitatis comparandæ ſtudioſiſſimos *Sotæ p. 811.* deſcribit, adductis tamen in medium mediis mere moralibus, licet aliquibus haut parum ridiculis. Quam ſint longævitatis Studioſi *Chinenſes Martinus hiſt. ſin. lib. 4. p. 17.* recenſet, eosque ſtolide putare, quod medicamentis longævitas adquiri poſſit, *p. 290.* hinc rerum chimicarum Studioſos eſſe, *p. 301. ſeqq.* E monte *Fangtai Chinæ* effoditur *Talcum*, quod cum Mercurio calcinatum, vino permixtum & potum à *Sinenſibus* Medicis ad longævitatem excellens remedium habetur, *Franciſc.* im Siniſch. Luſtgart. *p.* 1150. De ambræ virtute paullo ante. Sic opium *Japanenſibus* ad ſenectutem multum conferre, docet *Cleyerus* noſter *Ephem. Cur. Ann. X. Dec. II. Obſ. 35.* addita inſuper opii pro his aliisve uſibus cum lacte præparatione. Videantur, præter plura longævitatis exempla, hujus cauſſæ & media ap. *Tackium Phaſ. Soph. 2. p. m. 111. ſeqq.* De priſci ævi μακροβιότητι elegans habetur Epiſtola *Joh. Weſterburgii*, ad *Joh. Bererovicium*,

quæ

quæ extat inter *Epiſtolas & reſponſa tum Medica, tum Philoſophica Doctorum Virorum, edita Roterod. 1665. p. m. 215.* De Alpicolarum longævitate, & cur hodie brevioris ævi eſſe cœperint, vid. *Ann. X. Dec. II. Ephem. noſtr. Obſ. 211.* Tartarum ex Vino cum Spiritu Vini ſumtum cum conſerva roſarum, it. Electuarii Cydoniorum jugem uſum ad longævitatem conducere vult *Agricola* de *ſimpl. facult. fol. 132.* It. annoſum quendam Medicum, experientia confirmatum, ſi portiuncula exigua rad. gentianæ indies jejuno ſtomacho deguſtaretur, eum valetudine inoffenſa, omniumque ſenſuum illæſis organis ad extremam ætatem eſſe perventurum. *Hippocr.* περὶ αἰῶνος vitam longam ἑπταήμερον i. e. ſeptem temporum, ſ. 7. ætatum, vocat. vid. *Velſch. Decad. 2. Curat. 1. p. 63.* *Abyſſinos* ultra 35. aut 40. annos non vivere, pleroſque hydrope affici ab Anno 20. uſque ad mortem, & altero tantum pede tumido, *Tavernier* ſcribit, *deſer.* Turcic. p. 146. quod de *Monomotapæ* incolis quoque affirmat, & culpam in aquæ inſalubritatem conjicit *Itin. Ind. lib. 2. cap. 25.* Nos, cum Exc. *Wedelio Phyſiol. reform. cap. 7. p. 174.* credimus, hodie nos eſſe longævos deſiiſſe, nulla naturæ culpa, ſed noſtra potius, & cum *Seneca* de *brevit. vitæ cap. 1.* claudimus. Non accepimus brevem vitam, ſed (per luxum) fecimus, nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus, ſicut amplæ opes, ubi ad malum Dominum pervenerunt, momento diſſipantur, at, quamvis modicæ, ſi bono cuſtodi traditæ ſunt, uſu creſcunt. DEUS aliquando nos, qui longævitatem Chriſtiani vix optare debemus, in Regno Gloriæ faciat æternævos.

Ad OBSERV. CLXIV.

VAgitum uterinum ex ſe nil mali portendere, vel unicum id probaverit, quod crebro ſint auditi pipientes intra ſuas teſtes pulli. vid. *Boyl. experim. Phyſ. mechan. de aër. vi elaſt. exp. 41. p. m. 144.* Sed & obſervatus in murium pullis uterinus vel vagitus, vel minuritio, *Ann. X. Dec. II. Ephem. noſtr. Obſ. 122.* nec infauſtum fuiſſe talem in hominibus probat *Obſ. 196. Ann. VIII. Dec. II. noſtr. Ephem.*

Ad OBSERV. CLXXXI.

NObilis quidam 52. circ. annorum ante biennium heic *Nordlingæ* conqueri cœpit de ani pruritu inſigni, quem primo nihili pendens, poſtea incidit in teneſmum, hinc dolores ſemper ingraveſcentes, ut conſilium meum expoſceret. Perſuaſus ob cauſſas quasdam alias hæmorrhoidum obſtructionem adeſſe, cumprimis, quod venam ſecare non ſoleret, varia ea vaſa deoppilantia, à multis celebrata, aperientia, chalybeata &c. propinavi nullo cum fructu. Acciti quoque in conſilium Medici aliunde celeberrimi, nil contulerunt opis. Augeri dolores alvus nunc conſtipari, nunc nimium fluere, teneſmus atrocior fieri, cum materia nunc purulenta, nunc ſanguinolenta, cum ſibilo quaſi exeunte. Admiſit denique ſpeculum ani, repperimus ulcus fiſtuloſum, & à dextro latere ad ani rimam tumorem inſtar ovi columbini, qui in abſceſſum erumpens, nobis inveſtigandi occaſionem dedit, quorſum vergeret, & vidimus nos ex abſceſſu iſto in inteſtinum rectum ſtylo permeare poſſe, ſic ut admoti utrinque ſtyli colliderent; Quinimmo relicta via ordinaria tunc excrementa alvi per abſeſſum excludi cœperant. Interim appetitus languere, tormina nonnunquam atrociſſima, paſſionem iliacam minitantia, atrophia, icterus niger. Intra paucos dies ex orificio ani & abſceſſu vicino factum unum foramen, reperti plures fiſtulæ ſinus. Accitus Chirurgus è longinquo ſecandarum ani fiſtularum peritus, qui manum admovere voluit, præſcripta certa lignorum diæta. Sed illuſtris patiens, cum per 3. anni quadrantes belluinos dolores, maxima cum patientia perpeſſus eſſet, denique totus exareſcens, adveniente inſuper urinæ ſuppreſſione, quod unicum erat votum, exſpiravit. Conqueſtus eſt à primo dolore Dn. patiens & cibum & potum, quoties horum vel minimum guſtaret, immediate quaſi, prope os coccygis dolorem excitare.

Ad OBSERV. CLXXXIV.

FUit absque dubio principium hydrocephali interni, ſeu potius hydropis capitis, qualem curavimus ante biennium circiter, in Reverendo quodam Patre *Ord. S. Benedicti*, diæta vehementer exſiccante, exhibito Decocto lignorum cum ad ſudorem, tum potum ordinarium, interdictis omnibus liquidis aliis, præſcripto quoq; maſticatorio & cucupha: datis à meridie carnibus aſſis, noctu autem non niſi amygdalis & paſſulis majoribus, qua tædioſiſſima cura feliciter exantlata reſtitutus fuit.

Ad OBSERV. CLXXXVI.

ONoldi novi Fabrum Clauſtrarium, quem per annos ultra 30. nunquam verè dormiſſe fama erat, eumque perdidiſſe ſomnum omnem, quum in juventute peregrinatus, diuturna febri afflictus eſſet. Oblatus nobis aliquando infans, quem ultra plusquam 30. ſeptimanas perpetuo vigilaſſe adſeverabant. *Fernel. lib. 5. pathol. cap. 2.* ſcribit, quendam mente captum menſibus 14. nullum cepiſſe ſomnum, quin & *Plin. lib. 4. cap. 41.* Mæcenati ſupremo triennio nullo horæ momento ſomnum contigiſſe narrat. In noſtra Regione plurimi perſuaſi ſunt, animalia ruminantia nunquam ſomnum capeſſere. Nos fidem fide dignis haut equidem derogamus, memores interim illius:

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Ad OBSERV. CCIII.

QUod Exc. Auctor recenſet de narium hæmorrhagia in variolarum principio proficua, in morbi autem vigore morbum protelante, & miratur ſanguinem rubicundum omni deſtitutum ſero, qui adeo ſtatim concrevit, ut poſt aliquot horas gummatis duritiem nactus ſit &c. me firmat in opinione, quam tribus quaſi verbis adſerui à fine commentationis meæ ad *Obſ. hujus anni 56.* Nempe in variolis non tam ſolum ſanguinem, quam ſerum præcipue à motu quodam inteſtino Archeali in tumultum cieri, atque hinc etiam Mercurium dulcem, adæquatum,

tum, cui non par aliud, ſero Remedium, utiliter adhiberi. Seri enim in ſanguine è naribus ſtillante abſentiam, non à calore ſerum abſumente deducendam recte ſtatuit *Exc. Auctor*, ſiquidem id vel ſola ſalivatio, variolis confluentibus in ſtatu morbi ſupervenire ſolita, irrefragabili indicio, ſerum eo modo purgari, quemadmodum in Mercuriali ſalivatione, refutarit. Me autem opinante, ſerum tunc in glandulis, & præcipuè ſubcutaneis, maxima ſui parte ſubſiſtens, ſanguini non ea quantitate commiſcetur, ut hic ſatis dilui queat, unde juſto ſiccior evadit. Quamvis, qui è naribus prorumpit ſanguis, per ſe floridior exiſtat, nec tanta ſeri copia abundet, atque is, qui per venam ſectam, è qua pleniore radio profluit, educitur.

Ad OBSERV. CCVI.

ANte triennium mulier quædam ſeptuaginta & aliquot annorum ex abſceſſu lateris dextri calculos ex ruffo flaveſcentes ultra centum & plures, piſi aut circiter, quantitate, ſucceſſive, cum pure, excrevit, quæ hydropica denique exſpiravit. Non dubito, quin è bilis folliculo prodierint. vid. quæ in hanc rem ſcripſimus, *Ann. VII. Dec. II. Ephem. noſtr. Obſ.136. Anderſohn. Itin. Orient. fol.74.* ſcribit; ſe & Comites ſuos in folliculo bilario aprugno, globulo perfoſſo, reperiſſe lapidem parvum, rotundum & rutilum, quem Incolæ *IndoStani* & *Malaccenſes* lapidem ſalutis (Geſundheit-Stein) appellarint, & nucis juglandis magnitudine quandoque reperiri affirmarint.

Ad OBSEV. CCXI.

COnf. quæ ad *Ann. VI. Dec. II. Ephem. noſtr.* communicavi in *addend. ad Obſ.93. Ann, III. Dec. II. p.570.* De cura febris tertianæ per terrorem. Cui placebit adjungere hiſtoriam, à Dn. Paſtore T*apfheimenſi Auguſtano* mihi narratam, quæ ſic habet: Molitor *Auguſtanus* in delirio ex febre maligna, nemine advertente, per feneſtram in profluentem præceps factus, & ab alio à ſubmerſione tempeſtivè liberatus, illico, fracto morbo, convaluit, altero, qui eum extraxerat, mox febre maligna correpto, indeque mortuo.

Ad OB-

Ad OBSERV. CCXII.

A contractionibus fibrarum motricium ſpasmodicis haut raro excernenda retineri, quin & urinam, cumprimis in parvulis motibus convulſivis, præ adultis, obnoxijs, ſupprimi certum eſt, & admodum nuper in illuſtri puello mihi obſervatum, nec dubito, quin vera retentionis urinæ in puello, cujus ab Exc. obſervationis Auctore fit mentio, cauſa non fuerit alia, quam ejuſmodi fibrarum renalium ſpaſmodica contractio, vel ex hoc ipſo fundamento, quod Iſchuria per epilepſiam, relaxatis hinc iſtis fibris, fuerit ſoluta, cum alias quoque in convulſionibus epilepticis gravioribus alvus & urina ſponte ſecedant.

De *Wildeganſianis* pilulis, in impreſſa Germanica ſcheda plus quam thraſonice elevatis, inde ab annis viginti me nil amplius audiſſe memini. Nunc autem in his oris denuo quaſi reviviſcunt. De illis quid mihi partim relatum, partim compertum ſit, ea, qua par eſt fide, recenſebo. Pilulæ ſunt piſi minoris magnitudine, amarorem aloëticum guſtui præbentes, ſplendide nigræ, duræ, argenti folijs obductæ, quarum 16. numero pyxidulæ lamineæ inclusæ imperiali thalero veneunt. Modus utendi internus cumprimis eſt, ut earum 1. 2. 3. ad 5. numero in liquore pro ratione intentionis convenienti ſolutæ noctu propinentur, unde ſuavis ſommus, & poſt hunc ſudor diffuſiſſimus conſequitur. Alius quidam Circulator has pilulas æmulari ſuſtinuit, cum autem & ſapore ſint alio, & colore magis pallido, malim, ſi quis uti voluerit, eas, quæ petuntur e locis ab ipſo *Wildeganſio* præfinitis, *Berolino* puta, *Lipſia*, *Hanovia*, *Francofurto*. In decenali fatuitate juvenis *Unternzennenſis* effectum laudatiſſimum præſtiterunt. In Matrona nobili cephalæa fere perpetua cum pervigilio laborante reliqua pretioſiſſima & à celeberimis Medicis ordinata medicamenta longiſſime poſt ſe reliquerunt. *Anna Maria Döffnerinn*, annorum 23. robuſta, temperamenti ſanguinei, ancilla Diaconi *Hechlingenſis* 28. Nov. 1694. noctua tenebrione quodam fuligine ex improviſo totam faciem conſpergitur, quæ perterrefacta, ac prorſus attonita hypocauſtum manuum pedumque miniſterio irrepit, ſuſpirans, nec ad quæſita reſpondens, ſed ſuper pavimento cataleptica quaſi & immobilis jacens ex ore ſpumavit, torvum vidit, pollicibus manuum intro verſis, & toto corpore ultra horam convulſa. Credita hinc lecto, ad quæſita reſpondere quidem ſed male condita & plane delira. Geſtus, qui ſolent effatuatorum; namque

mine è ſponda protracto faucibus imminebat, tranſacta ſic per convulſiones & deliria viciſſim ſemet excipientia tota nocte. Nov. 29. ijſdem geſtibus peracta, cum inſequente nocte, idq; duravit ad meridiem 30. Nov. Veſperi præbentur pilulæ *Wildeganſianæ* num. 5. aqua florum tiliæ contritæ. Peracta vix hora dimidia non tantum remiſere convulſiones, ſed inſecutus etiam ſuavis ſomnus ad uſque matutam, ubi ægra ſe meliuſcule habere dixit, conqueſta tamen de ventris torminibus. Sequebatur autem mane ſudor profuſiſſimus per omne corpus inſtar ſubſtilli, & ligamenta nervique ſubſultabant ad intuentium oculos, adhuc perſeverantibus torminibus, & ingraveſcentibus, quoties aliquid adſumeret ægra. 1. Dec. crebro alvum deponebat ægra cum teneſmo inſigni, inſequente mentis potentia plenaria, & ceſſantibus omnino convulſionibus, parvo tamen tumore in pedibus, ſed mox diſparente. Hac die præbitæ adhuc 3. pilulæ *Wildeganſianæ* in aqua florum tiliæ tritæ: pleniſſime convaluit, ſic, ut tertio Decembris, ad ſervitia conſueta, immo triturationem frumentorum redierit. *Vid. m. Obſ.* 232. hujus anni. Quod ſomnus utentibus fere ſemper obrepat (quamvis in illuſtri puello diverſum contigerit) haut equidem negarim cum Exc. *Waldſchmidio* pilulas hoſce opium ingredi, cum autem amarities, quæ guſtu deprehenditur, non tam opiata quam aloëtica, Medicinæ ſingulos effectus opio ſoli nolim imputare.

Ad OBSERV. CCXXII.

PRodiit non ita dudum Methodus curandi omnis generis febres ſine aſſumptione cujuſquam medicamenti per os; ſolis nempe enematis, quæ conſtant ex infuſione corticis Peruani ſubtiliſſ. pulveriſati, nunc fortiori, nunc debiliori, cum aqua ſimplici, primum Gallica lingua, hinc Lipſiæ latinitate donata. Elegans eſt libellus, & egomet Auctori adeo confidenter ſcribenti fidem temere derogare nolim. Quod autem febres apud nos epidemice, per Dei gratiam, graſſari deſierint, noſtri homines etiam plerumque ita comparati ſint, ut clyſteres extra duriſſimum neceſſitatis telum horreant, Dn. Auctor etiam jubeat nonnunquam ter in die clyſteres ejuſmodi applicare, china chinæ denique caro jam conſtet pretio, ideoque hactenus experimentum hujuſce methodi capere mihi conceſſum non fuerit, ulterius heic nihil memorare decrevi, niſi, quod poſita ejuſcemodi clyſterum virtute febrifuga, nullum ſit dubium, quin etiam alij morbi quam plurimi eadem methodo

thodo adhibita poſſint commode ſatis curari, quæ ſane res eſſet, ulterio ri veſtigatione digniſſima. Nam ægros haut ſane paucos interire propterea, quod nimium averſentur medicamenta, certiſſimum eſt, nec eos, quibus eſt praxis diffuſior, latere poteſt. Quinimmo, clyſteres dari nutrientes poſthac fruſtra, qui rem accurate penſitat, negabit.

Ad OBSERV. CCXXXIX.

COnfer, quæ de vitri & flexibilitate, & malleabilitate, & perſpicuitate, horumque cauſis in *Append. Ann. III. Dec. II. Ephem. Cur. Diſſert. de vitris anaclaſticis p. 519. ſeqq.* tradidimus.

Ad OBSERV. CCLIX.

EJuſmodi metaſtaſin febris malignæ in omnimodam cœcitatem obſervavi in Matrona 56. circ. annorum ante ſeptennium, quæ quidem biennio circiter adhuc ſupervixit, ſed crebris convulſionibus epilepticis, quibus denique ſuccubuit, tentata. In hoc autem differt à Caſu ab Exc. Dn. Obſervatore prolato, quod non ſucceſſive, ſed ſimul & ſemel viſu fuerit orbata.

AD OBSERV. CCLXIX.

IDem & nobis aliquando licuit obſervare, floccorum nempe lectionem in febre maligna non fuiſſe lethalem. Sumus interdum mirati, homines tam atrocibus in febre maligna ſymptomatis afflictos, nempe ſingultu, delirio perenni, convulſionibus, floccorum lectione, excrementorum involuntaria egeſtione, faciebus tantum non Hippocraticis, ſpem omnem & opionem præter evaſiſſe, alios autem, qui longe mitius à febre haberi videbantur, extinctos, ut adeo ſit omnium maxime neceſſaria *Hippocratis* ejusque ſequacium, prudentiorum nempe Practicorum, cautela, dum præcipiunt, Medicum in prognoſi febrium malignarum caute procedere debere, ſiquidem nullibi ſe turpius, quam heic, dare poſſit. Cæterum ex obſervationis contextu quis poſſit ſuſpicari, Illuſtriſſimam iſtam Baronem non tam floccos legiſſe, quam artuum ſpaſmodica contractione tentatam, reliquiis puta præcedanearum ultra quinquagies convulſionum.

AD OBSERV. CCLXX.

QUamvis antimonium aliquid Mercuriale in ſinu fovere, præter alia experimenta vel ipſa Zinnabaris antimonij teſtetur, quin & Mercurium Antimonij ſola tritura adquiri poſſe, in Anni hujus *Obſerv. 59. p. 102.* doceatur, durum tamen eſt creditu, flores Antimonij rite paratos aut apoplexiam aut ptyaliſmum excitare poſſe. Hinc flores iſtos Antimonii, qui non tantum ſupra memorata, verum & mortem ſubitaneam attulerunt, adulterinos fuiſſe, potius exiſtimandum. Nec enim circulatoribus ullibi, multo minus in medicamentis Chimicis, Deorum manibus, fidendum.

AD OBSERV. CCLXXXI.

IN contagione *Donaverdenſi* & *Wemdingenſi* Anno 1688. graſſante, qui ejuſmodi miliari effloreſcentia, petechiis juncta, corriperentur, plerique mortui, quod admodum nuper in 2. Juvenibus, qui Illuſtriſ. cuidam Comiti à pedibus erant, notavi. Si quid conjiciendum, arbitror has eſſe quandam criſeos ſpeciem, cujus ope Natura miaſmata maligna ſeri ſeu lymphæ glandularis expurgare conatur. Siquidem haut raro in febris petechialis ſtatu, ptyaliſmus quaſi Mercurialis, plerumque, niſi impediatur, ſalutaris & criticus obſervetur, cujus etiam meminit induſtrius *Sydenham Obſerv. Med. circa morb. acut. hiſt. ſect. 3. cap. 3. p. m. 139.* Hujus itaque ſalivationis vicaria cenſeo exanthemata miliaria, quamvis criſin, ſi malignitas adſit nimia, imperfectam, adeoque raro ſalutarem; & heic fortaſſe alexipharmacis fixioribus haut inepte poſſet admiſceri Mercurius dulcificatus.

AD OBSERV. CCCIV.

SIc etiam *Riſus*, ne quid ſuperſtitionum Ethnicarum Græciæ ſupereſſet, olim in Deorum numerum relatus. *Deo* nempe *Riſui* dies quotannis in *Lariſſa Theſſaliæ* dicatus, quod ſequentibus verbis *Apulejus*, joco ne an ſerio? *Metamorph. lib. 2. p. m. 34.* innuit: Solemnis dies à primis cunabulis hujus urbis (*ſc. Lariſſæ*) conditæ craſtinus advenit, quo die ſoli mortalium ſanctiſſimum *Deum Riſum* hilaro & gaudiali ritu propitiamus. Cui Deaſtro & *Apulejus* ipſe illa die Feſta in victi-

victimam ceſſit, id eſt, materiam catholico Riſui præbuit, quod longa ſerie, & procaci ſtylo ipſemet *loc. cit. lib. 3.* enarrat. Hodienum Deaſtro Riſui, eheu! nimium quantum ubique à Chriſtianis κατὰ δόκησιν talibus litatur, qui tamen meminiſſe debebant illius *Paulini Epheſ. 5. v. 4.* Sic & noſtrorum aliqui portentoſis atque ad faſtum effictis opinionibus, prudentioribus & uſu rerum exercitatis dum ſe deridendos propinant, Riſui Deo ſacrum facere videntur. Agedum, quidnam ſit rei *Riſus*, parum conſideremus. Riſus, ait *Kippingius Inſtit. Phyſ. lib. 9. cap. 13. §. 1.* eſt facultas manifeſtandi gaudium. *Sperlingius* cum additamento vocat *facultatem animæ rationalis, anthropol. phyſ. lib. 1. cap. 5.* quo innuit, ſolum hominem ridere, quod ipſum quoque affirmat *quæſt.* hujus *cap. 1. p. m. 243.* eſſe nempe riſum Hominis proprium in quarto modo. Conſentientes ſibi habet Philoſophos propemodum omnes, alios tamen aliter riſum definientes, quod etiam videre licet, in obſervationis hujus ſcholio. Hinc Logicis nil familiarius, quam riſum, in deſcriptione proprij in quarto modo, loco exempli allegare, & de Homine prædicare, quod ſit *animal riſibile.* Quamvis autem jam non excutere velimus, utrum conveniat verbali iſto, *riſibilis*, active uti, & an non potius riſibilis proprie dicatur ille, qui rideri, non autem, qui ridere poteſt, ut in ſimilibus, *amabilis*, *culpabilis*, *curabilis*, *laudabilis*, *optabilis*, *placabilis*, *ſperabilis*, *dicibilis*, *vincibilis*, *credibilis*, *diviſibilis*, *plauſibilis*, & ſexcentis alijs, præter tamen iſtud nos, qui *facultates* ea mente non admittimus, qua ſolent antiquiores *Inſtitutioniſtæ*, multo minus riſum eſſe facultatem animæ rationalis credemus, qui nil eſt aliud, quam *gaudium geſtibus externis expreſſum.* Quale gaudium, quum ſoli Homini non competat, verum & animantium brutorum pluribus, cum terrore, ira mœſtitia &c. ſit commune, non certe videmus, quid bruta commeruerint, ut, cum geſtibus externis iram, mœrorem, terrorem, fremitu, tremore, horrore, exprimant, à ſola gaudii per riſum manifeſtatione excludi debeant? Quis cachinnari ſimias non videt? immo, quis non miratur canes tum ſibimetipſis abblandiri, tum illis, quos amant, hominibus, cumprimis diu non viſis, eo quidem geſtu, quem multi Catones auſteri non expreſſerint! Riſus eſt geſtus qui exprimitur certa muſculorum thoracis & faciei contractione, quale quid canes facere, neminem niſi non obſervantem, latere debet, In cachinnum riſus erumpit dum inſuper conquaſſatur diaphragma vibratione ſonora tracheæ, quod nec ipſiſmet canibus negatum. Alius enim eſt geſtus,

 alia

alia vox blandientis, alius & alia iracundi frementis & latrantis. Igitur Hominis riſibilitatem inſtantias pati, nemo fortean, qui curatius rem intueatur, diffitebitur. Ridendus itaque *Sperlingius*, qui *loc. cit. p.* 244. Proprium hoc, nempe riſum, ait, eſſentiam ſequi, tanquam effectus cauſſam proximam & neceſſariam, ſicut equinam eſſentiam ſequitur hinnitus, caninam latratus, leoninam rugitus, &c. quaſi non ſermone diſtingueretur à brutorum proprijs vocibus Homo: immo, quaſi ad riſum requireretur, edere vocem. Neque quis oggerat, canem æmulari riſum, non vere ridere. Unde, qui hoc dicit, probabit? Forte, quod non eundem cum Homine geſtum exprimat? Vanum. Cauſſa eſt alia maxillæ caninæ textura. Sed, quid hoc ad evertendam rem ipſam? Sufficit, canem pro exprimendo gaudio, quod homo quoque facit, quatere diaphragma, maxillares muſculos torquere, idque diverſa ratione, quam, ubi aut ringitur, aut alio affectu movetur. Ubi objectum, inſtrumenta & media riſus, ibi riſus ipſe, potentia, non actu; Atqui hæc omnia in canibus. E. Si quid in Homine diverſum accidit, diverſitati texturæ partium id adſcribendum. Alioqui nec ambulare dicemus canem, neque coire, nec facere quid aliud, quod eſt ipſi cum Homine commune, propterea, quod ea non iſto præciſe modo peragit. Obſervationem autem noſtram, quod attinet, riſus iſte fuit haut dubie convulſivus, ut recte *Scholiaſtes* Excell. cenſet, ac velut ex ſpaſmo muſculorum alioqui in riſu voluntario moveri ſolitorum oriundus. Qualia exempla non tantum in epilepticis pluribus occurrunt, & me quoque vidiſſe recordor, verum & hypochondriacis nonnunquam in cachinnum incoërcibilem ſolutis. Nec alia videtur eſſe cauſſa riſus quaſi non naturalis à titillatione nimia exorti, quem etiam *Plutarchus moral. 1. præcept. de ſanit. tuend. p. m. 255.* Convulſioni ſimilem, adeoque moleſtum, vocat. *Riſus* autem *Sardonius* quidnam proprie ſit, & quæ denominandi ratio, nondum eſt unanimi Scriptorum conſenſu probatum *Natal. Com. Mythol. cap. 18. lib. 1. p. m. 66.* In *Sardo*, ſcribit, Inſula, Senes, qui ad ſeptuageſimum ætatis annum acceſſiſſent a ſuis filiis ridentibus in Saturni honorem lignis cædi ſolebant, deinde è præcipiti loco dejiciebantur, unde ductum eſt proverbium riſus *Sardonici*, ſicut ſcripſit *Timæus* Hiſtoricus in rebus *Deliacis.* Aliter *Alex. ab Alex. Dier. Genial. lib. 5. cap. 15. p. 279. b.* In eos, qui præferunt lætitiam, quum intus angantur curis, quique blanditijs velant odium, riſus *Sardonius* dicitur, quod in *Sardinia apiaſtro* ſimilis herba naſcatur, cujus eſus, diducto ore, velut ridentes homines

mortem

mortem appetere cogit. Cujus fortaſſe generis eſt planta *Norvagica*, quam exhibet *Quadrip. Botan. Simon Paulli p. m.* 531. & illuſtri Auctori propterea *apio riſus* dicto æquiparatur, quod tamen nomen *rannunculo aquatico communi* à *Tabernæmontano* imponitur. Sic eautm *Riſus Sardinicus* aut *Sardinius* dici meruiſſet. Quo de, item multis ad riſum pertinentibus elegans diſputatio exſtat D. *Richieri, habita ſub umbone claro Ill. Franci Heidelb.* 1683. Ubi riſus Sardonius deſcribitur, quod ſit *convulſio muſculorum faciei præcipue labia moventium, ab irritatione inſigni nervorum his muſculis inſervientium, ſpeciem riſus, ſæpe cum mentis alienatione, exhibens.* De riſu multa *Scaliger Exercit.* 317. De profuſioris riſus noxis & cur in eo abdomen comprimatur *Overkamp. Oeconom. animal. cap.* 12. *p.* 265. vid. & *Bac. de Verulam. ſilv. ſilv. Cent.* 8. *experim.* 721. De riſu phthiſicis, etiam, quando convaluere, noxio Diſp. *Hafenrefferi de phthiſi habita Tubing. reſp. Meyero* 1657. *theſ.* 60. ſequentia: *Dn. Martini* J. U. C. in illuſtri Collegio *Tubingenſi* degens, ex copioſo ſanguinis ſputo, vena etiam digitalis longitudine rejecta, phthiſicus factus, & feliciter curatus, anno tamen poſt *Francofurti* ad Mœnum per effuſiorem riſum pulmones convellens, utramque animam & purpuream & immortalem beatamque effudit. Riſum in infantibus nimium concitare nefas & noxium. *Ann. IX. Dec. II. Eph. Cur. Obſer.* 22. Riſus fere internecinus exortus à ſolo aſpectu carnis ſuillæ. *Ann.* I. *Dec.* I. *Eph. Cur. Obſ.* 134. *Schol.* Riſus multus, an ſemper ſtultitiam arguat? vid. *Ann. VIII. Dec. II. Eph. Cur. Obſ.* 176. A riſu quidam mortui, alij ægroti facti, *ibidem* cum alijs de riſu pluribus. Nobis jam riſum tenere collibet.

AD OBSERV. CCCVIII.

IN pareſi ex Colica tametſi balneas, ut nimirum exſiccantes & calfacientes Practicorum aliqui parum laudent, ac in ſpecie celeberrimus *Reuſnerus* noſter in deſcriptione *Balnearum Wemdingenſium* hoc in caſu, eas, ceu anguem fugere doceat, nos tamen præterito demum anno Capitaneum quendam Bavaricum, qui pareſi ex Colica per quadriennium laboraverat, digitis adeo incurvis, ut cibandus ab aliis eſſet, in laudatis balneis *Wemdingenſibus* belliſſime ſibi reſtitutum vidimus, adeo, ut ſpatio vix quatuordecim dierum vitrum ori ſuo admovere didiciſſet. Occurrimus autem *Reuſneriano* & aliorum timori ſimul

intus

intus humectante diæta, gelatinis cervinis & eburneis, emulſionibus amygdalinis & ſimilibus. Idem præſtitimus in Domino *Bequini*, Herois per utrumque orbem celebratiſſimi, Dn. *Marchionis Ludovici Badenſis*, Cæſarei per Imperium Locumtenentis generalis &c. &c. Confeſſionario, qui arthriticus quum per tempus bene longum decubuiſſet, denique ex Colica pareticus nec manus poterat, nec pedes movere, inſuper tam macilentus, ut ſceleton antiquo corio tectum dixiſſes: iiſdem tamen Balneis *Wemdingenſibus*, propinatis inſimul ſupra dictis, tantum profecit, ut licet non omnino mobilis, inde tamen contentus abiret.

AD OBSERV. CCCXLV.

IDem nobis ante quinquennium videre contigit in quinque paupercu-lis pueris juxta & puellis, qui cicutæ radices è Terra primo vere evulſas comederant, inſecutis horrendis ſymptomatis; accito tamen vomitu, & alexipharmacis adhibitis, ſucceſſive ſibi omnes redditi.

Hiſt-

HISTORIA
DE HEMICRANIA PERIODICA SINGULARI,

ejuſque curatione

Illuſtrandis

DD. Bartholini & Crügeri

In Ephemeridibus Curioſorum Germ. publicatis Obſervationibus

LI. & CXLI.

Decad. I. Anni. I. p. 149.

ET

Decad. II. Anni. IX. p. 243.

Solandæque miſeriæ humanæ

accurata

à

J. G. R.

S. E. B. Conſiliario.

J. J.

LEctam in Ephemeridibus Curioſorum Germ. Dec. II. Anni 1690. Obſervationem CXLI. p. 243. de HEMICRANIA PERIODICA, ad me pertinere Obſervavi, quippe cujus mentio ibi ἀνώνυμος facta. Citavit & ibidem Academicus Curioſus in teſtem Doctorem Juris, & virginem, eo tempore domus meæ conductæ participem, quibus utriſque, ſecundum Deum, remedium à me, ſed atroci dolore, nec ſine ſanguine, partum erat dudum, conſcio Eò ipſo, qui iis deinde medicinam, me prius experiente, fecit. Sed quia hic caſus omnium confeſſione *ſingularis*, & miſeriæ humanæ intereſt, omninò ſciri, quid de eo ampliter compertum ſit: Jam dudum Commentariolum ex Schedis meis collectum, deſcribere per morbos ſuccedaneos prohibitus, jam tandem ſerius præſto officium, ſimul gratè numero Jehovæ Soſpitatoris gratiam, cujus ſapientiæ placuit, adoleſcentiam meam ſævi hujus morbi exercitio ab epidemica ſeculi vanitate cöercere, quando mihi Anno 1654. cum, à Lectione, die intenſè-æſtivo in Librum pronâ facie obdormienti, immiſit, innocenti prorſus occaſione. Evigilans ſentiebam caput ſtupere velut à gravedine: Sequenti autem manè hora VI. è Longinquo obſcurus pulſatiliſque dolor pungere incipiebat membranas muſculi frontalis ſuper oculo dextro, centrum ſuum figens in medio ſupercilii, atque ſucceſſu licet atrocior, ab hora tamen X. declinabat, hactenus utcunque tolerabilis: poſt XII. meridianam uſque ad VI. ſequentis diei matutinam, inducias concedebat: Loci affecti tamen contactus ſenſum immaturi apoſtematis imitabatur. Secuti deinde ſunt à prima hac invaſione dies adhuc ſex, quarum tertius, ut immanior prioribus, ita quartus & quintus remiſſiores: Sextus finitor erat novæ hujus miſeriæ. Poſt menſes octo reviſit officinam ſuam periodicus hic dolor, prorſus eodem, quo antea, loco, acceſſu, & receſſu, intenſiore tamen gradu & mora. Atque ita porrò totis XXIII. annis iſte carnifex me trimeſtribus & quandoque brevioribus vicibus, graviter excruciatum ſæpius ad tædium vitæ redegit. Nam tanta fuit paroxyſmorum vehementia & diuturnitas, poſtremis præſertim annis, ut ejulatus torturâ expreſſi viciniam moverent ad congemendum, & ſociæ deprecationes ab Eccleſia fuerint expetendæ; Jam intra primum ſexennium, Medico funeſtè ominante, & ſuadente, quod me funeri pararem. Verùm Deo viſum erat perficere virtutem ſuam in mea infirmitate. Cum caput

put primùm purgaretur ab acribus humoribus, præſens erat Levamen. Sed eadem medicina recurrenti oppoſita malo, juvit nihil. Occaſioni autem recidivis doloribus fuit, ſi in catarrho fortius ſternutarim, aut emunxerim, ſi ab aſperiore vento frons refrixerit, ſi caput in ſomnis ſitu proniore jacuerit, ſi mitella dormienti deciderit: Denique & ad leviora errata ſenſi primùm ſub pericranio, circa locum dolentem, ſtricturas acutiſſimi, & per varios anfractus ſubitò diſcurrentis doloris, ad inſtar fulgurationis; mox ocularis muſculus rubebat, deinde tumens & convulſus movebatur involuntariè, per elevationem & ſubſidentis cutis depreſſionem: Tandem ſuperveniebat lancinans & ad rhythmum cordis pulſatile malum, intra ſex & octo horas deſæviens. Quid judicaverint ſuper eo tres Excellentes Medici, quorum memoria in bènedictione eſt, genuinis eorum verbis adſtituam. Sic autem cenſuit Sagax B. Timæus.

Dolor in ſupercilio dextro per intervalla recurrens, mirabilis ſane eſt, nec à quoquam ſeu Veterum ſeu Recentiorum Medicorum, quantum mihi quidem conſtat, obſervatus. Ad cephaleam referri non poteſt. Hæc enim totum caput, vel maximam ejus partem, occupat. Multo minus ad Hemicraniam, quæ dimidiam affligit, cum iſte dolor tantum in ſupercilio terminetur & in brevi ejus vicinia. Etſi enim & in pericranio aliqualis dolor percipiatur, obtuſior tamen ille eſt, nec ad vehementiam iſtarum accedit. Ex qua cauſa proveniat, valde obſcurum eſt; nec ſatis liquet, Humor ne ſit, an Vapor, ſive flatus, Vaporem quidem innuere videtur ſubita doloris invaſio, partis affectæ intumeſcentia, vertigo, ructus, & quod ex litu olei ſtillatitii Cumini, cujus in diſcuſſione vaporum & flatuum magna vis eſt, cito abſceſſerit malum: Sed repugnat doloris, qui ad octavum uſque vel decimum diem extenditur, perſeverantia. Equidem (ſalvo a. j.) ab humore & quidem ſanguine bilioſo, fervido, acri, & ſero ſcorbutico diluto, malum hoc excitari vel inde conjicio, quod dolor eſt acutus pulſatilis, quod pars affecta rubet, quod ſubpreſſo ſanguinis ex cavo dentis conſueto effluxu & frequenti narium hæmorrhagia demum inceperit, & poſtmodum ſcarificationibus & phlebotomia abactus fuerit. Motus muſculi in ſupercilio, qui tempore paroxyſmi modo ſurſum, modo deorſum, præter voluntatem trahitur, etiam renitente ægro, convulſivus eſt & ab eodem humore, ſingulari acrimonia prædito, partes fibroſas & nervoſas irritante, excitantur. Animi deliquia à doloris vehementia Spiritus diſſipante, proveniunt. Stomachus nauſeat vomituriens,

tractis in conſenſum ventriculi membranis, & commotis humoribus à quorum evaporatione & vertigines ſuboriuntur. Hoc in anteceſſum de cauſis conſignare volui. De remediis coram inter nos - -

Sequitur Epiſtola medica C. D. Joh. Sigiſmundi Elſholzii.

Nobiliſſime atque Conſultiſſimè Vir, Domine & Amice honorande, Litteras tuas de pertinaci tuo affectu accepi, legi, expendi. Sententiam ſuccinctam accipe ſuper malo quod ob aliquot circumſtantias trutinam meretur. Ad Hemicraniam autem referre morbum nullus dubito: Sive enim partem affectam ſpectes, ſive doloris magnitudinem, ſive motum periodicum, omnia conveniunt. In hemicrania aut afficiuntur integumenta & pericranium, aut menynges, & ſi quæ ſub cranio reſtant partes membranoſæ, exquiſito ſenſu præditæ. Extenduntur autem tam pericranium quam menynges non tantum per occiput ſinciputque univerſum; verum etiam per frontem & cavum oculorum, & per ipſa ſerpunt tempora. Tibi autem pericranium potius affici arguit dolor, non profunde aut intra cranium latens, ſed ſubcutaneus: & quantum etiam mihi dum nuper hic decumberes, obſervare licuit, dolore, malo adventante, incipiebat occiput parte dextra: Mox dolor prorepens non tam ad verticem, quam vicinum ſinciput, inde tela ſævitiæ ſuæ per frontem ad oculum uſque dextrum jaculabatur. Dimidium itaque tibi caput ante & retro, ut in Hemicrania fieri conſuevit, affici manifeſtum eſt. Enimvero, quamvis circa oculum magis intendatur dolor: Intenſio tamen illa in una parte major quam in alia, totam morbi ſpeciem variare nequit. Quin imo tam in Cæphalæa, quam Hemicrania dolores ad oculos uſque pertingere ipſe Galenus aſſeruit, L. 3. de Loc. affect. c. IX. ubi materiam hanc ex profeſſo tractat.

Conjicere præterea licet, quotieſcunque pericranium circa occiput ſinciputve ſolum afficitur, humoris peccantis minorem adeſſe copiam & dolorem propterea magis tolerabilem. Quodſi humor augmento ſumpto in frontem uſque effundatur, dolores quoque inde augeri oportet: Neque mirum, ſi in muſculo tum frontali tum palpebrarum clauſore magis quam in locis, ubi muſculi deſunt, ipſi figantur, majoremque ibi Tyranidem exerceant. Ad cauſam quod attinet, Sanguinem

nem eſſe bilioſum & acri ſero dilutum ſtatuo: acrimoniam vero is omnino debet vitio hypochondriorum, & ſcorbuticæ corporis diſpoſitioni. Porrò quæ tum de muſculi motu convulſivo, tum de animi deliquiis & ventriculi nauſea, durante Paroxyſmo in addita caſus reſolutione dicuntur, tam ſunt egregia, ut addere quidquam non opus ſit.

Cauſa vero intervallorum latet in humoris peccantis tardiore vel celeriore congeſtu, ejuſque motus ac quies â cauſis externis, quarum magna eſt varietas, dependet. Accumulata vero ſufficiente materia, atque commotâ, oritur paroxyſmus: nec tamen una vice tota commovetur materia, ſed ſingulis diebus aliqua ejus portio, quanta quidem per 6. aut 8. horas Morborum medicatrix natura diſſipare valet. Poſteaquam autem congeſtus ſemel humor, dicta ratione per vices intra decem circiter dies abſumptus fuit, quies menſis unius aut plurium pro ratione victus & rerum externarum intercedit.

Verum, quæ ad γνῶσιν *morbi pertinent, jam legiſti. Prognoſtici verò & curæ proculdubio majorem habiturus es rationem. Utinam autem Tibi tam facilem polliceri poſſem, quam tu deſideras! Profecto ſi origo in hypochondriis & ſcorbutica diſpoſitione latet; perfecta ſalus ſperari vix poteſt, niſi ea prius corrigantur. Si per occupationes licet, ut fontes medicatos adeas, auctor ſum: Si minus, ut de ſuccedaneis domi adhibendis cogites. Inſuper hoſtem prævertere, & materiam cumulatam antequam effervеſcat, diligenter eliminare conveniet. Arce enim occupata difficilior victori. Spes ſalutis maxima in eo etiam ſita eſt, ſi Natura hujus viæ pertæſa aliam ſibi ipſa pararet, per hæmorrhoides puta ſtato tempore fluentes, aut per narium olim uſitatum fluxum, aut quavis alia ratione. Quorſum ſpectat itidem illa Tibi per cavum dentem quondam conſueta hemorrhagia, cujus ſuppreſſio non levem malo huic occaſionem præbuiſſe videtur. Invenio enim apud Hildanum Cent. 2. Obſ. 10. hiſtoriam Hemicraniæ per extractionem dentium ejuſdem lateris feliciter ſanatæ, & apud Horſtium L. 2. Obſ. 25. habetur Exemplum Hemicraniæ cum intumeſcentia gingivarum. Ad medicamenta autem particularia nunc non deſcendam, meo me officio functum arbitratus, ſi intento ſaltem digito curationis ſemitam monſtrarem, aut quæ à me in anteceſſum dici poſſent hac Epiſtola abſolverem. Si quid ſuperat & ſi quid*

præterea à me requires, dabo operam, ut quantopere te æſtimem percipias. Ex voto vale & ſalve à

T. Obſervantiſſimo

Berolini d. 15. Febr. Anno 1667.

Joh. Sig. Elsholtzio.

Subjungimus Conſilium aurei & divini Senis D. Martini Weiſii, collectum ex Epiſtolis ejus aliquot.

Nobiliſſime & Conſultiſſime Vir, Domine & Amice plurimum honorande.

Subitum & inopinum quoddam iter intercepit Prolixiores de Tua valetudine cogitationes, & adhuc prohibeor à ſerio caſus Tui examine: ut tamen videas quanti te faciam, præcipito potius Reſponſum & ſaluti tuæ quantum licet ſuccurro. Ac primò quidem conſuetam aliquam in corpore humano, cujuſcunque ſeu naturalis, ſeu præter naturalis humoris evacuationem, per aliquót annos naturæ familiarem, poſt hac ſuppreſſam, mirabiles cierè non raró turbas, Medicis cordatis non eſt incognitum. Quadrienalis tua tum per ſuctionem ex dente cavo ſanguinis excitata fluxio; hæmorrhagiæ per nares uſitatæ ſuppreſſio, ſine omni controverſia multum conferunt ad periodicam doloris tui exacerbationem. His ſi jungas naturalem aliquam capitis imbecillitatem, errores diætæ, lucubrationes, intenſiores in ſublimioribus ſtudiis cogitationes, aëris maritimi injurias, animi perturbationes, parum aberit quin cauſas morbi ſufficientes reddere poſſis. Periodorum autem cauſæ in materiæ cita vel tarda accumulatione, ejusque motu vel quiete, cauſiſque externis quærenda eſt.

Auxilia, quod attinet, multum profutura eſſet hæmorrhagia narium, ſi natura vel ſponte eo ſe convertere vellet, vel blanda irritatione admonita, ſunt, qui Errhina & frictiones narium fl. lil. conv. fol. beton. rec. & ſimilia adhibent. Scarificationes, *ſine nimia incaleſcentia capitis peractæ proderunt. Venæſectio non debet nimis eſſe crebra: veſicatoria in nucha vel poſt aures magnitudine thaleri poſita, doloris initio utilia erunt, ſed per menſem aperta ſervanda. Sternutationes nimis commovent cerebrum, ideo non probantur. Balnea*

nea erunt plane inutilia ut & omnes capitis lotiones. Fonticulum in brachio dextro etiam atque etiam probo, quantocyus ponendum, & deinde in fluxu ſollicite ſervandum. Stillicidio parum vel nihil proficies. Hæmorrhoidum apertio, ſi natura eam moliretur, juvaret. Conſilium thermas adeundi depone; Præteriit tempus anni quo prodeſſe ſolent. Alvus, imprimis ad præſervandum in officio continenda.

℞ *decoct. prun. dulc. cum Tart. alb.* ʒjs *parat.* ℥v. *In hoc ebulliant fol. Senn. el.* ℥s. *Sem. anis. Cinam. acut. an.* ʒj. *Flor. Cord. à p. I. colaturæ* ℥iij. *adde Syr. roſ. ſol. Mann. à* ℥s. *M. F. potio tota haurienda & ſeptimo quoque die repetenda. Intra ſextiduum interjectum tranſmiſſarum pillularum VII. quotidie ſunt deglutiendæ in vehiculo naturæ grato, obſervato ad horas V. jejunio. Porro die octavo Lambatur electuarium.* ℞ *Conſerv. fl Borrag. Cichor. Helen. a.* ℥j. *Cochlear. byſſ. à* ʒvj. *ſpec. lætif. Rhas.* ʒij. *Conſ. Alch.* ʒj. *Sp. Sal.* ℈s. *cum Syrupo Byzant. F. Elect. Conſummatâ autem per menſem hac cura, doceri cupio de effectu. Quæ alterationis & confortationis gratia adhibenda ſunt, poſt hac in chymicâ forma præſcribam: rationem Tui & ulterius habiturus pro merito tuo, dumque vivo non deſiturus inveniri.*

Berolini 27. Apr. 63. Tui amantiſs. Weiſius.

Scripſeram & ad Burrhum, cujus tunc inſignis erat fama, ſed ille Epiſtolâ ænigmaticâ quali ſuperiori ſeculi Paracelſus Eraſmo reſponderat, neſcio quid de morbo aſtrali, & ſua juvandi potentia, ſi proprior eſſet, & ad aulam noſtram accieretur, me ſuſpendebat. Occluſerat Literas Amſteledamo ſcriptas gemmâ, tauri figuram eleganter inſculptam habente.

Sed revertimur ad hiſtoriam, nocentia tandem & juvantia memoraturi. Sudorifera parum profuerunt, nec poſſum affirmare, ſaltem mitiorem gradum doloris per ea obtentum eſſe: Vires exhauſerunt certius. Errhina noxia comperta ſunt: Nam ſternutatio crebrior, & violentior in catarrhis invitavit plerumque mali reditum. Venæſectio multoties ſalutaris, ſi larga fuit; Sed dolebant plerique, fundendum eſſe gratis pulchrum liquorem, quem tamen B. Timæus arbitrabatur peccare nimia laudabilitate. Scarificationes in tergo, maturè & fortiter inſtitutæ recens adhuc abegerunt malum, radicatum mitigarunt. Jejuno, an cibus refecto ventriculo, plus ſævierit, neſcio. Cùm

acceſſum

acceſſum minitaretur, ſtatim curabam caput radi novaculâ, ut in paroxyſmo commodius fricari poſſet; quod peragebatur primùm unguibus, denique pectine ſetaceo. Cumque id ſæpè per 14. & 20. dies repeteretur, cutis tandem tangi nolebat: atque ita ceſſabat & hoc diverticulum. Sed & ideò ponebatur coma, ut natura novo capillitio impenderet humores Tyranno noſtro fortè famulantes, aut ſuperfluos. Guttula de oleo cumini veſtita ſerico & nari dextræ indita, ibique per noctem fixa, liberationem attulit, ſed tantum ſemel, præſentem. Veſicatoria, in confinium licet loci affecti applicata, vix bis, aut ter abbreviarunt dies tribulationis: nec poterant ab exſiccatione defendi. Pedilaviis uſus ſum nullo penitus ſucceſſu. Fonticulus primus in brachio dextro excitatus, intervalla morbi protendebat, ſed poſt annos VII. deficit ipſi latex: cumque grave videretur nullo ſenſibili levamine tot moleſtiis circa eum defungi, paſſus ſum ut ultrò ſe occluderet; Excitato mox alio in nucha, ſed obligatu difficili & mox neglecto. Poſt annos aliquot recluſus eſt non ſolùm primus, ſed & in ſiniſtro brachio novus apertus: Quorum quia operæ pretium neuter faceret, captabam articulum, cùm maximè prurirent, totaque manu tunc iis incumbens, forti frictu multum ſanguinis elicui. Poſt hæc de ſetaceo, &, ſi nec eo quid proficeretur, de Fonticulo capiti in commiſſura coronalis ſuturæ cum ſagittali inurendo, cogitabam, de quo obſ. LXXXI. Anni III. Decad. I. me ferè confidere juſſerat. Præterea reſtabat arteriotomia, non inſolens hemicraniæ remedium. Atque offerebat ſeſe balneator quidam dejerans, ſe ſocrui ſuæ, aniculæ ad delirium vergenti, quot annis in temporibus arteriam aperuiſſe, ſecurum conſolidationis, quam & nullo negotio obtinuerit: & id fieri poſſe, & tutum ſatis eſſe, teſtabatur Medicus quidam Stralſundenſis, D. Hornius. Nec diſtuliſſem has uſtiones & ſectiones, niſi ſuperveniens quartana, ſi non perfectæ curæ, ſaltem induciarum ſpem feciſſet, deinde & bonam fidem. Nam iis fruitus ſum menſibus fere XVIII. Pulmenta, illitus, & quicquid hujus eſt, jactatio capitis hærere diu non tulit: acerbiori ſemper viſo malo, ſi transſpiratio impediretur; Spongia ſicca & tepida demulſus eſt locus dolens, oſtenſo divergio ab oculo ad aures, ſi migrare voluiſſet, in locum ignobiliorem. Quin & chalybeo cum cochlea ſtriatâ parato circulo, caput ambiente, conſtrinxi doloris centrum forti compactu, ut ſtupor induceretur; Sed & iſta compreſſio majus minabatur & præſentius à Lipothymia periculum. Potiunculam opiatam in ſtatu intolerabili, cum, indignante B. D. Timæo, quaſi ex diffi-

dentia

dentia in providentiam ſuam, ſorbere in triduum diſtuliſſem, hauſi tandem, ſed tantum dimidiam: ea vero vomitu ſtatim rejecta: ſed nihilo ſecius poſt formicationem hebetudinem ſenſuum, à pedibus ad infimum ventrem induxit.

Solatio in tanta miſeria erant, reperti mihi aliquot malorum ſocii: neque enim ſolus tot annis & præcipuus excrutiabar. Compatiebatur mecum Crojani Principis quidam Capitaneus, cujus fronti pharmacopoeus Cöslinenſis emplaſtrum de Euphorbio affixerat feliciter. Matrona etiam nobilis de Zaſtroviorum gente evulſione ſinceri dentis pacem obtinuerat. Alibi Miniſter verbi herbas contudit olentes, & repetitâ impoſitione ſanatus eſt. Anno 1669. Vir Illuſtriſs. D. Bartholino in Dania oblatus erat, eadem ſingulari HEMICRANIA correptus, cui medelam attulit venæſectio & compreſſio partis dolentis. Vid. Ephem. Germ. Dec. I. Anno I. p. 149. Et quod mirandum, ipſe N. Timæus ſeriò affirmabat, dum cauſam morbi trutinaſſet cogitatius, & remedia profundius expendiſſet, ſe ſubitò invaſum per bihorium ſuſtinuiſſe, exquiſitiſſimos ſuper oculo dextro dolores; jocatus deinde: Me habere Medicum, qui poſſet συμπαθεῖν, pariter mecum tentatum. Hæc Exempla ſpem utcunque alebant; cumque pridem cucurbitularum ſuctu pericranio ſubcutaneus ſanguis eſſet revulſus, modico levamine; repetii tandem conſilium ſed in ipſo paroxyſmo, & in ipſa Regia Tyranni, octo hirudinibus validis & famelicis diſpoſitis, ut autem ex tubulis ligneis prorepentes in cute ſpicula ſine errore defigerent, ſignavi unicuique guttulâ calidi ex gallina recens jugulatâ ſanguinis punctum ſuum, quod prægustatum, ſtatim avidè tenuerunt; Una ex tribus ſub oculo ſugentibus, arteriolam tetigerat, unde brevi cruoris plena, non tamen decidebat, ſed erecto capite vomebat, quod extraxerat, ſtatimque gracilior, & in vulnus prona repetebat officium aliquoties. Tandem fatigata deſeruit vulnuſculum, unde velut de ciſternula inſtar ſubtiliſſimi fili proſiliit adhuc per quadrantem horæ floridiſſimus atque idem dulciſſimus ſanguis, guſtu à me, ut olim in venæſectionibus, exploratus. Remotis ſanguiſugis, cum impedirem ſollicitè vulnerum coitum, manavit ſanguis tribus adhuc horis calida & humente ſpongia provocatus, ita ut tota evacuatio conſtiterit, circiter ſex unciis, ſine notabili virium defectu peracta. Sequenti mane, pridiani doloris furor miteſcebat, & infirmabatur adeò, ut poſt triduum penitus diſpareret. Menſe deinde elapſo, cum ſolitâ ceremonia ſe de novo ſiſteret pertinax

malum, itum eſt ipſi, non expectato aggreſſu, obviam, prorſus pari proceſſu, & repetita ſubtractione materiæ, in quâ tot annis ſævierat:

Atque ita deſæviit, nec (Præfiſcini!) rediit intra annos XXII. licet ſubinde veſtigia relegerit & oſtium pulſaverit. Evenit itaque mihi poſthac non ſemel, quod Maximiliano Imper. qui precaturus, quoddam in Hungaria Sacellum ex itinere ingreſſus, turbatus eſt Ziſcæ, Huſſitarum Ducis ad parietem collocata imagine, moxque præceps exiens & cruce ſe ſignans, *Beſtia*, dixit, *etiam mortua terres.* Certè poſt ejectionem ſupercilium, eam circumvagari, & vim novam parare, perſæpè exterritus ſenſi, nec ſum auſus, niſi crebrius interrupto textu, relationem hanc abſolvere; veritus, ne Natura ipſâ reminiſcentia ad reagendum errores ſuos, invitaretur. Stetit tamen hactenus, per Dei gratiam, intra minas revertendi, conatus. Tandem certior conſummatæ & Divinæ curæ, abſolvi fallendis quondam doloribus cœptam conditi in Sepulcrum Salvatoris picturam, quam deinde Colbergæ in Templo maritimo, proxime ſuggeſtum dedicavi, cum ſequenti Epigraphe.

JESU CHRISTO
Viro dolorum
Votivam hanc Tabulam
Liberatus
ſua manu
pinxit & poſuit
Joh. Gebhardus Rabnerus
cIↄ. DC. LXXV.

Defecit in dolore vita mea,
Et anni mei in gemitibus.

P. S.

Oblitus ſum in Relatione hac mea meminiſſe, morbum hunc cum ſanguine traductum in Filium Erneſtum Rabnerum, qui vix duodecennis, graviter eò eſt excruciatus, ſubductus tamen malo poſt triennium, morte immatura, quam in Academia obiit, florentiſſimus.

Obſer-

Obſervationes Parallelæ,

in

Ephemeridum Curioſorum DECAD. I. ANN. I.

&

DN. D. GEORGII DETHARDINGII

Archiatri DUCUM MEGAPOLENSIUM otio Decennali MSC. reperiundæ,

à

FILIO homonymo, Roſtochii Profeſſore Publico, collectæ

AD OBSERV. I.

Vocabar Anno 1681. die Januar. 29. ad fæminam, gravidam à Conſanguineis habitam, à Feſto, quod ipſa cum aliis volebat, Purificationis Anni præteriti; ac illud quidem confirmare videbantur, tumor Abdominis ſenſim ſenſimq; excreſcens, motus ſenſilis, ac (hoc Signum tantum non apodicticum Mulierculis eſt) Lac in mammis propullulans. Aſt, quod Tempus ingravidationis longe ordinarium ſuperaverat, patiens Hypochondriaco affecta morbo, Abdomen circa præcordia magis ac quidem Pubem tumidum, motus non niſi in Latera ſeſe volvente ægrota, menſtruo fluxu, minori quamvis in quantitate rythmum ſervante, falſum de Conceptu Conceptum Volatilibus diureticis maritatis, feliciter ſatis proſtravi.

Ad OBSERV. XXIV.

ODontagra ad quod ſubditos ſuos non adigit? Diu Tyranno hoc vexatus Coquus quidam, ac jugi tandem pertæſus, evellere dentem Chirurgum jubet, qui ut more ſuo, facilem ſe præbet, dentapurga moleſtum imperium excutere aggreditur, imo excutit. Aſt quo cum commodo? Qui doloris ſatis periculi parum tulerat Patiens, dolore remittente periculo ſummo ſeſe expoſuit idem, dum Hæmorrhagia inde gravis haud vel à Chirurgo tremente, vel aliis adſtantibus in medium prolatis remediis auſcultare voluit. Et me tandem in Conſilium vocato vix Vitriolo cyprio tincto cavitati immiſſo illam cohibere potui,

donec repetito hoc pharmaco tandem cicurata, Patientem æque ac Chirurgum quanta facilitatem ſuam ſequi ſoleant incommoda, docuerit.

Ad OBSERV. XXX.

SEptuagenariæ Hollandæ, quam ex Bartholin. Cent 1. hiſtor. 78. in Scholiis hujus Obſervationis affert Sachſius, pingere ère erit, ut annis ſic morbo parem, quamvis natione ac fide Germanam, quæ per totum vitæ ſuo curriculum Gangliis anxiè preſſa, unum tandem ex illis in Vertice ſitum, incidi voluit. Dictum factum! Aſt, quanta metamorphoſi, Chirurgus ſubſtantiam in hiſce tumoribus alias hærentem, removere ſedulus, non ſine circumſtantium riſu, cornu offendit prædurum, magnitudine articulum Pollicis æquans. Quod cum & Ego digitis leniter contrectare vellem, en! leniori motu ſponte quaſi ſecedebat, non præter domicilii ſui ſpectabile admodum veſtigium in oſſe aliud relinquens; Quod mireris, Familia, ex qua hæc cornigera noſtra, omnis Gangliis obnoxia eſt, ut & in Signum veræ Prolis abierit!

Ad OBSERV. LVIII.

MOrtuum Apoplexiâ Paſtorem ex ſcabie retro pulſa hæc Obſervatio cum loquatur, addere placuit eâdem ex cauſa, quamvis haud exſpirantem, difficulter ſatis ſpirantem, Alutarii hujus Loci viduam. Hæc tuſſi ferinâ vexata, Pharmacopœum (ut ſolet in morbi primordiis vulgus inconſtans) adit, ac medicamina tuſſim reſpicientia aufert; Aliquot poſt dies prorumpunt Puſtulæ ſero tumidæ, collum, humeros, pedesque occupantes, quas cum comitarentur Ardor intenſus, noctes inſomnes, ſerò ſapiens ad mea conſilia confugit, ac præviâ morbi & remediorum aſſumptorum confeſſione opem meam implorat. Conſenſi, ac infuſo laxativo, tum ardorem reſtinguentibus externis ut & diaphoreticis affectum impugnavi; His ſemi-reſtituta, remediorum æque ac diætæ reſpuens uſum, ſcabie externis ſolis retropulsâ denuo à Pharmacopoeo miniſtratis, aſthmatica facta, difficili ſpiritu erroris inſaniam ingemuit.

Ad OBSERV. LXII.

IN audita, hinc apud quamplurimos, qui non niſi ſibi fidunt, prodigioſa vocata, degenerare tandem in rara ſolent. Nec in tantam amplius admirationem ſeu ſpectatores ſeu Auditores rapiunt, frequens ſi obſervationum fiat Copia. Eadem Fata præſens Obſervatio videtur obtinere, dum parili hiſtoria illam confirmare poſſum. Fæmina Generoſo viro nupta primipara, menſe quo gravida ſeptimo circa finem, doloribus partus i. e. gravisſimis corriptur: proſiliunt Aquæ, ſed & caput infantis crinibus ſat pro mole longis tectum prodit. Quis non inſtaſſe Partum pronuntiaſſet? Adſtans Obſtetrix & hujus opinionis, foetu non ultra prodeunte, conſueta ſibi & uſu familiaria facta remedia, ad fœtum quod volebat expellendum idonea propinat. Degeneraſſe dixiſſes hæc ipſa Pharmaca, cum fœtus loco excluſionis ſperatæ, prima potius quæreret Latibula, tamque firmiter illa teneret, ut poſt ſeptem demum Hebdomadas prodire ac fortiori quaſi ſaltu palæſtram hanc mundi ſemel viſam intrare volupe fuerit. An ex hâc Obſervatione telum enaſcitur illis, qui pro omni fœtu ſeptima menſe egreſſum moliente ſub vexillo Galeni, tanquam pro aris & focis militant?

Ad OBSERV. LXX.

VIr quadraginta circiter annorum, evſarcos, ſtaturæ proceræ ac, quod Caupona muneris requiſita alacriter ſatis expediens, moleſtos ſibi milites vi domo arcendo, gladio vulneratus ſanguine affatim profluente, tertio poſt inflictum die obit. Reſerato, Magiſtratu id jubente, Pectore, vulnus quintam inter & ſextam coſtarum penetrans, ad unciam Pulmones læſerat. Aſt quid Pulmones dico? Potius Corpus Fungoſum ac ſpongioſum eorum locum occupaverat, nullo modo, quâ vi vel artificio id tentatum fuit, aëri obſequioſum, omni ſanguine vacuum. Hos inter pulmones ſpurios, cor ut magnitudinis ſtupendæ, ſic craſſitiei latitabat inſolitæ, pericardio craſſiſſimo ſubſtantiæ memoratæ firmiter adhærente undequaque cinctum. Lubuit, reſecatis quæ id ligare ſolent, pariter hic majoribus vaſis, Sanguine exhauſtum, ſtaterâ examinare, ac hoc modo pondus unciarum quatuordecim & dimidiæ æquavit.

AD OBSERV. LXXXIII.

AUgeat incongrua comedentium numerum Gravida nec ex animali nec ex minerali regno delicias ſuas quærens. Majoranæ exſiccatæ herbâ contenta; modo enim ingravidata hâc ſaturari cepit, & cum foetu excluſo hunc appetitum tandem depoſuit.

Ad OBSERV. C.

GAudent Fœminæ fœminarum conſortio, ergo & huic jungam Formoſam Generoſi cujusdam Conjugem. Quæ à Viro libera, libera pariter à Dentium fuit cruciatu: Sed quoties gravida facta, toties paucis ante puerperium inſtans ſeptimanis molarem non ſine acutiſſimo dolore dentem numeravit novum: Hæc quoque eſt, quæ maſculo prægnans biduo ante puerperium monachum cucullatum, ſeu fœmellam alba veſte indutam in ſomno viſa eſt veſtalem.

Ad OBSERV. CXLI.

AMpliſſimo Diſcurſui de Lactis uſu in Arthritide hoc unicum addere placet, quod vir quidam Arthritico dolore ſed & ad eandem remediorum uſu ſatis exercitatus, lotium obſervavit, dum lactis cura uteretur ad ſecundam noctem matula exceptum inſtar coaguli lactis incraſſatum.

Ad OBSERV. CXLI.

CUm omnes omnia ferre haud queant, emplaſtro in obſervatione notato aliud addere lubuit de cujus virtute, ut plurimi arthriticorum hujus loci ſibi gratulantur, ſic inter illos vir quidam in ſumma dignitate conſtitutus Dn. H. S. ad hocce ſimulac dolores prodromi futuram annunciant podagram, tanquam ad Aſylum confugit, & ex impoſitione dolores primo majores, mox tamen intumeſcente parte affecta illorum remisſionem percipit. Compoſitio hæc eſt. ℞. Cer. Flav. ℥xj. Colophon. Bdellij. aa. ℥ix. ſuccin. citrin. ℥iij. Gumm. Ammoniac. in acet. ſolut. terebinth. alb. aa. ℥ij. Galban. in acet. ſolut. Sandarac. aa. ℥j. Maſtich. thur. aa. ℥ß. miſc. f. l. a. Empl. Nec reticendum (imitationi

tationi

tationi forſitan aliquando erit locus) cum modo memoratus vir conſultisſimus, doloribus arthriticis ſubito correptus, iter admodum neceſſarium ingredi deberet, præſentaneum voluerit remedium antiarthriticum. Suaſi Empl. veſicator. ut apponeret, & dicto citius ceſſarunt dolores ac iter fauſtè eſt ingreſſus.

Ad OBSERV. CXLV.

ABſceſſus in inguine fœminæ ruſticæ in memoriam mihi vocat tumorem in eodem loco ancillæ cujuſdam dudum Cachecticæ: hæc plurimis aliis jam vexata morbis obſervat tumorem in dextro inguine ſe ſe elevantem, ſed quia doloribus hactenus expers, ſuſque deque illum habet, tantum non negligit, donec morâ incrementum ſumendo, mole formidoloſus apparuit, vocatur ergo chirurgus, qui cataplaſmate ex emollientibus parato rupturam urget & obtinet, inſimul verò fores pandit vermibus acervatim prorepentibus, quorum excluſionem vino aloe imprægnato ex conſilio meo felicisſime promovit, ægra his hoſpitibus ingratis excluſis, convaleſcente. An hi vermes in loco tumoris fuerint nati? An verò inteſtina perforando huc tandem appulerint? An etiam extra inteſtina generari vermes queant? Quæſtiones haùd omninò ſteriles forent, modo easdem fuſius exponere è re jam eſſet: hoc tamen addam, me aliquando in cane vivo diſſecto, ſimulac abdomen fuit apertum, in convexa hepatis parte lumbricum repentem ſat vegetum quadrantis ulnæ circiter longitudine non ſine animi oblectamento obſervaſſe.

Ad OBSERV. CXLVIII.

QUod de Axungia Norvegica affertur experimentum, Bufonibus ſcilicet illitam citò ipſos jugulare, id cum quavis axungia etiam noſtrate inſtitui ac idem effectus obtineri poteſt, quemadmodum hanc experientiam ex plurimis actibus ſat firmam didici. Nec tamen mihi omne dubium eximere potui, (cum quosdam in loco ubi id tentaveram, altera die non invenerim) an omnimodo jugulati dici posſint bufones, an verò illis obtingat quod muſcis pipere vel cereviſia necatis, quæ vel ſpontè, vel cretæ aut cineribus calidis involutæ ad ſe redeunt.

Ad

Ad OBSERV. CLVIII.

SUperpondij loco (haud enim de calculis pulmonum tum in vita rejectis, tum poſt obitum repertis, quiſpiam vix ſcepticus dubitabit) jungere placet Virum quondam conſultiſſimum & paulò ante obitum Sundij Conſulem dignisſimum D. D. P. qui olim gravisſima tuſſi vexatus, calculos minutos ex pulmonibus in copia ſat magna excluſit.



HISTORIA
Epidemica Germaniæ.

Conſtitutio epidemica Auguſtana Anni 1697.

DN. D. LUCÆ SCHROECKII,

Academiæ Cæſareo - Leopoldinæ Naturæ Curioſorum PRÆSIDIS.

QUam Morbona Anno elapſo ad finem vergente quietem Medicis Auguſtanis conceſſerat, multam hoc quoque continuaverat, ita ut licet morbi aliqui epidemice Urbem infeſtarent, raro tamen multos invadere deprehenderentur. Morbilli inprimis & Variolæ tum benigniores, tum confluentes, gravibusque ſymptomatibus ſtipatæ, puerilem æque ac juvenilem ætatem invadebant, & cladem ijsdem inferebant. Dn. G. mercatoris filiolus novem annorum, cum Variolas feliciter ſuperaſſet, paulo poſt menſe April. in tres etiam ſorores fratremque octo annos natum contagium derivaverat; inter quas ſororcula triennis, ad medicamenta ſumenda difficilis, atque puſtulis non adeo multis licet laboraret, ob craſsæ lymphæ bronchia obviſcantis abundantiam gravius reſpirans, nec non cephalalgia intenſa, cum ſubſequo ex aure dextra purulenti humoris, parciori tamen effluxu tentata, accedentibus convulſionibus ſenſim defecit; in altera autem ſorore, decimum ætatis annum agente, non admodum ægrotare viſa, variolæ quidem plurimæ, nec difficulter prodierunt, ulla tamen arte, in juſtas puſtulas extolli atque ſuppurari recuſarunt, ut & ipſa tertia hebdomade obierit; tertia vero ſoror ſedecim annos nata, atque confluentibus Variolis obſita, de intenſo totius corporis ardore, quem & ipſe rubens cutis color teſtabatur, potisſimum conqueſta, feliciter emerſit; cumque ipſe frater, qui Variolas diſcretas mediocri numero effloreſcentes, nec ſymptomatum aliorum concurſu graves licet pateretur, decimo tamen à decubitu die, magnam narium hæmorrhagiam ſubijt, quæ per quatriduum ſubinde recurrens, Variolarum tamen neque ad interiora regreſſum, neque mortem induxit, ſed temperatiorum emulſionum poſt uſum ceſſavit, quam,

quam, Variolis jam exſiccatis, icterus plurium dierum excepit, à quo juſculis, herbis recentibus bellidis &c. medicatis ſenſim convaluit.

Pleuritides etiam veræ, & Peripneumoniæ, in principio ſi negligebantur, ſenibus inprimis funeſtæ; quin & Catarrhi graviores faucibus moleſti, ac fere ſuffocativi, Tuſſesque humidæ notabantur: in illuſtriſſimo quodam Barone fauces conſtringebantur, ut ſuffocationis in periculo verſaretur, cui Elixir proprietatis Claud. cum ſpiritu cornu cervini mixtum præſentaneam opem præſtitit, & recurrentem aliquoties inſultum potiuncula laxativa, ſubductis ſeroſis viſcoſitatibus, penitus abegit. In alijs decocta herbæ veronicæ, radicis liquiritiæ, ſeminis aniſi &c. aliaque ſerum ſtagnans diſſolvendi vi pollentia, & quæ illius abundantiam blande eliminabant, laxativa ſe commendarunt. Nonnullis facta ſeroſæ materiæ in ventrem inferiorem metaſtaſi, cum ſubſequa diarrhæa, aut febre tertiana, morbus fuit ſolutus; quidam virili in ætate conſtitutus, cum faciei intumeſcentiam, intenſo calori, cephalalgiæ & virium debilitati junctam incidiſſet, paulo poſt, à propinata bis ſudorifera potione, ceſſante tumore atque dolore, ſerum peccans inde per anteriorem corporis partem defluere, ſcrotumque in molem inſignem extendere ſenſit, eodem tamen tumore, poſt propinatum binis ſolum vicibus diaſcordium Fracaſtorii, alvumque ſicciorem per folia ſennæ prunorum Damaſcenorum decocto infuſa reſeratam, à cataplaſmate ex reſolventibus & diſcutientibus pulveribus cum lacte coctis parato, facile iterum evaneſcente.

Ut porro Arthritides vagas, Iſchiadicos dolores in Anni præcedentis exitu memoratos, & hucusque urbem infeſtantes taceam, Febres etiam ardentes in puſtuloſas ſæpe & maculoſas efflореſcentias, non absque malignitatis aut contagij nota, & cum dorſi præcipue ac capitis magno dolore in principio conjunctas, abeuntes; præcipue autem, præter erraticas, quotidianæ ac tertianæ notabantur; quæ cum primum invaderent, continuarum in aliquibus metum, vehementi ſuo calore, cephalalgia, delirijs ac virium debilitate, incuſſerant, brevi autem tempore, à propinato, varia ſub forma, chinchinæ cortice, &, ſine quo difficilis ac fere fruſtranea reddebatur cura, interpoſito quandoque blandiorum evacuantium uſu, absque recidivæ metu, nî gravis in diæta error committeretur, receſſerant; prout nec continuæ febres, bezoardicis & diaphoreticis continuatis haut immorigeræ, perfectam ſanitatem ſemper admittebant, niſi ſuperſtitem vitioſæ lymphæ abundantiam, ventriculo inprimis atque inteſtinis moleſtam, in fine morbi

Leniti-

Lenitivis commode educere ſtuduiſſem. Nobil. Matrona, floridæ ætatis, ſanguineæque conſtitutionis, in fine ſecundi menſis gravida, poſt cibos concoctu difficiliores ingeſtos, in tertianam incidit, cum permoleſto tenſivo dolore, â quo, poſt biduanum ſpecifici ſtomachici Poteriani uſum, pulveris Peruviani ſcrupulum unum in tantillo vini Neccarici rubri ſubadſtingentis, mane & veſperi per duos dies ſumſiſſet, libera quidem evaſit, inſignem vero uteri hæmorrhagiam, cum abortus periculo incurrit, quæ tamen à coraliorum rubrorum pulvere tum ſolitario, tum lapidi hæmatiti ac terræ ſigillatæ commixto, ſucceſſive exhibito, imperata ſimul quiete, ſenſim ceſſavit, aluo interea ſicciori & flatibus gravata, cibis lubricantibus minime, foliolis autem ſennæ parva quantitate decocto prunorum Damaſc. infuſis, obſecundante, partu vero filiolum juſto tempore ſanum & vegetum excludente.

Pluribus Ophthalmiæ, & genarum non tantum œdematoſos tumores, modo indolentes, modo odontalgiæ, in ulcuſcula buccarum interna aliquibus terminatæ, juncti, moleſtiam magis quam periculum creaverunt, ſed Parotides etiam glandulas, modo in uno, modo utroque latere, cum præcedanea febrili efferveſcentia, in pueris quandoque ad delirium uſque ſpiritus magis mobiles exagitante, lymphæ lenteſcentis ſtagnatio, M. Majo occupaverat; nec catarrhoſæ capitis & pectoris gravedines M. Junio omnino aberant. Ophthalmiæ ardorem nihil felicius quam vini ſpiritus lintelo exceptus & impoſitus compeſcebat. Parotides autem, juxta cum diaphoreticorum uſu, emplaſtrum malacticum Auguſt. ſimplex diſcutiebat.

Infirmitatibus hiſce, quæ à ſeri ſtagnationibus ac coacervationibus, nec non ob ſufflaminatam inſenſibilem transſpirationem, variarum impuriorum particularum inquinationibus commode derivari amant, producendis frigida aëris inclementia, & poſtea inæqualitas plurimum contuliſſe videbatur; cum enim primus Anni menſis frigore, admodum quandoque intenſo, crebriſque comitato nebulis, infeſtus eſſet, quas M. Februario frequentes nives, præter frigoris continuationem, veſpertinis autem horis remiſſionem excipiebant, Martius & Aprilis principium inconſtantia ſua modo nebulas, pluvias, nives, modo ſerenitates, aëris teporem friguſve produxerant; uſque dum ſol ad Tauri ſignum propius accedens, amœnioris Veris ſpem faceret, inque Majo calores æſtivis fere æquales primo excitaret, quos tempeſtates non infrequentes, nobis equidem per DEI gratiam clementiores, viciniæ autem noſtræ, atque remotiſſimis etiam in locis, inprimis d. 21. ſt. n. grandine inſolita (nobis equidem è lon-

ginquo ſaltem comparente,) admodum damnoſæ ſequebantur; quam intemperiem ſuccedens Zephyri vehementia d. 27. nivem copioſam adduxerat, aëremque poſtea ad pruinas matutinas uſque, in fine Maij, ſub crebriori Euri flatu, ac cæli ſerenitate refrigeraverat; cum cæteroquin temperatior aëris ſtatus & grata caloris variatio M. Junio nihil inconſueti corporibus noſtris inferret; accedente præterea crebriori ventorum alternatione, qui modo ab orientali, modo occidentali imprimis plaga Urbem hucusque perflaverant, terramque à pluvijs licet multoties madefactam iterum exſiccaverant, quin & ſimul continuo iſto aëris motu plurima morborum miaſmata diſcuſſerant.

Nec aliam Æſtas faciem induerat. Sole autem Leonis ſignum percurrente, frigidiuſculam frequenter auram, & crebriores pluvias, meſſis collectioni multum damnoſas, Zephyrus adduxerat; quæ ipſa temporis conſtitutio, præſertim horæorum fructuum abundantia cum daretur, Diarrhœas non paucas, minus tamen periculoſas aut refractarias pariebat; uſque dum Sol Virginem tenebat, ubi meridionalis ventus nubila diſcutiens, ſerenius, veſpertino tamen & matutino frigore horridiuſculum cœlum reddiderat. Cum Æquinoctio tamen autumnali crebriores Zephyri impetus plurimas denuo pluvias, frigore comitatas, adduxerant: quæ pluvioſa, ventoſa & frigida facies uſque ad Solis in Scorpionem adventum continuaverat; ubi ſub ulteriori varia ventorum alternatione, frigida aëris intemperies, quam Sole ſagittarij ſignum ingreſſo, diuturnæ nebulæ & poſtea crebriores nives comitabantur, nec non circa hyemale Solſtitium pluviæ ac temperatior aura exceperant; finem autem Anni frigidus ac nebuloſus aër clauſerat.

Interea Variolæ, quamvis malignitate carere viſæ, atque Odontalgiæ nunquam receſſerant; ante Æquinoctium autumnale Febres etiam quotidianæ & tertianæ, nec non Tuſſes humidæ æque ac convulſivi quid habentes, contumaciores, in puerili præcipue, ſed adulta quoque ætate, nec non poſt Æquinoctium Rheumatiſmi ad brachia, atque ſeneſcente Autumno Febres petechiales notabantur, quin & Iſchiatica paſſio, cum præcedaneo vel comitante circa os ſacrum dolore, haud infrequenter occurrebat; quæ etiam extra Urbem infeſta erat, quin multis in Sueviæ locis plurimos excruciare ferebatur.

Odontalgiæ quidem majorem pene incolarum partem adfligebant, ut raræ in Civitate domus eſſent, in quibus malum hoc non inveniret hoſpitium; à medicamentis vero ſerum ex corpore ſubducentibus, ac præterea ſpiritus ferocientes demulcentibus opiatis, noctu parva doſi

va doſi ſucceſſive exhibitis, certius, quam aliis artificijs, expelli aptum: qui vero dentium ab evulſione lenimentum ſperaverant, pertinaciorem utplurimum dolorem experti fuerunt.

Rheumatiſmos ad brachia, in quibus nec rubedo nec tumor notabatur, capitis dolor aut gravedo prægreſſa, à ſeri ex cerebro in nervos decubitu, productos fuiſſe indicabat; quorum difficilis erat cura; quæ etiam reiterato laxantium ab uſu promtius, quam ſudoriferorum ſucceſſerat; externè autem crebriori ſpiritus vini camphorati aut ſimilium inunctione ſymbolum conferente.

Qua ipſa etiam methodo coxarum dolor tractari volebat, à ſimili in nervos ſeri abundantis translatione dubio procul ortus, præcipue cum illum ab oſſis ſacri regione potiſſimum principium ſumſiſſe, ex ægrotorum relatione conſtiterit.

Febres petechiales minus erant letiferæ, pleuritides utplurimum in principio mentiebantur, dolore capitis ſemper, delirijs tamen nunquam, vel rarioribus infeſtæ. Sic Vir quadragenario major, J. C. S. melancholici temperamenti, d. 22. Novembr. ſt. n. ſubitò horrore cum calore alternante, intenſa cephalalgia, vigilijs, virium proſtratione, lateris ſiniſtri dolore punctorio, & adpetitu proſtrato prehenſus, Tincturam bezoardicam ſumſit, ſine ullo levamine. Die morbi tertio vocatus, potionem diaphoreticam ex diaſcordio Fracaſt. ſale cornu cervi volatili, & pulvere rubeo Pannonico duabus vicibus ſumendam præſcripſi; nox inquieta; d. quarto horror & dolor lateris remiſere, capitis vero erat tolerabilior, urina paulo minus tincta quam præcedenti die, idem medicamentum mane continuavit, veſperi ad alia nauſeabundus, Tincturam bezoardicam ſolam admiſit, nocte quietiore ſubſequente; d. 5. eadem, ſitis adaucta, quam aqua pomis citriis medicata, demulcebat; Tincturam continuavit; quam tamen poſtea ſibi nocere imaginatus eſt; ſucceſſit tuſſis ſicca, moleſta, fortaſſe à potu frigidiore; nox inquieta; d. 6. dolor in capitis tantum dextra parte recruduit, tantus, ut nec manus attactum ferret, ab impoſita vero herba recenti rutæ, cum baccis juniperi contuſis, atque inter ſudandum (quæ continua diaphoreſis, ſub temperato, aëris regimine) per Bolum ex diaſcordio, ſale C. C. vol. & antimonio diaphoretico, quavis ſexta hora exhibitum, ſenſim promovebatur,) cum halitum quaſi aliquem ex aure dextra erupiſſe ſenſiſſet, remiſit; d. 7. in meliori ſtatu verſabatur, urina minus tincta, & petechiales maculæ cum intermiſtis plurimis puſtulis aqueis in collo, pectore & dorſo erumpebant, ſicque ſucceſſive

alias etiam partes d. 8. 9. 10. occupabant; quas, earum ante ignarus, d. 11. in manibus etiam obortas cum conſpiceret, valde contriſtatus inde & perterritus fuit; urina quoad colorem naturali ſimilis, noctu largiori rivo effluxit; d. 12. tuſſicula continuavit, ſitis intenſa, urina maxima in quantitate, & longe ultra potus ſumti menſuram excernebatur, aquea prorſus, cum ſumma virium proſtratione; unde vinum ſive ſuccum cydoniorum ſaccharatum aqua dilutum bibere veſperi juſſus eſt: cuncta mala inde mitigari viſa, nocte etiam quieta ſuccedente, calori interea adhuc gliſcenti moderato bezoardicorum, & tandem unicornu marini matutino ac veſpertino uſu obviam ibatur; d. 16. noctu ſudor magnus cum totali morbi ceſſatione erupit.

Mulierem juvenculam, J. L. tertio menſe gravidam, eadem ſymptomata d. 21. Novembr. invaſerant, altero die meam opem domi tantum deſideravit; d. 4. ut ipſe accederem rogatus, magnum ſanguinis æſtum & præcordiorum anguſtiam adeſſe obſervavi, dolor lateris erat remiſſior, urina non tincta, ſed copioſo viſcido ſedimento referta, veſperi & noctu aliquoties narium hæmorrhagiam moderatam patiebatur; d. 5. dolor capitis tolerabilior, cor liberum, veſperi dolor colicus; qui d. 6. à ſumto amygdalorum dulcium oleo, & bino ſubſecuto vomitu ceſſavit, remanente tamen ſtomachi ardore; petechiæ adparent; nox inſomnis, ſed alvus ſoluta; d. 7. ſtomachus pacatior, noctu parum deliravit; d. 8. ſomno, quamvis interrupto nonnunquam fruebatur; d. 9. nonnihil cibi ſumſit, ſicque continuans, d. 13. veſperi cibo ſe replevit, unde adpetitus denuo proſtratus; cæterum d. 14. ſatis commode vixit, ſumtaque tinctura bezoardica, quam aliquoties per morbi decurſum, juxta cum temperatiorum diaphoreticorum, alexipharmacorum, uti pulveris rub. Pannon. ſpecier. diacret. Mynſ. &c. uſu adhibuerat,) noctu alvus cum torminibus ſoluta eſt; petechiæ ſenſim diſparuerunt; è contra febris quotidiana, veſperi calore infeſta ſucceſſit, quam chinchinæ infuſum, cum aqua cichorii factum, poſt colaturam paulatim ebibitum, brevi profligavit; ipſa ægrota poſtea debito tempore puerpera feliciter reddita.

Virginem N. J. unum ſupra viginti annum natum, eadem febris, ſimilibus ſymptomatibus ſtipata, d. 24. Novembr. occupaverat, præterquam quod dolor pleuritico ſimilis non adeſſet, hypochondrium vero ſiniſtrum doluerat; ſumpſit ex matris conſilio purgans, quæ d. 3. meam opem domi imploravit, cui potionem diaphoreticam bis ſumendam ordinavi; d. 4. ipſe eam viſitans, petechijs & puſtulis totam maculatam;

culatam, cæterum melius ſe habentem deprehendi; & cum diebus ſequentibus quatuor, tincturam bezoardicam, reliquis medicamentis faſtiditis, diligenter ſumſiſſet, d. 9. ob alvum conſtipatam ſupra memoratum infuſum ſennatum bibit, à cujus uſu circa veſperam ingentem quantitatem excrementorum pituitoſorum, ſanguini & puri permixtorum unica dejectione emiſit, ſicque protinus convaluit.

Conſtitutio epidemica Auguſtana Anni 1698. Laudatiſſimi DN. D. Lucæ Schröckij.

ANni principium equidem aurâ temperatiori, pluvijs ſtipatâ illuxit, paulò poſt tamen nivoſum & frigore horridum comparuit; & quamvis mitiorem interdum temperiem, atque poſt Februarii initium Zephyrus pluvias adduceret, mox tamen Eurus nives & frigus intenſius reduxerat, uſque dum circa Æquinoctium vernale, Zephyrus vehementer ſpirans crebriores pluvias concitaret, alternante ſubinde cum ipſo Euri impetu, utroque autem terra imbribus ſæpius irrigante, ſicque ad finem uſque Maij, qui ideo, ut pasſim alibi in remotioribus etiam locis, frigore horridiuſculus comparuit, continuante.

Interea pauci ægrotabant; Tuſſes tamen graviores ac contumaces, nec non pleuritides, nonnullis ob vehementiam letales, Variolæ, Febres continuæ, paucæ malignæ, Icterus, (cui martialia medicamenta, acidulæ Egranæ, eſſentia mineræ Martis Haſs. opitulabantur) ob aëris inæqualitatem ſparſim notabantur.

Circa Solis autem in Taurum ingreſſum Febres tertianæ, intenſo circa ſcrobiculum cordis compreſsivo, in regione etiam dorſi oppoſita moleſto dolore, cephalalgia, interdum & vomitu ſtipatæ, plures invaſerant, ſed à ſumpto purgante, & chinchinæ parciori etiam doſi facilè curatæ: Virgo viginti annorum, eâdem prehenſa, à frigidæ potu die morbi ſexto, ceſſante febre, mox ſiniſtri lateris ſævum punctorium dolorem cum febre acuta, ſputoque cruento incidit, quod in purulentum die octavo morbi mutatum, ſumptâ binis vicibus olei amygdalini recenter expresſi dimidiâ uncia, copioſè per alvum fuit ejectum, ſicque ceſſante tuſſis ferociâ, & calore præternaturali (cui Antimonij diaphoretici largâ doſi obviam ivi,) ab iterato dicti olei uſu, die nono convaluit.

Poſt tot tandem pluvias cum jamjam Junius adpropinquaret, ſerenior aura comparuit, caloreque fortiori terram iterum exſiccavit,

Cereri

Cereri autem & Floræ Bacchoque vires creſcendi attulit; quæ ſerenitas, à pluvijs tamen ſæpius interrupta, calorque toto Menſe illo continuarunt: Julius verò crebrioribus imbrib us & nimbis, Zephyri vehementiâ ſubinde comitatis, infeſtus ſucceſſit; quam humidam aëris conſtitutionem Auguſtus etiam menſis induit, frigoreque inſolito, ſub Euri dominio, auſteriorem reddidit, ut ita meſſis non tantum ſerius inciperet, ſed non exiguo etiam in periculo corruptionis verſaretur, quam tamen blandior cæli facies, poſt Solis in ſignum Virginis progreſſum, ſatis exoptatam in vicinia noſtra reddidit, ut quæ ſubſecuta fuit annonæ caritas, non tam Cereri deficienti, quàm ad commune aliarum regionum exemplum compoſitæ, impiæ inſtitorum avaritiæ imputari debuerit, Inclementior autem September, præter multiplicem ventorum variationem, diverſam etiam aëris temperiem, utplurimum tamen humidam & frigidam produxerat, donec d. 5. Octobr. ſt. n. Sol diſcuſſis nubibus, decendio ſereno nos reficeret; poſtea tamen auſterior Favonius cum aëri pluvijs iterantibus multum frigoris impreſſiſſet, November præmaturum hyemis adventum dabat, crebrioresque nives ſpargebat, ita tamen ut varia tempeſtas ſubinde intercurreret, nebulis, pluvijs, ſerenitate, ventisque modò ab occidentali, modò orientali aut meridionali plagia ſpirantibus moleſta, atque hyemale uſque ad Solſtitium continuans; quo præterlapſo, Zephyrus vehemens, pluvijs ſtipatus, temperatiorem aërem effecerat.

Interea, menſe nempe Junio & præſertim Julio, Morbilli puerilem ætatem invaſerant, perplurimosque lecto adfixerant, non adeo difficulter tamen, temperatiori ſub regimine, & abſorbentium dictorum ac diaphoreticorum blandorum, Pulveris rubei Pannon. Oculor. cancr. &c. uſu curabiles; donec ſub Æquinoctium autumnale planè diſparerent. In non paucis quidem hecticâ diſpoſitione, tuſſique pertinaci, ſive ob diætæ errores, ſive præexiſtentem acriorem ſanguinis conſtitutionem ſuperſtite, diligentiori tamen ſanguinem contemperantium uſu, non neglectis, ubi opus, laxantibus, & quæ vermibus, quorum veſtigia non rarò notabantur, reſiſtunt, tandem devictæ. Licet crebriora quoque funera puerilia numerare tum temporis datum fuerit, non tam morti, noſtrorum Medicorum artem haud adeo eludentis, malignitati, quàm incuriæ potius, vel perverſæ muliebri ſapientiæ, aut medicaſtrorum imperitiæ adſcribenda.

Cæte-

Cæterùm rariores apud nos hoc tempore ægrotabant alij, nec epidemicorum morborum tyrannis major notabatur. Julius quidem Febres quotidianas, tertianas, Catarrhos pectori moleſtos; Auguſtus Colicas, Dyſenterias; September præter cruentos hos fluxus, Variolas majores, ulceroſas, (Schafblateren noſtratibus dictas,) Octobris initium ſtrangurias ſeniles; adultus, cum ſubſequis Menſibus, Pleuritides veras ac ſpurias; December Catarrhos ad fauces ruentes, (Morbos omnes ex coarcervata in ſanguine ſenſim per tot aëris anomalias, frigidas præſertim & humidas, viſcidiori lympha ortos, quæ tandem per varios in diæta errores hic vel ibi ſtagnabat, aut etiam eandem ob cauſam, vel ſponte in orgaſmum concitabatur,) alebat, non adeo multi tamen eorum impetum experiebantur. Febres interdum præcipitantibus ſic adpellatis; chinchinæ autem parciori etiam doſi ſumptæ facilius; Catarrhi continuato expectorantium uſui, non poſthabita, quæ ſæpe conjungebatur, febris intermittentis cura, & corpore ſemper blande evacuato, cedebant; Colicæ, quæ flatuoſa quidem dici merebatur, non ſine convulſiva tamen labe erat, atque ideo lumborum conjuncto dolore & urinæ ſuppreſſione nephritidem ſimulabat, demulcentia & potiſſimum laxantia, ſive ore ſumpta, ſive clyſteris formâ adhibita; Dyſenteriæ, tormentillæ vel catechi eſſentia aut extractum, cum pauco opio maritatum, & parca doſi ſæpius adſumptum, medebatur; Variolæ benigniſſimæ, cum febrili tamen calore, vehementiori quandoque, paucarum tamen horarum ſpatio finito, invadentes, ulla ferè ſine medicinæ ope ſenſim ſponte exſiccabantur; Stranguriæ illa, quæ viſciditatem lymphæ inprimis corrigunt perque urinarios meatus educunt, uti eſſentia carminativa Wedeliana, ſpiritus nitri tincturæ cortic. aurantior. mixtus &c. Pleuritidi verò noſtris in pharmacopolijs uſualis pulvis, cum antimonio diaphoretico, lapillis gammarorum &c. medelam. conferebant.

Conſtitutio Epidemica Baſileenſis
Anni 1698.
DN. D. Joannis Jacobi Harderi.

MEnſe Febr. ſub finem, cum brumæ aliàs rigorem adhuc experimur, ſol calore ſuo primi veris delitias præcociter ſperare fecit, quas cum Aprili dehinc, tempore deſtinato optabamus pleniores, amarulentas reddidit ſævientis Æoli frigus, nivaliſque ingruens tempeſtas, in Majum uſque continuata, fructuum nociva peſtis, nec tamen variolæ, quæ non modò tenellam, ſed etiam adultiorem ætatem frequentiſſimè infeſtabant, funeſtæ fuerunt apud nos, contra quàm Stutgardiæ vidimus & audivimus, ubi complures materiæ malignitas, præmaturæ morti tradidit. Ingruentibus hinc pertinacibus, copioſiſque pluvijs, etiamſi ſol deſideratiſſimo ſuo calore, terram reliquis menſibus fovere ſtuderet, uſque tamen aquarum depluentium cohortes, ejus igni offecerunt, inde September efficaciam illius tam neceſſariam, magis experiebatur quàm Auguſtus, uvæque minus maturæ, Octobrimenſe, in fortunium tantum graviter luxerunt, dyſenteriâ non tam apud nos, quàm in viciniâ ruſticam gentem crebre exercente.

November circa ſui initium, candidâ nive arva utcunque tegebat, brumæ aliquali rigore, per octiduum, durante, quam mox intempeſtivus calor, udoſus, cum pluviarum copiâ excepit, ad finem ejus tantum non durans pleuritidis, febriumque continuarum heic illic genitrix.

Menſ. Decembri creſcente lunâ, etiam brumale frigus intendi ac durare cepit, parili ſubitaneo udoſo ac pluvioſo calore, præter votum ac expectationem, ſcenam de hinc mutante, neque tamen morborum exitialium frequentiæ, annus iſte, verè anomalus feras fuit.

Conſtitutio Epidemica Berolinenſis
Anni 1697.
DN. Doct. Guſtavi Caſimiri Gahrliep von der Müllen

JAnuarius Styli Gregoriani, gelu nonnunquam ſatis rigido, Boreâ ut plurimum flante, paucâ nive quandoque interſperſâ cæpit, quod ad quin-

quintum uſque duravit, tunc ſuccedente Cauſo paululum triduo continuo regelaſcens, 19no gelu redintegravit, & 21mum ſi exceperis, tolerabiliorem, ut & 23vum vulturno ſpirante remittentem, ad ipſum uſque finem, ac ſubſequentis *Februarii* 9num continuavit. A quo tempore rigor ille remiſit, atque blandiori æthere, nonnunquam apprimè amœno, gelu interpolavit, ad 20mum uſque, qui frigore rigidiore recrudeſcente, noctu præſertim, de die verò parum miteſcente, ad finem ac porrò quintũ uſque *Martii* tranſiit. A quo rigoro paulatim deſævient, mitiora tempora veris prodromos, nebulas pluviis & ſudo intercalatas tulêre, ad 14tum uſque vernâ ſed ephemerâ ſerenitate & amœnitate commendabilem, ſuccedente cum vulturno nubilo & horrido triduo, ſed pluribus ad 24tum uſque ſuavioribus penſato. Hic 24tus repedante vulturno variam & ingratam Aprili aliâs familiarem aëris intemperiem tulit, frigore pluviis, nive quandoque & grandine, nocturno quoque gelu nonnumquam diſtinctam, ad 30mum uſque adeoque ultimum durantem ſparsâ noctu nive copiosâ, â ſuccedente diurnâ ſerenitate ac aliquali amœnitate rurſus colliquatâ notabilem, primum ſic trimeſtre grato fine terminantem.

Morbi hoc trimeſtri non adeò frequentes aut populariter graſſantes fuerunt, niſi fortè ob variabile gelidum initiò & horridum, humidum poſtea plerumque & tempeſtuoſum cœlum, catarrhos quis aut tuſſes febribus ut plurimum comitatas hûc trahere velit, defluxiones in uvulam & tonſillas, præteriti anni defluxionibus moleſtiâ & pertinaciâ analogas; Prætereaque pleuritides nonnullas, variolas interſparſas, paucos adultos plures infantes adorientes, malignas quaſdam ac periculoſas, benignas plures, paucas lethales. Paralyſes item & Apoplexias quibuſdam exitioſas, Arthritides vagas ſcorbuticas, ut & febres varias, quandoque & acutas & continuas, exanthematis etiam ſcorbuticam malignitatem teſtantes.

Aprilis temperato ſed pluvioſo facto exordio, unico interpoſito ſereniori die, nimirum ſecundo ad 9num uſque nocturno gelu, diurniſque nymbis ac imbribus horridum proceſſit. Poſtea amœniore paululum cœlo, noctibus tamen adhuc gelidis, quandoque & nivibus, pluviis ac ventis quibuſdam variato, ad 19num tranſiit amœnitate Vernâ & ſerenitate ferò ſtabili cum ſuccedentibus, 23io ſolùm frigido ac procelloſo excepto, ad 30mum uſque adeoque ultimum Menſis, abblandientem.

Succeſſit *Majus* frigore moderato, interdum tamen, initio præſertim Boreâ interſpirante, rigidiuſculo. Poſteâ ſereno cœlo admixtis licet ſub finem præcipiè nonnullis pluviolis ſic ſatis amœnus & ad fertilitatem, 31mum eumque poſtrenum, grandine nimis aſperum & nocivum ſi demſeris, pronus.

Huic rurſus *Junius* pari fere amœnitate ac ſerenitate, paucis, ſecundo forte & quinto blande rorantibus, 7mo & 8vo, illo turbido, hoc Africo flante nimboſo, 12mo & 24to imbre fœcundo arva rigantibus, 26to imbri tonitru jungente, 27mo, Africo rurſus pluvias ſpargente, udo, variantibus diebus exceptis, conformis, totus propè ad finem uſque temperatus.

Morbos trimeſtre perinde non multos genuit; Præter enim febres nonnullas, paucas intermittentes pauciores continuas, & catarrhales pauciſſimas, variolas ſi dempſeris & Epilepſias infantibus quibusdam infeſtas, rariſſimè tamen lethales, pleuritides quaſdam & arthritides vagas ſcorbuticas, cardialgias, Cephalæas, Odontalgias & Aſthmaticos affectus parciſſimos, parum negotii Medicis fecerunt alii morbi. Id quod aëris clementiæ adeò ſtabili Majo præſertim & Junio humores in laudabili ac moderato ſtatu conſervanti, nec nimio æſtu exagitanti tribuendum eſſe reor.

Julius trimeſtris tertii initium pari cum præcedentibus amœnitate clementiâ ac ſerenitate Cœli, ſecundum & tertium fœcundis imbribus temperans fecit; Verùm ſequenti ſexto ſudum diurnum circa noctem hærrendo tonitruum identidem reboante fragore, & fulgetris fere continuis animos & oculos immenſum perculit. Septimus quoque, octavus & decimus mitiùs tamen paulò, ſerenum diei cœlum veſperi tempeſtuoſo tonitru fœdarunt. Reliquum ad finem uſque menſis vario, ſed non adeò turbulento, udo tamen nonnunquam & nimboſo aëre tranſiit.

Talis quoque *Auguſti*, 7mum, 8vum, 10mum, 12mum, 16tum, 17mum 30mum & 31mum adeoque poſtremum, ſerenos & amœnos dies, ſi exceperis, ſtatus fuit.

Nec procul ab his ultimis diebus abluſit *Septembris* initium, primum nimirum biduum ſic ſatis ſerenum & amœnum, cui quatriduum ſucceſſit, autumni præludium, imbridum ac frigidum. Quod ſeptimus æſtivum ſudum æmulatus correxit, cui 8vus paulò frigidior, ſed adhuc ut & 9nus, 10mus, 11mus, ad 18vum uſque, qui imbris veſpertini aliquod interſcenium inſeruit, ſereni, ſucceſſerunt, ſequentes ad

22dum uſque ejuſdem quo præcedentis tenoris, temperatâ nimirum ſerenitate commendabiles, ut & reliqui ad 27mum uſque, paulò, cum ſequentibus tribus poſtremis, turbidiorem frigidiorem & aſperſis ſubinde pluviis ac ventis aſperiorem.

Rari admodum hoc trimeſtri fuere morbi, nec præter diarrhæas atque dyſenterias, utut pro proventu omnis generis fructuum valdè, DEO largiente, uberi, nec gula illecebris ſuis parcente admodum paucas, tuſſes nonnullas, parciſſimas febres, pleuriticos quosdam & aſthmaticos affectus; nec non unum alterumve Paralyſios & Arthritidis ſcorbuticæ caſum, alij ferè nulli occurrerunt.

October mixtâ pluviis frequentibus ſerenitate paucâ acceſſit, ac quatriduum hâc ratione proceſſit. Quintum ſerenum & amœnum totum, ſextus totus undoſus ſecutus; Sed ſeptimus & ſequentes ad uſque menſis finem ſexto ſerenitate penê pares, præter nonum & ejus ſequaces cum ſudo Borea ſpirante frigidulos, 13um roridum, 17mum imbre madentem, 24tum, 27mum & 28vum pluvias nonnullas ſpargentes, 29num verò & 30mum ſicque ultimum Cæciam, frigoris intenſioris authorem aſcſcendo horridos, in procellam tandem valde impetuoſam primâ *Novembris* degenerantem; Verum ſecundo & tertio paululum deſævientem. Quartus & quintus tranquilliores fuerunt ac ſereniores rigidi tamen adhuc, ſextus manè nebuloſus, poſtea præcedentibus ſimilis, ſeptimus frigidus ac nubiloſus, octavus ad ſequens uſque manè nimboſus, ex quo ſerenior 9nus. 10mus primam tulit glaciem ad noctem uſque 12mi durantem, pluviâ ſubſequentium 13tii & 14ti rurſus liquatam. Quos 15to ſudum admodum gratum cum æſtivâ amœnitate quaſi certans, ſed ephemerum excepit. Ab illâ brevi ſerenitate matutinis & veſpertinis pluviis, in procellam 17mo exæſtuavit horrendam 18vo quidem deſinentem, ſed hujus & ſequentium antemeridianum cum pomeridiano, pluvias inter & turbidum, ſiccum tamen cœlum partiendo ad 25. uſque, ſi 21mum ſerenum totum & amœnum excluſeris, & 25tum ſequentes duos boreali ſudo commendabiles. Tandem 28vus Divo Simoni Judæ dicatus frigidus & turbidus, 29nus pluviis horridis mixtus, 30mus demum ſerenus denuo totus, ſed Borea paulò acrius ſpirante gelidus agmen dierum Novembris clauſit. Succeſſit December primo die rigorem præcedentis primâ nive ſparſâ temperans, at ſecundò gelu redintegrans, ſequentibus cum nive pluvias

alternavit, ad 11mum uſque, qui Cauro aſpirante raro gelicidio gelu ſatis intenſum ſubſtituit, cui ſequens nivem rurſus ſubmiſit, atque huic, Boreâ Cauro ſuccedente ſequentes duo gelu prius moderatum, decimoſexto in rigidum valde degenerans, decimoſeptimo nive copioſâ paulò temperatius, decimooctavo vero & Vigeſimo magis, accedente copioſa nive, invaleſcens, Vigeſimoprimo rurſus, vento remittente ac nive repedante, miteſcens. Triduum ſequens mitius adhuc, vigeſimotertio pluvias immiſcuit ad veſperam uſque vigeſimiquarti ſereniorem at gelidiorem, ſubſequente quatriduano vehementi gelu, vigeſimonono demum remittente ac poſt nebulam toto die trigeſimo cœlum obſcurantem; trigeſimoprimo verò diſcuſsâ nebulâ ſudo redintegrato ſimulque gelu reddente, ultimum hoc trimeſtre ſicque totum annum 1697. terminante.

Morbi hoc ultimo trimeſtri paulò quàm præcedentibus frequentiores fuerunt, ob Ætheris & aëris nunc ſereni, nunc turbidi, nunc ſicci nunc humidi ac pluvioſi, nunc tranquilli nunc turbulenti & procelloſi, nunc temperati ac remiſſi nunc gelidi ac horridi, variè invicem alternantis, ſicque pro diverſitate conſtitutionis ſuæ, humorum quoque diatheſin & craſin, communicatis tum per inſpirationem, tum per ambientes, & poros corporis ſubeuntes variorum tam Ætheris, quâm aëris miaſmatum particulas, diverſis fortè ut formis ſic qualitatibus inſtructas diverſimode moventibus, alterantibus, ac ad varias ebullitiones, orgaſmos, metaſtaſes, quandoque ſed raro in melius, ſæpius in pejus diſponentibus atomis, mutantis. Hinc exati diverſo tempore diverſi morbi Medicorum animos & curas exercuerunt. Inter quos potiores fuerunt febres variæ tum intermittentes tum continuæ, hasque inter nonnullæ etiam malignæ, exanthematis quoque variis, purpura, morbillis & variolis ſtipatæ, non tamen adeò frequentes ut Epidemicarum nomen juſto titulo mererentur; præterea Catarrhales, tuſſi, vertigine, odontalgiis, inflammationibus gutturis & tonſillarum, uvulæ laxationibus, anginâ, ſuffocationibus, hypochondriacas imitantibus, præcordiorum oppreſſionibus ſcorbuto familiaribus, comitatæ, arthriticæ, pleuriticæ, nephriticæ, colicæ paſſiones, Epilepſiæ ſed raræ, ut & paralyſes tam particulares quàm univerſales, apoplexiæ & has inter quædam funeſtæ & lethales.

Con-

Conſtitutio Epidemica Berolinenſis Anno 1698.

DN. Doct. Guſtavi Caſimiri Gahrliep von der Mühlen.

PRimum menſis Januarii ſt. Greg. biduum ſerenum ac gelidum remiſſius excepit degelaſcens ac pluvioſum ſex dierum intervallum. Nono temperato diei, decimus ſucceſſit frigidus paucâ nive caneſcens dies, triduo turbido in Boream tandem, ſatis vehementer exæſtuantem, deſpumante comitatus ac altero triduo mitiori nivibus, nebula ac pluviis exparte interpolato exceptus. Inde ingraveſcens paulatim gelu vulturno Boreæ ſuccedente vigeſimo menſis die, octiduum continuavit, poſtea mitiùs aliquanto actum ac nives glaciei deliqueſcenti interſperſæ, donec repedante unâ cum Aquilone, ultimis hujus primi menſis ac quatuor Februarii diebus graviori gelu ſerenius cœlum illuxit; mox verò rurſus remittente, ac in pluvias nivi mixtas fatiſcente obſcurum æther ad decimumſeptimum uſque penitus degelantem perdurans. Inde gelu Euro flante paulatim denuo vires reſumere cœpit, ac ſuccedente Aquilone, & Aquiloni tandem Aparctiâ, huic vere rurſus Euro, validè inſurgente paucis tantem intermixtis nivibus ac paucioribus blandis remiſſionibus ad finem uſque Februarii & ſequentis Martii nonum continuavit. Tunc verna de die amœnitas, ſereno æthere ridens, Auſtro aſpirante advecta, abblandiri quatriduum viſa eſt, noctibus interea adhuc gelidis ſub ſecuturum, Boreâ priſtinam recuperante ſedem, gelu minantibus, Euroque Boreæ ſuccedente æther, unico vigeſimoſeptimo ſereno ac temperato die excepto, ad trigeſimum uſque, primum Paſchatis Gregoriani die feſtum turbantibus, qui ipſe â nocte gelidâ, reductâ aliquali temperie. ſequentem medium feſti ac ultimum menſis ut & trimeſtris hujus primi diem ſudo ac ſereno aëre beavit.

Morbos primum hoc trimeſtre, præter ſcorbutum indigenam pro variâ aëris mutatione varios exhibuit, quos inter febres tam intermittentes, quam continuæ, eæque ardentes ſatis frequentes ac quaſi epidemicæ, malignæ quoque nonnullæ variolis, præſertim confluentibus, uti dicuntur conſpicuæ eminuêre valdè nonnullis infeſtæ ac periculoſæ, pleuritides hiſque affines affectus, peripneumoniæ hæmoptoë nonnun-

quam comitatæ, & catarrhales, variis defluxionibus moleſtæ, tuſſes contumaces, aſthmaticæ quandoque & ſuffocativæ, Arthritides vagæ, hypochondriacæ, Colicæ, Nephriticæ paſſiones & Hyſtericæ, ſed hæ poſteriores prioribus rariores.

Aprilis primus ſecundi trimeſtris, feſtique prædicti Paſchatis poſtremus dies æſtivum manè æmulatus ſudum â meridie primo tonitru ſat gravis fragore animos amœnitate ac feſtivitate diei in hortos & campos prolectorum, atque ludis & Genio indulgentium validè perculit, ſubſequentibus hunc primum pluribus ad 28. uſque Martii continuis ſerenis ac amœnis diebus, noctibus interea gelidis intercalatis, prima fronte abblandientibus, mutatâ verò vigeſimaoctavâ ſparſis totâ die pluviolis facie variam, ut plurimum turbidam, horridam ac inamœnam Aprili genuinam induit.

Quam etiam primus Maij retinuit & paucis interſertis ſudis, ut 2. 5. 10. 17. 23. ad 27um uſque continuavit, qui vigeſimusſeptimus vernâ temperie ac ſerenitate acceptus, cum ſequentibus nativam huic menſi gratiam redintegravit.

Eademque ſequentem Junium, (octavo ſolum excepto, Cauro nimirum æmœnitatem præcedentium pluviis interſparſis turbante, ac duodecima cum ſucceſſore decimoquarto in turbidum & undoſum degenerante) ſerenis ac amœnis, nec niſi paucisſimis nonnunquam ventis ac pluviolis paululum exaſperatis, ad ipſum uſque finem commendavit.

Secundum hoc trimeſtre cœli benignioris ac ſtabilioris favore morborum quoque ratione mitiùs aliquantò priori egit: præter enim ſcorbuticos quoſdam affectus, febres, catarrhales quoque nonnullas ſparſim infeſtantes, acutas & ardentes paucas, malignas raras morbillis ſubinde ſociatas, hypochondriacas nonnullas paſſiones, pleuritides paucisſimas, aſthmata cardialgias ac cephalæas, vix alios produxit.

Julius, præcedentis Junij ſudum continuando, huic ad decimumtertium uſque duranti pluvioſum & quandoque nimboſum ac ſubfrigidum triduum ſuccenturiavit cui triduum rurſus ſerenum ac gratum ſucceſsit, â biduo turbidiori paulò & in conſtanti, vento ac pluviis ſubinde interpellaro, exceptum recuperatâ tamen priſtinâ amœnitate, uno

forte

forte alterove paululùm de generantibus ac pluvias nonnullas aſpergentibus, ad trigeſimumprimum usque, adeoque ultimum menſis continuavit.

Auguſtus mox ab ingreſſu procellâ turbatus, ſeveriorem paulò frontem induit, ac quinto ſolùm ſudo & temperato, ut & decimo inter ſerenúm antemeridianum ac pluvioſum & tonitru fragoſo horridum pomeridianum penſum ſuum partiente, nec non vigeſimumoctavum æſtivam adhuc amœnitatem redolente, paucisque aliis paulò mitioribus exceptis, totus varius, turbidus, frigidus, pluvioſus & nimboſus fuit, unico poſtremo trigeſimo primo ſereno & amœno gratiæ priſtinæ factam quaſi jacturam quadantenus reparante, ac

Subſequenti Septembri conſervandam tradente, qui eam ſeptimo, octavo & nono â tonitru nocturno frigidis & plurimùm pluvioſis, tanquam triduo degeneri decimoquinto, decimoſexto & decimoſeptimo turbido rurſus & frigido triduo, ut & vigeſimo primo & vigeſimo ſecundo ejusdem farinæ, biduo excluſis, ad vigeſimum quartum uſque ſervavit intemeratam; donec autumni tempeſtuoſæ & inconſtanti indoli cedens horridiorem ac tempeſtuoſam aſſumſit larvam.

Morbi hoc tertio trimeſtri vario & mutabili frequentiores paulò quam ſecundo fuerunt, febres præſertim tambenignæ quam malignæ, ſymptomatis varii generis ſtipatæ, rariùs intermittentes, ſæpiùs continuæ & ardentes, Catarrhales quoque & pleuriticæ in hecticam & phthiſin proclives, malignæ quoque, aphthis, quandoque purpurâ, nonnunquam morbillis, frequentius variolis, raro petechiis, ſæpius infames, lethales quoque & epidemicæ graſſantes, & has præter Cephalalgiæ, Cardialgiæ, aſthmata, arthritides ſtatæ & vagæ intercurentes.

October ultimi trimeſtris primus detractâ anteceſſori ſuo horrida, quam ſub exordio ſumſerat, larvâ, gratiori vultu ſcenam ingresſus, Sexto die æſtivæ amœnitatis perſonam ad 16tum usque ſerenâ & exporrectâ fronte egit. Exinde paulò auſterior nubiloſo ut plurimùm ac ventoſo cœlo varius, vigeſimo ſexto & vigeſimoſeptimo biduo ſereno præmiſſo, vigeſimooctavo, primam ſparſſit nivem, mox in pluviam poſtea fatiſcentem, nocte ſuccedente gelidâ, pruinam à ſude gelaſcente exceptam tulit, cui biduum ſuccesſit amœnum ac temperatum, ſubſequente turbido

manè cœlo trigeſimo primo in pluvias tonitru, hoc tempore inſolito comitatas, circa noctem deficiens.

November initio inconſtans, mox Euro flante ſerenior gelu induxit, remisſius quidem primò nebulis ſubinde intermixtis, circa quam tamen Aquilone irruente ſatis rigidum; Nivem copioſam valdè præter expectationem Cauro ſufflante in horridum & intenſum gelu quinque dies durans erupit: decimoſexto tamen deſæviens noctu remittere ac ſubſequente decimo ſeptimo ſudo penitus degelare cœpit. Inde rurſus inſtabilis, nunc turbido cœlo aſperior, nunc ſereno temperatior, poſt nives vigeſimotertio denuo ſparſas, vigeſimoquarto gelu ſatis intenſum redintegravit, ac ad finem prope menſis continuavit, poſtremo menſis die Libanoto aſpirante, degelaſcens.

December â primo ad octavum paulo gelidiorem, varius pluvioſus ac nimboſus, ab octavo ad decimumquartum gelu ſed interſperſis, ut ut raris nivibus mite ac temperatum induxit, â decimoquarto præcedentibus algidiore varium aſperum, ventis ſubinde ac nimbis horridum cœlum ad finem usque menſis continuavit, tandemque circa veſperam trigeſimi primi, adeoque ultimi hujus menſis & anni diei, ſenis tonitru, hoc anni tempore planè inſoliti ac portentoſi, pluribusque funeſti fragoribus Anno huic 1698. valedixit.

Morbi hoc trimeſtri præter febres quasdam continuas ardentes, ab omni malignitate haud vacuas, purpurâ & morbillis eam prodentibus. catarrhales ſatis frequentes, tusſi contumaci & ferina, catarrhis & deffluxionibus ſcorbuticis debitâ, valdè infeſtæ & moleſtæ fuerunt, variæ, inconſtanti horridæ ac immiti cœli conſtitutioni natales ſuos debentes. Præterea arthitides vagæ, præſertim ſcorbuticæ, pleuritides, diarrhoeæ & lienteriæ frequentes, dyſenteriæ tamen raræ, pro proventu prunorum hoc autumno valdè uberi, Cardialgiæ, & hæmoptoës nonnullæ. Sub fine tandem & ſoporoſi ac comatoſi nonnulli affectus, quibusdam letales, eidem frigidæ ac hu-

ac humidæ aëris intemperiei hâc hyeme prædominanti, omni procul dubio imputandi.

Conſtitutio Epidemica Sangallenſis, finis Anni 1696. & principij 1697.

Dn. Doct. Sylveſtri Samuelis Anhornij, de Hartviſs.

Vix Dyſenteria æſtiva graſſari deſiit, autumnus ſucceſſit, ventis Auſtrinis die nocteque ſpirantibus, uvis fructibusque maturandis exoptatus, infantibus verò in hoc fatalis, dum inſolito tepore diurno atque nocturno, ad turgeſcentiam motus ſanguis puerorum tenerior, morbillos variolasque excluſit, quas perpaucis effugiſſe datum fuit. fuerunt, qui febre continuâ cum inquietudine, deliriis, & multis deterioris notæ ſymptomatibus ad ſeptimum diem dubiè agitati, exhibitis ex aq. ulmar. C.C. Citrat. ac diaphoreticis temperatis ex Magiſt. antimon. diaph. CC. ph. ppt. & unicorn. foſsili, per ſudorem vel hæmorrhagiam ſubſequuta criſi convaluerunt. Plures vix ac auræ liberiori commiſsi, inſuper morbillis, hosque adhuc excipientibus variolis correpti fuerunt. Declinante autumno, & æſtu remittente, mixtim graſſari cœperunt febres & Variolæ, plurimum tamen morbilli. Menſe Novembri & Decembris initio varia fuit cæli facies, tempeſtas aquilonia, nebuloſa, pluvioſa, frigidior, morbillos qui vix ſuperârunt, jam cum variolis colluctavere, febricitantes viſi non ſunt, & morbilli per pauci, Variolæ ſolæ, candidà veſte terrâ tectâ, magis magisque propullulârunt. Fuerunt autem optimæ indolis, citò erumpentes, rubræ, molles, faſtigiatæ, diſtinctæ, citò maturæ, nec foveas relinquentes.

Deterior ſors fuit illorum, qui ſerius, non quidem mutatâ tempeſtate, in principio Anni 1697. iisdem decubuêre. In plurimis

mis copioſiores ac confluentes viſæ ſunt. Multi cum febre intenſa, convulſionibus, ventris meteoriſmo & dolore intenſo, ac alvo conſtipatisſima, puſtulis tandem violaceis, lividis, nigris notati interiêrunt. Id verò eſt quod notari meretur, non alios præter lanionum infantes, & quidem trinos quandoque, & binos unâ in domo (ceu quòd ſordibus & ſqualore ex pellibus ad exſiccandum expoſitis, cruore & carne præ aliis ſordeſcant illorum domus vel quod minus ac alii curam infantum habere posſint) hoc ventris meteoriſmo petechiisque lividis fuiſſe correptos, atque ſublatos. Si quando in aliis etiam domibus variolæ bonæ notæ, tres, quatuorve hujusmodi maculas interſperſos habuerunt. Mox illæ lanceola parumper ſcarificatæ, digeſtivo ſuppuratæ, & ad ſeparationem eſcharæ perductæ fuerunt, hâc tandem ſeparatâ, vovea illa nunquam non inſtar fonticuli nunc latior nunc profundior relicta, novâ carne expleta atque conſolidata fuit.

Inter adultos hoc hyemis decurſu, quamvis omnia frigore horrueſint, nihil epidemii obſervatum eſt.

Ver vario ingruit cœlo, æſtum ſubitaneum pluviæ repentinæ cum ventis ſeptentrionalibus exceperunt. Diſcordiæ acceſſerunt à Vicinis commotæ, quæ cruentum nonnullis excidium minitari viſæ ſunt: Inter ſexum muliebrem hoc terrore perculſum crebri abortus conſpiciebantur. Nonnullis tempeſtiva Venæſectio & inſtituti ſudores cum Bezoardicis quæ Sanguinis coagulum tollunt, bono auxilio fuerunt. Nati abhinc infantes multi convulſionibus occubuerunt. Viri verò inſuetas horrido imbribus cœlo excubias diu noctuque ſtrenuè agentes, omnem tempeſtatem innoxie tolerarunt. Perpaucos tusſis prævia corripuit.

Æſtas & autumnus ex frequentibus quamvis pluviis injucundi, inſalubres non adeò fuerunt

Menſe Septembri Apoplexia nonnullos corripuit.

Fœmina provectioris ætatis ex paralyſi lateris dextri, præmiſſo vomi-

vomitorio, ſudoriferis atque ſpecificis in-& externis apoplecticis uſitatis, intra triduum convaluit.

In alia Nobilis Familiæ Matrona, Paralyſis manûs dextræ cum interceptâ ad bihorium loquela, aquis ant-apoplecticis, frictionibus, ſudoriferis &c. reſtituta fuit.

Vir Septuagenario major, Reipl. Senator, recidivam paſſus, ex inſtituto vomitu loquelam ſtatim temperavit, at paralyticus in latere ſiniſtro permanet, dum per phlogoſes & ſtragulas ferendi impotentiam, propter tumorem ſenſumque hepatis exquiſitum, ad ſudorem ſe componere hactenus non voluit: Qui tamen præterito anno, Toto latere paralyticus, ſudoribus quotidie inſtitutis, integrè convaluit. Interim hepatis inflammationi convenientibus, in-& externis proſpicitur, inter quæ emplaſtrum Norimbergenſe impoſitum, ceu præſentisſimum ſibi Paregoricum, ſummè extollit. Fotus etiam particulares cum decocto herbarum, non ſine levamine inſtituuntur.

Alius Saxagenarius inter pocula ſenſu motuque privatus concidit, cum ſtertore Spiritum duxit, in manu nullus, pede verò aliqualis motus reſtabat, concitato ſyrupo Emetico vomitu, & deinceps in uſum vocatis frictionibus, lotionibus aliisque uſitatis ant-apoplecticis, paucas intra hebdomadas in priſtinum rediit.

Neogamus diſſolutè vivens, dum in templo Sacris intereſſet, ſubitò expalluit, concidit, & ἄφωνος domum deportatur, per hypocauſtum tractus varieque agitatus, ubique elanguidus movere ne digitum voluit, pulſus fuit tardus & debilis, externa frigebant, jacuit ſtertens à nona matutina ad primam, ſine ſenſu & motu, ingeſta difficulter deglutiit, ego acceſitus ex uno cochleari ſyrupi Emet. porrexi gr. iij. art. Emet. Operatio demùm poſt bihorium ſucceſsit. Phlegmata porracea frequenti vomitu reddidit; Sudore toto corpore diffluxit, Sanguis è naribus protru-

ſus eſt, ſicque corporis motus, linguæ ac rationis uſus paulatim redierunt.

Infelicior ſors fuit Puellæ aliâs præcæteris venuſtæ, quæ novendecim annos nata menſes nunquam vidit. Hinc ſenſim ex palluit, macilentior, triſtior & difficilis ad motum evaſit, ſcabie vexata, unguenta Tartarea cum Mercurio præcipitato adhibuit, tempeſtate frigidiore pluvioſâ, veſtibus malè munita è domo exiens, frigori pluviisque pro expediendis negotiis in cautè ſe credidit, poſt horam domum deportatur ἄφωνος ſenſu motuque privata ſterſtens, & Apoplectica, crebroque vomendi tentata Conatu. Vicinus vocatur Chirurgus, qui venam ipſi ſecat; Sanguis non niſi guttatim prodiit. Dantur Spiritus Ceraſorum, aqua Vitæ naribus Spirituoſa admovetur: Capiti imponitur aq. Reginæ Hungariæ, interim ego advocatus Syrupum Emeticum proprinari jubeo, quem vix medium deglutiit; dum exſpectatur operatio, accedunt convulſiones, quæ miſeræ circa veſperam finem vitæ faciunt.

Conſtitutio Epidemica Poſonienſis

Annorum M DC XCV. M DC XCVI. M DC XCVII.

Dn. D. Caroli Raygeri.

QUantum interſit Medico noſſe & obſervare aëris conſtitutionem ac inde reſultantes morbos, jam ſuo tempore agnovit graviterque inculcavit Hippocrates, dum ita librum ſuum de Aer. Aqv. & Loc. auſpicatur. *Quicunq; artem Medicam integrè aſſequi velit, primum quidem temporum, anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat. Non enim ſimile quicquam in illis exiſtit, verum differunt invicem propter varias, quæ in illis fiunt, mutationes.* Hinc qui morbi ſingulis anni temporibus proprii qualesque fiant in illis mutationes, tam prolixè tota deſcribit Sectione III. Aphoriſmorum. Nec dubitavit Galenus τὸ θεῖον in morbis ambientis nos aëris conſtitutionem appellare, quam quidem ſententiam

tiam fuſius examinat & pertractat *Celeberrimus D.D. Melchior Sebiz p. m. in Diſſertatione ſua de eo quod Divinum eſt in morbis.* Sane rem tam ſalutarem reique medicæ ſummoperè proficuam jam pridem mecum animo revolens, ſtatim ac manum praxi admovi, conſtitui ſingulas aëris & temporum vices indeque exortorum morborum generationes & mutationes diligenter obſervare, annuatim colligere ac Endemiis & Epidemiis meis Hungariæ, cum tempore prodituris inſerere. Id cum etiam à XXV. annis ſcilicet ad annum usq; 1695. pro meis uſibus præſtitiſſem, communicatur mihi à Perilluſtri ac Magnifico Domino Præſide laudatiſſimum ſuum inſtitutum, quo voluit, ut, qualis in diverſis Regionibus & provinciis fuerit aëris conſtituto Epidemica, obſervaretur, & quotannis Ephemeridibus curioſis insereretur. Quo intellecto ſubſtiti in privato ſtudio, & quæ ab illo tempore hac in materia à me obſervata atque annotata in publicum contribuere decrevi, modò initium facturus ab.

Anno M. DC. XCV.

Cujus conſtitutio hic Poſonii in Hungaria fuit talis.

HYems rigidiſſima, nix plurima, gelu in Martium usque durans. Frigus immediate poſt ſolſtitium incepit, & toto Januario ſine remiſſione continuavit, nives cecidere ſupra nives, gelu ſupra gelu. Nec mitior Februarius ipſeque Martius adhuc frigore & gelu horridus.

Menſe Jan. plurimos obſervavi ex caſtris redeuntes colica laboraſſe convulſiva, absq; dubio ex febribus autũnalibus, partim non bene curatis, partim malè circa ſolſtitiũ hybernũ judicatis. Raro quartana ſcilicet febris ut ut tractetur, recedit, quin vel hæmorrhagiam narium, vel laterum duritiem, vel pedum tumorem œdematoſum, vel languorem & dolorem artuum, ſæpiſſimè verò Colicam convulſivam poſt ſe relinquat. Menſe Februario & Martio graſſabatur quoddam genus febrium cum latente malignitate. Imponebat plurimis Catarrhus cum dolore capitis gravativo, febricula lenta, tuſſi ſicca, coryza vehementi

menti invadens: mox nona vel nonnunquam undecima demum poſt primam invaſionem die exaſperari cœpit morbus, & graviora reddi ſymptomata; acceſſere enim vigiliæ, deliria, nonnunquam ipſæ petechiæ, ſubſequente morte. Servati autem omnes qui non tantum alexipharmaca ab initio adhibuere, ſed & ea usq; ad nonum vel decimumdiem continuavere.

Ab æquinoctio Vernali usque ad ſolſtitium æſtivum tempus varium, mox frigidum, mox calidum, modo pluvioſum, modo ſerenum. Initium Aprilis adhuc brumale, circa medium verò & finem calor prope æſtivus. Succeſſit Majus pluviis mixtus, cum frigore & calore alternante. Prima & ſecunda dies Junii ventis turbida, tertia ſerenari de nocte cœpit, cœlum cum pruina matutina valde noxia, id quod apud nos valdè rarum, & vix à ſeculo obſerùatum, Segetibus nihil nocuit hoc gelu matutinum, nec deſtructæ vineæ, præterquam illæ quæ verſus plagam occidentalem ſitæ; quarta Jun. iterum pruina ſed plane innocua. Septima ros mane cecidit purpurei coloris, obſervatus in foliis arborum & vitium, ut & hominum in vineis laborantium linteaminibus, in quibus (pro ut ego obſervavi,) exactè referebat colorem maculorum ex ſucco mororum aut ceraſorum. Circa id tempus morbi fuere nulli, ut plerumque fieri ſolet menſe Junio, febres quidem comparebant tertianæ, ſed adeò mites, ut etiam in quam plurimis poſt tertium vel quartum paroxyſmum ſine medicamentis aut ſola purgatione & venæ ſectione adhibita ceſſaverint. Variolis quoque corripiebantur parvuli parvulæque, ſed & illæ cum nullis feris aut gravioribus ſymptomatibus, hinc omnes ſervati, qui non incuria neglecti aut minus rite, prout à plebe quandoque fieri ſolet, tractati fuere.

Succeſſit æſtas plus frigida quam calida, magis humida quam ſicca: Finis tamen Junii & initium Julii gaudebant aliqua ſerenitate, mox nubibus exaſperatum cœlum & largiſſimam aliquod diebus effudit pluviam, unde intumeſcens Danubius litora ſupergreſſus longe lateque ſe per prata & agros diffudit cum maximo damno ruricolarum, tam fœniſecum quam meſſorum. Rediit ſub initium Auguſti calor, isque intenſiſſimus, ſed ultra ſeptem vel novem dies non perdurans, inſequentibus pluviis usque ad Octobrem. Inter iſtas tam varias mutationes vix tamen aliquid morborum obſervatum; niſi quod in Septembri plurimi infantes, adulti non item, correpti fuerint Dyſenteria, iisq; fermè

omnes

omnes lactanes; credo ex lympha plus juſto acriori ad inteſtina delata illaq; lædente, Errorem quippe illi in eſu fructuum horæorum non committere poterant, nec commiſere nutrices ſedulo examinatæ & obſervatæ, paucisſimi tamen periere, ſed omnes convenienter Clyſteriis, imprimis ex lacte & decocto capitis vervecini tractati, convaluere.

Poſt æquinoctium, qui ſecutus Autumnus, fermè totus fuit pluvioſus, October ſubinde ſerenus, November inæqualis, jam ad hyemem inclinans, & prout reliquum Decembris usq; ad Solſtitium, frigidus cum floccis nivium & creberrimis pluviis. Hinc vinum nec quantitate nec qualitate laudabile crevit, Circa initium Octobris frequenter hinc inde in civitate comparuere febres erraticæ nullum typum ſervantes, invadebant propè omnes cum frigore aliquando trium horarum, inſequente calore ultra horas 15. durante, poſt apyrexiam aliquot ſaltem interjectis horis nova febris affligebat. Memini me habuiſſe quendam in quo calor ultra 48. horas duravit, cum terribili capitis dolore, ſiti vehementi, ſqualore linguæ & faucium, ſummaq; virium debilitate, ita ut febrim continuam fore metuerim, tamen poſt venæſectionem remiſit calor morbusque in melius mutatus. In alia Illuſtrisſima perſona ſimilem protractionem paroxyſmi primi notavi, ſimiliter poſt venæſectionem remittentem & intermittentem, ſed tertia die redeuntem, hinc propinatus cortex Peruvianus in aqua cichorii alvum movit, id quod nunquam in aliis, auſim dicere millenis, cui corticem hunc exhibui, factum obſervavi: Credidi prima vice fortuitò factum, turgente forte & ad exitum per ſe tendente materia vitioſa in corpore, ſed & poſt ſecundam imò etiam poſt tertiam exhibitionem idē factum, movit autem aluum ſemper ſexies, ſepties ſine nauſea. Alius pariter febri corripiebatur levi ab initio & cito remittente. Tertia die media nocte in lecto ſuo dormientem horribile invaſit frigus trium vel quatuor horarum ſpatio, ſubſequente calore in alteram noctem perdurante, cum pedis dextri ingenti dolore, accepit ſudoriferum, unde optime ſudavit, moxque apparuit ingens rubedo & inflammatio in pede dolente, factumque Eryſipelas, quod facile, convenientibus remediis tractatum, ſublatum eſt.

Annus M. DC. XCVI.

Juraſſet quispiam permutata fuiſſe tempora; Præteritam æſtatem fuiſſe Brumam nunc autem æſtatis vicem obire hyemem, usque adeò in Bruma nihil brumale & in frigidiſſimis alias menſibus, nullum frigus,

nullum gelu, nullæ nives, breviter hyems fuit clementiſſima. Januarius aliquo modo ventis turbidus, nebuloſus, pluvioſus. Februarius quaſi totus ſerenus,ſiccus,ſine notabili frigore, niſi matutino tempore,ubi aura parum frigiduſcula, mox ſurgente ſole temperata. Huic ad æquinoctium usque plane ſimilis Martius, niſi quod parum ventoſior,hinc etiam ſalubrior. Nam totis hiſce menſibus vix præter catarrhos aliquid notabile occurrit in Medicina. Poſt æquinoctium verò & aër & morbi cœpere mutari. In fine quippe Martii longè majora frigora, major cœli inclementia, de nocte gelu & nives, minus tamen durabiles, ſed in pluvias ferme continuas de die abeuntes. Nec mitior Aprilis ſua natura variabilis; ſub finem tamen ſiccior. Meliora tempora ſperabantur ſub gemellis, ſed & Majus ipſe cum initio Junii usque ad ſolſtitium valdè inæqualis. Nunc grata & vernalia ſerenatum pollicebatur cœlum,tempora, mox atris iterum inhorruit nubibus, tempusque reddidit turbato aëre frigidisque pluviis minus vernale, minus majale. Hinc non mirum, cum Ver ſimile factum fuerit hyemi, non vernales ſed hyemales fuiſſe exortas ægritudines.

Nam quas in hyemem relegavit pleuritides *Hippocrates III. Aphor.* 23. eas circa hæc tempora deprehendere licuit valde frequentes. Inter has imprimis notabilis fuit illa cujusdam Generalis quartiriorum Magiſtri (ut communiter vocatur) maligna feriſque comitata ſymptomatibus. Exceſſerat ille multum in vino & commeſſationibus tempore Bacchanaliorum, hinc catarrhum aquiſivit cum tuſſi vehementi & lateris puncturis. Apertâ venâ,urſit purgationem, quam tamen vocatus Medicus diſvaſit. Ille autem reluctans conſuetum ſibi ſumpſit laxativum, unde ſibi videbatur melius valere; ſed mox ſequenti nocte omnia in deterius,aucta in ſummo gradu febris,acceſſit furibundum delirum, ſputum craſſum,crudum, ſanguineum, idque perpaucum, quæ omnia extrema minabantur; Vocatus ego, exhibui ſudoriferum, juſſi applicari veſicatoria, dedi oleum lini, ſic remiſere ſymptomata, illeque ex lethi faucibus ereptus ad caſtra perrexit. In Majo notavi in non nullis febres malignas,cum exanthematibus,minimè tamen funeſtas, niſi in duabus perſonis, in ſervo quodam qui illa pro morbillis habuit, nec aliud niſi myrrham & ſemen napi accepit, hinc accedentibus gravioribus ſymptomatibus exſpiravit. Altera erat puerpera quæ febrim lacteam aut puerperalem eſſe credens,neglectis alexipharmacis ſolum potum aquæ

cha-

chamæpythios cum ſaccharo adhibuit, noſtris puerperis in hoc caſu conſuetum, tandem conſpectu exanthematum hinc inde erumpentium perterrita, Medicum vocavit quidem, ſed nimis tarde, accedente enim diarrhœa, delirio, & tandem convulſione, mortua.

Jam ad æſtatem devenio, in qua menſe Julio & Auguſto ſubinde calor, intenſus nonnunquam, ſed raro durans, intermixtis ſubinde pluviis frigidis usque in medium ſeptembrem. Notabiles erant menſe Auguſto Dyſenteriæ in infantibus lactantibus & ablactatis, plane ut ante annum, valde frequentes, ſed ut plurimum funeſtæ, ſtatim enim poſt unam vel alteram dejectionem comparuit ſanguis, mox extrema debilitas & mors, pauciſſimi ad decimum diem ſervati, qui tamen mortui; Adultiores facilius curabantur. Valde inſuper contagioſa fuit iſta dyſenteria, nam facile corripiebat adſtantes & infantibus miniſtrantes, ex quibus tamen nulli obiere. Credo malignitatis hanc lucem non fuiſſe expertem, quæ quidem tenellulis mortem intulit ob nimiam teneram conſtitutionem, in adultis autem ita vim exerere nequivit, ſed facile fuit ſuppreſſa.

Tandem in Autumno comparuit æſtas. Scilicet ab æquinoctio usque ad Decembrẽ, per totũ Octobrem & Nov. ſerenitas, cum frigidiuſcula tamen aura matutina, hinc præter ſpẽ etiã melius crevit vinum quam ante annum, non tamen in abundantia aut illa bonitate prout alias apud nos fieri ſolet. In Decembri mutatus aër tempusque redditum turbidum ventis, nebulis atque pluviis, duodecima cecidit nix alta, quam ita ſolidavit ſubſequens rigidiſſimum frigus, ut ſupercadentibus conſequenter aliis nivibus, prima manſerit usque in Aprilem ſequentis Anni. Morbi circa hoc tempus nulli notabiles. Hinc progredior ad.

Annum. M. DC. XCVII.

HUjus initium fuit ſicut finis præteriti. Scilicet à ſolſtitio hyemali usque ad æquinoctium vernale, frigus acerrimum ſine remiſſione, congelatus Danubius ſtatim in Januario, manſitque pons iſte glacialis ultra octo ſeptimanas firmus & conſtans, quod alias valdè rarum apud nos. Fuit inſuper hoc memorabile, quod ſub denſiſſimis pariter ac profundiſſimis nivibus terra ſemper manſerit aperta, ita ut, remotis illis, hæc non aliter ac in vere fodi potuerit. Periere & computruere ſub hac mole nivium, fere

omnes ſegetes & olera hortenſia, frigus hyemale alias tolerantia, quæ, liquefactis nivibus, non aliter ac mucago quædam viridis terræ incubabant, ac in lutum reſolvebantur, non levi inſequente imprimis frumenti penuria. Cæterum quod *Hippocrates III. Aphr. 7.* dicit, Magnis ſiccitatibus fieri morbos acutos, hoc vice verſa hiſce temporibus meliori jure dici potuiſſet, de magnis frigoribus. Jisnemque durantibus circa finem februarii, febres acutæ malignæ per totam graſſabantur civitatem. Invadebant pleroſque leviſſimo rigore ſuccedente calore non adeo forti & quandoque iterum remittente primis diebus, mox circa quartum vel ſextum diem augeri cœpit calor, & notæ hinc inde in ſuperficie cutis apparuere malignitatis. Pulſus ab initio valde erant ſanorum ſimlis, ut & urinæ, ſed ubi calor auctus rubicunda inſtar ſanguinis factæ; Deliria circa nonum vel decimum demum diem comparuere, in quibusdam vehementia & ad decimum ſeptimum usque durantia, in quibusdam remiſſiora & breviora; Maculæ erant parvæ inſtar morſus pulicum, obſcure purpuraſcentes, circa decimum octavum aut etiam circa vigeſimum primum diſparentes. Non valde lethales erant hæ febres, ſed ſupra modum contagioſæ (quod alias non ſemper fieri ſolet) nam in aliquot ædibus ne unum omiſit, quem non corripuiſſet, rarò in una aut altera perſona ceſſavit. Duravit hæc lues in Majum usque ubi incaleſcente aëre remiſit.

Hyemem excepit Ver, ſed & hujus initia adhuc ſatis ventis & nivibus turbida. Succeſſit Aprilis totus ſerenus, ſiccus, absque pluviis cum calore pro tempore inſolito. Majus variabilis, nunc calidus, nunc frigidus, mox ſerenus, iterum pluvioſus, talis etiam totus Junius. Circa hæc tempora vix ullus notabilis occurrit morbus, ceſſantibus etiam ut ſupra dictum febribus malignis.

Æſtas fermè prioris anni æſtati ſimilis, mediocriter calida, & matutinis horis ſubinde frigida, vigeſima nona Auguſti, trigeſima & trigeſima prima mane pruinæ fuerunt, ſed plane innocuæ, noſtrates appellant ein Waſſer Reiff/ id quod tamen apud nos inſolitum, ubi tales pruinæ rarò ante feſtum S. Michaelis obſervantur. Hoc tempore frequentes erant Icteri, qui flavedine ſua plurimos deformabant. Sentiebant, qui corripiebantur, aliquam cordis compreſſionem, nauſeam, anorexiam, & non raro vomitum, mox flavo colore toto corpore perfundebantur, ſed qua velocitate

venit

venit, eadem iterum abivit. Poſt unum vel alterum laxativum diſparuit flavedo, rediitque ſanitas cum bono appetitu.

Qui ſubſecutus Autumnus ſemper erat variabilis & inconſtans, usque in Decembrem, cum quo hyems ante hyemem, id eſt, ante ſolſtitium gelu & nivibus ſuam ſumpſit initium. Febres quæ circa hoc tempus graſſabantur ut plurimum erant tertianæ duplices, raro quartanæ & præter morem autumnalium nec longæ nec lethales, ſed convenienter tractatæ, facile curabantur.

S. R. I.

Academiæ Naruræ Curioſorum

Illuſtris Domine

PRÆSES,

&

Magnifice Domine

DIRECTOR,

Nobiliſſimi itidem Excellentiſſimiq;

DNN.

ADJUNCTI & COLLEGÆ,

Patroni & Fautores nunquam ſatis deveneгandi, ſuſpiciendi.

BIennium fermè effluxit, quod incluto Ordini V. Opera Medica *Excellentiſſimi* DN. D. ETTMULLERI, νῦν ἐν ἁγίοις, pro ea, qua Patronos ſummos venerari decet, reverentiâ offerre, maximisque Nominibus veſtris conſecrare auſus ſum, certa ſpe fretus fore, ut, poſt tantos tamque ſeros labores, non MSStis ſolùm quamplurimis & Collegiis B. Vi-

ri rarioribus aucta, verùm etiam â profuſſiſſima illa mendarum, quibus priores Editiones ſcatebant, farragine vindicata, nec non omni ex parte caſtigatiora, Orbi Erudito Oculisque VV. ea exhiberentur. Quos conatus, Patroni Colendisſimi, haud ingratos Vobis extitiſſe (hoc enim & literis, & alio evidenti teſtimonio, benevolentisſimæ *Illuſtr. Præſidis*, pariter ac *Magn. DN. Directoris*; manus affatim teſtatæ ſunt: maximo ſanè cumulatus ſum gaudio, ut temperare mihi nullus queam, quin in tanti beneficii memoria, pro ſingulari hac propenſi in me Favoris VV. teſſera, omnibus ac ſingulis gratias perſolvam publicas, maximasque, nihil magis in votis habens, quàm ut deſiderio, *Patroni Æſtumatiſſimi*, Veſtro, & labori meo, Editio iſthæc ex aſſe reſponderet, nec tot crudis, ſenſum omnem ſæpisſimè depravantibus aut planè invertentibus, & quod omnium maximè dolendum, ſine numero repetitis (ſiquidem oculo ſaltim volante Opera percurrens, Erratorum plus ſexaginta chartarum plagulas jamjam extraxi) vitiis referta eſſet atque repleta. Tantum verò abeſt, ut culpâ meâ id factum ſit, quippe qui mundatores MSStorum meorum plures adhibui Medicinæ Candidatos, ê quorum numero duo Licentiati ſuperiori & currente anno cum laude meritoque ſuo renunciati ſunt, neque etiam horum ſcripturas ſine accurrata perluſtratione imprimendas unquam transmiſi, niſi ſumma fortè feſtinatio, aut copioſior Praxis unà cum privata remediorùm diſpenſatione, aliud exegerit; ut interiiſſe Opera Ettmülleri potius, quàm adulteratâ ac vitioſâ hâc Editione tantum temporis inſumpſiſſe, totiꝙ mundo ſic impoſuiſſe, malim. Cùm itaque ad Bibliopolam, qui ſumtus fecit, id omne redundet, quicquid vel tenacitatis vel minus probæ fidelitatis vitio, falſi hanc Operum Ettmüllerianorum Editionem denuò irrepſerit, Vos, *Colendisſimi Favitores*, & quotus quisque præterea Artem Medicam amat, enixe rogatos volo, nolitis, quæ Veſtra in bonos Humanitas eſt, mihi vitio vertere, qui ne per ſomnium quidem calamo hæc talia effluere paſſus eſſem, etſi ob loci diſtantiam Typographo adeſſe, eaque evitare minus quiverim. Equidem non ignoro, quibus excuſationibus turpiſſimam hanc negligentiæ notam decl-

clina-

clinare tentet ſupradictus Biblipola, utpote quem, ubi aures ei hac ſuper re plus unâ vice vellicaverim, affirmare non puduit, ſe nullo modo partibus ſuis defuiſſe, ſed adhibito Francofurti ad Mœnum eximio quodam Medicinæ Licentiato, Correctore & Indicis Collectore, probè omnia curaſſe, ut fieri ſanè non poſſit, quin in ipſis MSStis vitia hæc, quantacunque ſint, extiterint. Aſt cui emunctioris naris hominem iſtud perſuadere licebit? Provoco ſanè ego ad ejus conſcientiam, ad MSSta, producat ex iisdem, ſi Vir eſt, talia. Et poſito, minimè tamen conceſſo, præter voluntatem & meis, & eorum, qui in mundum MSSta ſcribere conſtituti erant, oculis falſi quid ſubterfugiſſe; nonne Correctorem, eumque eximium Medicinæ Licentiatum, id emendaſſe oportuit, quod vel partim in Anatomia leviter verſatus, partim Pharmacevtices tyro quisque, ne gravius quid dicam, obſervaſſet, ſi vel obiter exemplar, idque typis jam impreſſum, inſpexiſſet! Longè mage igitur veritati accedere videtur, â Bibliopola, ſacrâ nimirum Auri fame ducto, totius Operis curam Ordinario Correctori, Medicæ artis penitus imperito (id quod ex prava tot Formularum, terminorum Anatomicorum ac Chymicorum, ſignorum Medicorum, nec non Autorum allegatorum, corruptione quamliquidiſſimè patet) commiſſam, atque ſic contra datam fidem id totum tam miſerè depravatum eſſe: Ut nihil dicam de ſexcentis hujus farinæ aliis, quæ, tanquam realia & minus falſa, ex Operibus ſine judicio excerpta, Indicis Collector huic inſeruit: quam ſanè injuriam & *beatiſſimis Magni ETTMULLERI manibus*, nec non *Filio ipſius paternarum Virtutum æmulo atque hæredi longè dignisſimo*, ut & mihi ipſi, nullâ datâ cauſâ illatam, ſuo tempore vindicandam, haud immemor futurus ſum. Idque eo magis, quod ad Privatum commodum intentus Bibliopola in præmio laborum, quo de anteà inter nos conventio facta erat, me fruſtrari omnibus modis ſtudeat, ac eodem principio excœcatus, Sphalmata â me jam pridem excerpta redimere, Operibusque ea addere, recuſet, ut ita non videam, quâ ratione in tanta impoſtura iis, qui Opera emptione jam ſua fecerunt, ſatisfieri queat. Quid quod, accedit & tertium malæ fidei genus, quod nimirum *Exemplaria Celeberrimis*

ſimis iis Medicis, qui ultima & privatisſima *B. Autoris* Collegia ex univerſa fermè Germania benevolè mecum communicarunt, *in hanc usque horam à Bibliopola retineantur*, quâ injuriâ fit, ut *invitus maximè promisſis in Epiſtola invitatoria datis ſtare nullus posſim.* Siquidem non amplius duodecim Exemplarium mihi reddita ſunt, quorum maxima tamen pars tanto defectuum numero laborat, ut in neminis bonorum conſpectum ea producere audeam, præſertim ubi defectuum reſtitutionem nullis precibus monitisque impetrare hactenus licuerit; quæ pesſima ingratitudinis nota ne mihi inuratur, *Viros Medicos*, quorum intereſt, precibus omnibùs rogo atque obteſtor, *datâ hâc dextra meâ, per me nihil moræ futurum, quo minus debitum hoc exſolvatur, ſimul ac Bibliopola, vel propriâ conſcientiâ convictus, vel judicis officio adactus, præſtanda ex jure conventionis præſtiterit.* Tandem verò Vobis, Magnifici Excellentisſimique Collegæ, pro liberanda fide mea non ignotum eſſe volo, *Præ*clarisſimorum quorundam Medicorum commotionibus, qui tot iteratis vicibus novam in tot ſphalmatum iniquiorum conſideratione Editionem, communicatis adhuc aliis & anteà nunquam viſis *B. ETTMULLERI* Collegiis, urſerunt, me omninò ſatisfacturum, nec non reverſo ex peregrinatione *Nobilisſimo B. Autoris Filio*, cujus quippe conſenſum ac benevolentiam in tradendis Diſſertationibus quibusdam paternis, brevi ante obitum doctisſimè conſcriptis, nondumque editis, nullus diffido, in id ſedulò innixurum, ut nova, eaque ad dimidium auctior, & quantum per hominis induſtriam fieri poteſt, â mendis omnibus purgata Editio propediem ſiſtatur. Cæterum animitus DEUM precor, ut Academiam noſtram cum ſplendidisſimis quibuscunque ejusdem membris ſartam tectam eſſe, eamque ſempiternum florere jubeat, me verò meaque ſtudia, & ſibi & Bonis omnibus cômmendatisſima habeat. Scribebam Ἰαχέως Delitii Anno recuperatæ Salutis M. DC XCIIX, pridie Calendarum Novembris.

Albucaſis.

MEMO-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


HESPERIUS
MAJOREM ſpectas vel tanti Luminis umbra
Solem non Lucem pingere dextra potest.
Non illi certent Podalirius atq; Machao
Nota ſuis Meritis nomina MAJOR erat.

MEMORIA
MAJORIANA
ſeu
PANEGYRICUS
IN LAUDEM ET MEMORIAM
VIRI ILLUSTRIS
JOHANNIS DANIELIS MAJORIS,
Phil. & Medic. Doct. & Profeſſoris Primarii, Sereniſſimi Sleſw. Holſatiæ Ducis Archiatri, Academiæ N. C. Adjuncti,
dicti Heſperi
Anno M DC XCIV. ipſo ante Annum emortuali Die, qui erat 3. Auguſti, in Auditorio Majori Academiæ Kilonienſis habitus
à
WILHELMO HULDERICO
Waldſchmiedt/
Med. Doct. Ejusdem & Philoſophiæ Experimentalis Profeſſore Ordinario,
&
Publico honori
Collegæ ſui deſideratiſſimi dicatus
à
Leopoldino-Cæſarea Natur. Cur. Academ.

Magnifice Domine Pro-Rector, Viri, munerum dignitate, Natalium ſplendore, doctrinæ præſtantia *celeberrimi, Maximè Reverendi, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſime, Ampliſſimi Profeſſores* & *Collegæ* plurimum honorandi, *Hoſpites, Fautores* ſpectatiſſimi. *Tuque Flos juventutis, ſpes* mundi maxima.

SI vocem intercludere ſolet dolor, & officii præſtandi neceſſitas inevitabilis, cum voluntate pronâ conjuncta, ubi virium & facultatis defectum experitur, haud leve dolori addit pondus & incrementum, nemo *Veſtrum* mirabitur, *Auditores*, quòd, dum dicere aggredior, vix id queam conari, & ex ore ſtupentis verba non niſi profluant tertiata. Jlla enim doloris publici cum privato conjunctio, illa jacturæ, quam in Viro, ſui ordinis Principe, nos omnes, & cum primis ego, antè annum fecimus, recordatio, ille cathedræ ad huc viduæ ſqualor, illa *Patris*, & *Collegæ*, & *Patroni deſideratiſſimi*, quem hic dies funeſtus, qui *Jllum* eripuit nobis, ad juſta facienda reducit, acerba ſane memoria, ita certè me conturbant, ut vox propemodum faucibus hæreat. Nam & hoc inſuper accedit, haud parum ad augendum faciens moerorem, quod de *Viro ſene Celebrimi nominis* dicendum ſit viro juveni, quem *ille*, inde ab

annis paucis lateri *ſuo* admotum, & innumeris mactatum beneficiis, *ſui* quidem amore & deſiderio implevit, ſed qui tamen, ſi vel facultas dicendi ei longè maxima foret, haud ſcitus, ob ignorantiam meritorum *ejus*, præco, & parum commodus deſiderii publici, in transmittenda ad poſteros *tanti Viri* memoria, eſt interpres, Utiq; pauca illa, quæ *is* de vitæ ſuæ & Studiorum curriculo annotavit, non Majorem nobis *Magnum Johannem Danielem Majorem Medicinæ Doctorem, in hâc Almâ Profeſſorem Primarium meritiſſimum, Archiatrum Ducalem Excellentiſſimum*, ſed meritis multò minorem repræſentant; & cum *ſe ipſum* Eruditione ſolidâ & diffuſa, rarâ medendi peritia & felicitate, inſigni morum candore & vitæ probitate, dudum ſecreverit vulgo, quaſi denuò turbæ inſerunt & includunt. Non enim hæc ſunt, quorum commemoratio Magnorum Virorum memoriam perennare facit, æternitati temporum inſerendam, quæ ipſi narrare poſsunt, & in gratiam quandoq; ſuorum ſolent notare, ne illos, qui ab ipſis orti vel eorum memoriæ ſtudent, ea fugiant, quæ ad hanc, modo quodam faciunt conſervandam. Communia ſunt iſta & vulgata, quæ utut providentiæ divinæ ſingularis veſtigia quandoq; evidentia oſtendant, nil tamen divini & ſingularis in illo qui laudatur, deſignant, cum id omne externum ferè quiddam ſit, neq; ad ea, quæ fecimus ipſi, pertineat. Virtus eſt, virtus inquam eſt, quæ poſt funera vivit, & dignum laude Virum mori vetat. Diſputent Philoſophi, utrum illa in habitu, an in actione conſiſtat? ſanè habitum ejus adeſſe nemo ſenſerit, niſi per actiones ſeſe exſerat quæ tamen nec ipſæ habitum arguunt præſentem, niſi continuô quâdam vitæ tenore, unde profluant demonſtrent. Non poterit autem cuiquam de eo conſtare, niſi ipſe longo

vitæ

vitæ uſu, imò & familiari ejuſdem conſortii conſuetudine, arbiter fuerit omnium, & ſpectator eorum, quæ laudi ceſſerunt. Audiat ab aliis narrari, relata in literas legat, ſi ipſe non viderit oculis, & vivo quodam Experientiæ ſenſu agnoverit, frigebunt quæ dicet, neq; facta dictis unquam exæquabit. Optandum itaq; nunc mihi foret, atq; omnibus *Vobis* expetendum, exiſtere aliquem, me & ætate & experientiâ, ut alia omnia taceam, majorem, qui *B. Socero* ab annis pluribus familiaris, & interiora *ejus* habens perſpecta, majori evidentia & nitore, dotes *ejus* atq; Eruditionem, virtutes & merita delinearet, publicoq; ſiſteret. Ornavit aliquando meritiſſimo, poſt fata elogio, *Olaum Wormium*, hem, quantum Virum! quantus Vir & ipſe *Thomas Bartholinus*, Medicus Medicum, Collega Collegam, & ex affinitate Avunculum: ſed ornavit Præceptorem Diſcipulus, ſenem Celeberrimum, ipſe virilem ætatem ſupergreſſus, & non minus Celebris, qui quem laudaret pernoverat, ac complurium annorum familiaritate & cultu, ut oculis, ſic animo impreſſerat penitus, ac ad vivum depingere poterat, & redivivum Auditoribus ſiſtere, Quæ verò mea infelicitas eſt, dum *Virum Wormio* non diſſimilem aggredior laudare, deeſſe mihi video illa quoq;, præter tot alios defectus, omnia, quæ ſaltem ab Experientia ſubnaſci poterant, ſi vel Diſcipulus, vel plurium annorum Collega, majorem hujus *Viri Magni* notitiam mihi paraſſem. Quare, quod pictoribus evenire ſolet, qui jam vitâ functos, ſive ex memoria, ſive ex lineamentis cadaveris, raro antè viſos depingunt, id mihi nunc eveniat, neceſſe eſt. Hon erunt vivi hi colores, ſed aliquid lividi ex cadavere trahent. Mihi tamen, Auditores, nihilominus fuerit ſatis, ſi *Veſtræ* haud reſpondeam

 exſpe-

exſpectationi, quòd dum onere officii, quod pietas impoſuit, opprimi malo, quàm id per ignaviam abjicere aut deponere, operam tamen minimum cederim, ne quis fidem à me, aut ſtudium, aut diligentiæ conatum deſideraret.

Cùm Magnos Viros animus faciat, cujus origo divina, haud à ſolo natali pendet, parum equidem ubi ſint nati, referre videtur. Nam ad eorum dotes raras & inſolitas patria nihil, certè parum facit. Et tamen cognoſcere gaudemus, quo illi ortum ſuum referant, & ubi ſpiritum cœperint trahere; quoniam ſi illorum nihil intereſt, quod clarum vel ignobile ſolum natale ſint ſorditi, ad Patriæ tamen decus non nihil ſpectat, quæ cùm ſuorum ex vitiis maculam ſuſtineat, ex Virtutibus gloriam ſibi rectè vindicat. *Majorem* ergò *Sileſiæ* debemus, quæ tot alios Viros, omni ævo præclaros tulit, & in hâc *Vratislaviæ*, urbium ejus capiti, oculo & gemmæ. Hæc nempè Vratislavia, plurimorum quoque Clariſſimorum Medicorum, & in his *Johannis Cratonis à Crafftheim*, *Danielis Sennerti*, &c. patria & nutrix laudatisſima, *Majorem* noſtrum ſinu ſuo excepit prima, natum anno hujus ſeculi quarto & triceſimo, eôdem Menſe & propemodum die, quô denatus. Menſis erat Auguſtus, & hujus dies ſexta; quando primum lucem aſpexit. Clara dies ob pugnam olim Marathoniam, trophæis *Miltadis* apud Græcos illuſtrem, ſed in Faſtis ſignata obitu *Hieronymi Fracaſtorii*, Medici apud Italos ſuperiori ſeculo clariſſimi, nunc albo ſignanda lapillo, quôd Clariſſimi nominis Medicum reddiderit. Hic, licet Medico haud ſatus fuerit Parente, Clariſſimum tamen habuit, *Eliam*

Majo-

Majorem, P.L.C. *Gymnaſii Patrii Eliſabethani Rectorem & Profeſſorem, reliquarumque Scholarum Inſpectorem* meritiſſimum, qui à *Ferdinando III.* Auguſtiſſimo Imperatore, glorioſiſſimæ memoriæ, Nobilitatis inſignibus inveſtitus; qui id quoque productæ ad annum uſque hujus ſeculi ſextum & ſexageſimum, ætatis ultra octogeſimum annum, vitæ grande pretium tulit, quod Filii honoribus, & ad altiora promotioni aſſurgere potuerit, & de incrementis ejus lætari. Huic Uxor *Maria, Danielis Stroſii*, egregii *Civis Vratislavienſis* Filia, Filium hunc optimæ ſpei, in lucem edidit, ſequenti ſtatim die S. Baptiſmatis lavacro tinctum, & Avi quoq; Materni nomine inſignitum. Neq; ei à teneris defuit cura Parentis exquiſita, qui tot juvenum & Adoleſcentûm Nobiliſſimorum Studiis & moribus regendis præfectus, negligere certè haud poterat ſuum hunc filium, in quo jam in illis infantiæ primordiis, parvulos iſtos, (uti Tullio dicuntur) igniculos ingenii & bonæ Mentis, non ſine gaudio animadvertebat. Fateor quidem, nec ſine magno fateor dolore, *Auditores*, eſſe hoc Familiis multis Nobiliſſimis hæreditarium veluti malum, & acerbam hanc imprimis domeſticam calamitatem, quod viri præclari, deq; publico bono optimè meriti, non ſolùm relinquant frequenter, ſed & ſub oculis quandoq; ſuis cernere cogantur Filios degeneres, vel ignaviæ litantes, vel in omne ſcelus projectos, quibus proverbium debemus: Heröum Filii noxæ. Cujus rei culpam, ſi quis in Parentes quoq; conferat ipſos, fortè hand aberraraverit; quòd nempè diſtricti negotiis, vel blandâ indulgentiâ, teneræ Filiorum ætati parcentes, vel etiam hanc curam aliis, nec ſatis peritis, nec ſatis fidis, delegantes, ipſi negligant ſuos, & eâ negligant ætate, à quâ omnis reliqua

liqua pendet. Non ſic *Elias Major*, etiam hôc Filio ſuo Clariſſimus; quam aliorum Filiis impendebat publicè privatimq;, magno cum applauſu curam, eam ſuo præſtitit & enixè operam dedit ut Studia ejus, jactis maturè Fundamentis, ſolidaret & proveheret, ac mores in omnem Virtutem formâret. Verbis hanc in rem haud opus, cum rerum Teſtimonia loquantur. Cui enim, niſi *Parenti*, poſt Deum debuit animum illum caſtum, & rerum divinarum conſcium, quem vel ſola hortuli ejus inſcriptio teſtatur? *Patiendo vince, & videbis mirabilia Dei Judicia.* O dictum præclarè! O animum edoctum quid ſit illud: *Perfer & obdura!* Quid ſibi velit illud Epicteti: *Neceſſitati qui benè parere ſcit, is ſapit, eſtq; rerum divinarum conſcius.* Uti nemò derepentè fit deterrimus, itâ nemo derepentè fit optimus. Multorum annorum curâ eſt opus, & imprimis hic â teneris aſſuescere multum eſt. De Studiis verò Ejus, primis iſtis pueritiæ & adoleſcentiæ annis quid dicam, cum Poëtam Laureatum Cæſareum habuerit Parentem? Naſcuntur, dicunt, Poëtæ, non fiunt. Sed tamen & fiant neceſſe eſt. Niſi ingenium exercitatione excolatur, niſi fonte labra proluant caballino, vena eorum nulla eſt, & exareſcit. Non defuit autem iſta exercitatio iſtis annis *Socero*, quibus, qui humanitatis, ut vocantur Studia, & exactam utriusq; Linguæ ac Antiquitatis notitiam negligit, næ is poſtea Eruditi nomen ægre poterit tueri. Studium hâc in parte Ejus profectus, & hos luculenta eorum Specimina ſatis ſuperq; comprobarunt. Prout enim optimi Parentes illud ſibi negotii dari crediderunt ad omnem ut honeſtatem Filium hunc ſuum conformarent, & inde ab ineunte ætate Muſarum ſacris initiarent, ita, quàmprimum diſcendi capax videbatur, ſcholis commiſſus eſt, ubi modeſtiâ, pietate & induſtria, Parentibus,

Præcep-

Præceptoribus, omnibus deniq; Bonis, optimè de ſe ſperandi, ampliſſimam præbuit occaſionem. Haud ſatis ei viſum fuit, Stylum in omnem partem oratione ligatâ & ſolutâ ducere, etiam eloquii laudem aſſequi conatus, aliquoties perorando, de *mirâ Principum & inopinatâ electione!* de *Conviviis literatis*; de *Studii hiſtorici utilitate*, aliisq; ſelectioris argumenti quæſtionibus, publicam meruit approbationem. Neq; intra hos carceres diligentia ejus ſtetit & ingenium, jam tùm vires ſuas appendens & ad altiora aſpirans, ſed proferre Studia ſua voluit & in lucem prodire, quando, annum ætatis undeviceſimum agens *Decii M. Auſonii Epigramma I. cum tirocinio obſervationum Philologicarum*, & *obſervationes ad Carmen VII. Petri Bembi*, Clariſſimo *Hanckio* conſecrare fuit auſus. Quo ipſo, cum maturioris ingenii, & jam ſeſe in altum librantis argumenta daret, uberioris cultûs gratia ad Exteros, & quidem anno ſequente, qui in quartum & quinquageſimum hujus ſeculi incidit, *Wittebergam* primum, ad publicas & privatas Lectiones audiendas miſſus, Rectore Magnifico, *Marco Banzero, Med. Dr. & P. P.* Die 15. Aprilis, nomen Academie dedit & in Matriculam, quam vocant, Academicam, ſeu Studioſorum Album eſt relatus.

Hic quanquam ſuæ ſpontis factus, laxius agendi occaſionem nactus videretur, nequaquam tamen luxui ſe dare viſus, nec voluptatibus transverſum agi paſſus eſt juvenilem animum, ſed potius, ut Clariſſimorum Virorum favorem, induſtriâ atque diligentia ſibi compararet, omni Virium contentione allaboravit; cum Philoſophiæ, imprimis Naturalis, ſtudio, Medicum conjungens, & ſic paulatim ad altiora contendens. Multa enim, quæ alii in Academiis demum diſcere ſolent, is jam in Patria

hauſerat, adeoque ea potiſſimum, quæ ad ſcopum præcipuum faciebant, urgebat, uſus Præceptoribus fideliſſimis, in Phyſicis *Johanne Sperlingio*, quô præſide etiam Diſputationem Anthropologicam de *Pulmone* habuit: in Medicina, Celeberrimis ejus Profeſſoribus, *Victore Schneidero*, vel ob ſolum ingentis laboris opus de *catarrhis*, laudatiſſimo, tùm & *Marco Banzero*, non minus fido rerum, quæ ad valetudinem curandam pertinent, Magiſtro. Unde utriusque operâ uſus, & utrumque ſectatus, ſub utriusque etiam Præſidio, prioris quidem, Diſſertationem, de *Lacrymis*, poſterioris verò, *Controverſiarum Medicarum ſaturam*, cordatè & feliciter defendit. Ita autem per triennium in hâc Academia vixit, ut publicum quoque ſtudiorum teſtimonium ex ea reportaret, dignus ab *Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ ſenatu* habitus, qui ad *Gradum Magiſterii* admitteretur, quô, præmiſſis quâ Publicis, quâ privatis, pro more, examinibus, Decimo quinto Octobris die, Anni, ſupra quinquageſimum ſeptimi, *Decano Andrea Sennerto, Sanctæ & Orientalium Lingvarum Profeſſore & Promotore* eſt ornatus. Sed cùm clarum eo tempore, potiſſimum in Chymia, eſſet nomen *Johannis Michaëlis*, *Medicinæ Profeſſoris apud Lipſienſes Experientiſſimi*, cujus ſpecificum cephalicum, & alia quoque Medicamenta, etiamnum Pharmacopolarum officinæ non ignorant, & Medici in non uno Morborum genere commendant, *Lipſiam* Noſter anno ſeqvente, ut ſe in hujus diſciplinam traderet, contulit. Ibi proficiendi ardore, aſſiduitate, obſequio aliisque bonis artibus, Eum ita ſibi devinxit, ut Filii in modum dilectus, in Artis arcana ſe penetraret, adeoque hujus Ducis Conſilio & manuductione, haud exiguam ſibi in Chymicis ſcientiam compararet.

Erat

Erat jam eâ ætate, & eorum in Medicina profectuum *Major* noſter, quibus, aliorum exemplo, Lauream petere poſſet, ac à Præceptoribus ſuis impetrare. Sed *Majorem* ſe eſſe meminerat, & tùm demum futurum, ſi Studia præcocia non præcipitaret, alios quoque extra Germaniam Medicos, conſuleret ac audiret. Inſigni ergò Exteros videndi deſiderio flagrans, peragratâ magnam partem Germaniâ, Italiam, *Venetias* nempe & *Patavium* adire conſtituit. Eſt, ut noſtis, clarum Medicorum Italorum nomen, magna Patavinorum erga exteros humanitas, & familiaris quædam, praxin in ipſa praxi addiſcendi ratio iſtis probata, quam Germanorum Scholæ vel penitus ignorant, aut ad minimum, non adeò perfectè poſſident. Hæc noſtrum in Italiam pertraxerunt, & voti compotem fecerunt. Abiit eô Anno Milleſimo Sexcenteſimo Quinquageſimo nono, & *Venetiis* inſignem nactus eſt Patronum *Franciſcum Lauretanum, Senatorem Venetum Illuſtrem*, cui anno ſequenti Sexageſimo Lauri folia Veneta conſecravit; quod etiam ſcriptum, *Epigrammata* continens *de laudibus Venetiarum*, ſub nomine *Hadriæ glorioſæ una cum annotationibus* poſt ſexennium de novo edidit. Poëtam itaque oſtendit ſe, Poëta natum ſimili carmine de honoribus *Antonii Molinetti, Medicinæ Profeſſoris*, benè meritus, atque ita rebus Medicinam ſpectantibus vacans, ut tamen alia quoqne, quæ ad rem antiquariam & politiores literas pertinere videbantur, haud negligeret, atque ſic poſtea, ipſemet etiam inter Viros, de Antiquitate ejusque ruderibus conſervandis, curioſè ſollicitos, Magni nominis eſſet. Habuit tùm in hoc Studii genere Myſtagogum *Carolum Offredi*, Virum in hiſce verſatiſſimum, à quô voce & exemplo accenſus, in illum

Antiquitatis exarſit amorem, quem poſtea fovit ſemper, & luculento Muſei ſui Cimbrici apparatu demonſtravit. Verùm non ideò Medicinam minus excoluit, in quâ Præceptores ei multi Viri egregii fuerunt, *Franciſcus Bonardus*, *Proſper Todeſchius*, *Hieronymus Frigimelica Comes Patavinus*, *Petrus de Marchettis* & Alii, quorum ille operâ ſedulò uſus, magnâ contentione in iſtis publicè privatimque audiendis, per annum & quod excurrit, eſt verſatus. Ab his Theoriam & Praxin ſimul hauſit, in Chirurgia præſertim exercenda iis adſtitit, neq; quicquam negligi fecit, quod vel illi docere, vel ipſe diſcere poſſet, quin id omne, diligenti obſervatione ſibi notum redderet ac familiare. Ita factum tandem, ut cùm aliquam Studiorum fiduciam cepiſſet, ad præmium Studiorum, *Gradum* nempè *Doctoris* modeſtè petendum, Anno ſequente converteretur. Neque vanum fuit ſive Ejus deſiderium ſed voti compos factus nemine contradicente, à Promotore *Ermingildo Pera*, ad *Theoriam Medicinæ in cathedra Patavina in ſecundo loco Profeſſore Publico, Syndici* tùm *Nationis Germanicæ Vicario Friderico Lachmund*, *Hildeſienſi Practico* poſtea, vel ob ſolam *Avis Diomedeæ deſcriptionem*, & *alias obſervationes curioſas*, inter Eruditos notiſſimo, Die Lunæ, vigeſimo octavo Menſis Junii, Anni ſuper Milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimi, more recepto *Doctor* eſt renunciatus, & ſic non ſinè eximiâ laude, inſigni mactatus honore, *Patavio* & *Italiæ* valedixit, ac metam Studiorum aſſecutus primam, iter in Germaniam, luſtratis tamen antea locis Italiæ celebrioribus, relegit, & per *Auſtriam* in *Patriam*, gratus procul dubiò hoſpes Parentibus, gratus Cognatis totique Familiæ, verè jam *Major*, eſt reverſus.

Non

Non ei tamen *Patria* ita grata, ut eum detinere & ſui juris facere valeret, utut conjectu facilè ſit, laboraſſe in eo Parentes, & maluiſſe ut uberrimum Studiorum fructum, quem exſpectabant, in ſolo patrio potiùs, non ſine gaudio ſuo ferret, quàm aliò transferret, niſi aliud è re Filii fuiſſet. Huic enim gratior & magis commoda, prior illa Studiorum Academicorum Mater, *Witteberga*, ad quam mox rediit, & Anni ſequentis Die 21. Maji, nuptias ibi lætus celebravit, ductâ in Uxorem egregiâ Virgine *Margaretha Dorothea*, ejusdem Clariſſimi *Andreæ Señerti*, quô *Decanô*, *gradu Magiſterii* antea fuerat ornatus, Filiâ lectiſſimâ. Verùm, prout res mortalium ſecundæ haud diuturnæ eſſe ſolent, & mors inopina frequenter, quod benè colligatum erat, diſſolvit, ita nec gaudium hoc ex compare exoptatiſſima reperta, *Majori* eheu! Noſtro fuit diuturnum. Partum enim difficilem filiolæ *Johannæ Dorotheæ*, (quæ & ipſa non multò poſt deceſſit) intra diem Octavum, decimo ſexto Octobris, anni ſexageſimi ſecundi, mors matris excepit. O caſum acerbum! Vix ultra annum Maritus, & jam Viduus erat; Geminato, intra paucas hebdomadas, funere Filiam cum Matre efferebat. O ſpes fallaces! Animo ſanè opus erat & pectore firmo, ut calamitatem hanc graviſſimam, quâ par erat, mentis immotæ conſtantiâ ſuperaret. Superavit tamen, & in tertium uſque Annum in luctu perſeveravit, nullam adhuc ſatis certam aut ſtabilem fortunarum ſedem inveniens, donec divinâ eam hîc benignitate reperiret, & ſimul occaſionem commodam, Eruditionem & Virtutes ſuas, magnâ cum laude & gloriâ proferendi.

Vocatus erat jam antea *Serveſtam*, eiq; munus Phyſici Civitatis oblatum, ſed modeſtè, varias ob cauſas recuſaverat:

ſaverat: Neq; etiam Medici Caſtrenſis ſpartam in Exercitu *Sereniſſimi Electoris Saxoniæ*, bis licet vocatus, ſuſcipere voluit, ſed potius elegit provinciam Medici, in curandâ peſte ordinarii, quam *Hamburgenſes*, ſalario ſatis amplo conſtituto, offerebant, adire. Cui etiam eâ religione & fide præfuit, quæ Medicum, in Magno ſemper periculo verſantem, decebat ſic ut fama ejus creſceret magis, ac ad Gentes, etiam longè diſſitas, diffunderetur. Apud ipſos enim *Moſcos* aditus ei ad fortunam lautiorem patuit oblatâ apud *Magnum Moſcorum Ducem, quem Czarum ſeu Cæſarem* vocant, Archiatri dignitate cum ſalario ampliſſimo, quem licet internuncio Ejusdem Archiatro *Engelhardo*, oblatum, declinare tamen ſatius duxit. Nam, videbatur ei iſta quaſi ſpecies quædam exilii eſſe, ſi adeò à Patria remotus, in ſolo peregrino, apud Gentem, linguâ & moribus multum à Germanis, diſcrepantem degeret ac veluti captivus, catenis aureis vinctus, detineretur. Neq; dubitabat futurum quin aliquando æquè commodè, vel in eodem loco, in quo tùm morabatur viveret, vel in vicinia, ſtatione aliquâ honeſtâ potiretur. In quo etiam augurium eum haud fefellit. Evenit certè non multò poſt, ut *Reverendiſſimus & Sereniſſimus Princeps Dominus Dom. Chriſtianus Albertus, Hæres Norvagiæ, Poſtulatus Coadjutor Epiſcopatûs Lubecenſis, Dux Sleswigæ-Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenborſt &c. Dominus Noſter Clementiſſimus*, Generoſo planè auſu, conſilium, cui glorioſæ memoriæ Parens *Fridericus* erat immortuus, de erigendâ in Ducatu ſuo Academia, denuò agitaret, ac *Kiliam* hanc ſuam, mercatu frequentiſſimo florentem, literario quoq; commercio augere, & magis illuſtrem reddere, conſtitutum haberet, ne

tot

tot Nobilium Flos inſignis, opus haberet efferre opes ſuas ad exteros, & è longinquo petere, quod in promptu eſſet. Conquirebantur ergò undiq; viri, conditione & nominis celebritate pollentes, qui in omni Facultate ſpartam demandatam poſſent ac vellent, ex honore novæ Academiæ *Chriſtian-Albertinæ* tueri, ac voto Sereniſſimi *Nutritii*, nullis hic ſumptibus aut impenſis parcentis, reſpondere. Delectus autem fuit inter cæteros *Major* quoq; noſter, & ad *Medicinæ Theoreticæ Profeſſionem*, die quinto julii, Anni Sexageſimi quinti vocatus, ipſis Academiæ primordiis, die quarto Octobris munus adiit, & officio Clementiſſimè demandato, ſtrenuè ſatisfecit.

Toleraverat hactenus viduitatis tædium forti pectore, & caſus graviſſimi memor, luctu triennii affectum in conjugem piè defunctam, ſatis ſuperq; erat teſtatus. Itaq; commodam jam nactus ſtationem, ad vota ſecunda tranſire conſtituit, atq; aliam ſibi comparem ac vitæ ſociam ejusdem Anni Die vigeſimo quinto Septembris adſcivit, Nobiliſſimam tùm Virginem, nunc viduam moeſtiſſimam, *Margaretham Eliſabetham*, Viri perquam *Reverendi, Nobiliſſimi, Ampliſſimi*, Dom. *Hermanni Pincieri*, *JCti*, & *Epiſcopalis Capituli Lubecenſis Canonici Senioris & Præfecti Magni*, Filiam dilectiſſimam. Fauſtum hoc ei & felix conubium, *prolem* quoq; *utriusq;* ſexus exoptatam dedit, natis *tribus Filiis*, & *totidem Filiabus*, ſed non niſi unico, cum duabus Sororibus *Filio* ſuperſtite, qui, ut aliquando per veſtigia paterna, ad laudem & decus aſſurgat, & Patrem reddat, non dubito juxta mecum omnes bonos optare. Prout enim triſte imprimis, ſi paterni nominis hæredes, non etiam ſint virtutis, & decus Familiæ, ad ſequiora declinantes fœdent cum dedecore ſuo ac deturpent;

ita

ita quoque ex adverſo viſu jucundum imprimis & auditu, ubi Filius Patrem redivivum ſiſtit, & cum nomine omen reddit. Fecit Parens quoad vixit, quod poterat, & quam ipſe curam Parenti ſuo ferebat acceptam, hanc in Filium tranſtulit. Ereptus eſt tùm nobis omnibus, tùm huic quoque præ ceteris Filio ſuo, qui conſiliò ejus juvari, auxilio attolli, & hâc florente ætate propius metæ potuerat admoveri, ſi Parente deſideratiſſimo frui diutius ei fuiſſet datum. Prout autem de Clementia *Sereniſſimi Patriæ Patris* non dubitamus, ubi eâ ſe reddiderit dignum, ſic ad Deum O. M. confugiendum, isq; exorandus erit, ut Spiritu ſuo Sancto eum ita regat, ducat, actionesque ejus ita dirigat, quò ſpes noſtras & vota, ſuo impleat tempore, nec unquam tanto nomine, tanto Patre indignus habeatur. Hic etenim, ubi primum in lucem publicam cathedræ eſſet productus, & Principibus innotuiſſet Viris, ſic inclaruit poſtmodum, ut certatim omnes ad eum ornandum concurrere viderentur, augerent titulis & honoribus, operâ ejus præ cæteris uti vellent, nonnulli expeterent haud impetratum, alii jungerent eum ſibi, plurimi commercium cum eô literarium, magnâ cum voluptate exercerent.

Anno Sexageſimo Tertio ab *Elia Schmidio, Medicinæ Doctore & Magnifici Præſidis Adjuncto*, per literas invitatus, nomen *Naturæ Curioſorum Collegio* dedit, ejusque brevi poſt conſtitutus eſt *Adjunctus*, evidenti indicio, quantum ejus inter Naturæ ſcrutatores jamdum eſſet nomen cum nec dum in luce Academiæ publica verſaretur. Quadriennio poſt, *Reverendiſſimus ac Sereniſſimus Princeps, Auguſtus Fridericus, electus Epiſcopus Lubecenſis &c.* hunc ſibi Archiatrum elegit, cui functioni per plures annos, pari fide & dexteritate profuit. Anno ſequente,

quente, primum in hâc Academiâ geſſit Pro Rectoratum, Anno ſecundo & Septuageſimo alterum, & quadriennio poſt tertium & ultimum, onere hôc tum quod ſolus in Facultate eſſet, tum ob alia negotia & ſonticas cauſas, ſingulari *Sereniſſimi Principis* Clementiâ, interveniente reſcripto Ducali liberatus. Anno Sexageſimo Nono de voluntate Ejusdem Clementiſſimi Principis Noſtri, *Hortus Academicus* hôc inſpectore eum diſponente & adornante, & uſibus Publicis pandente eſt initiatus, ne utilitate inſigni ex ſtudio Botanices in Medicinam redundante, hujus ſtudioſi privarentur, & ut ſimul eſſet, quod peregrinos alliceret ſpectatores, & aliarum Academiarum exemplo, jucundis deambulationibus & multæ frugis colloquiis inſerviret. Sed neſcio quô Fato, quâve temporum injuriâ hortus iſtê, tantâ induſtriâ à Majore exſtructus, in prima ſi ita loqui liceat, herba, fuerit extinctus non ſine inſigni Medicinæ litantium damno & detrimento: Alia enim planè & multò jucundior ac utilior Naturæ contemplatio eſt, quando in rem præſentem imus, quando ea, quæ in herbariis depicta, aut ab Hiſtoriæ Naturalis Authoribus deſcripta mente ſolùm & imaginatione, quandoque perverſâ complexi, vigore ſuo & colore naturali vigentia vegetabilia, oculis uſurpamus: quam ubi Figuras quasdam, plerumque obſcuras, vel etiam ipſas herbas jam marcidas, in herbariis, quæ vocant, vivis, ſpectamus. *H*anc itaque Naturæ ſeſe per flores, per herbas, per radices, per ſemina, per arbores, per fructus quaquaverſum diffundentis, in horto Academico opulentiam & ornatum, *Clementia, & Munificentia Sereniſſimi Noſtri Principis*, nobis aliquando redditum iri nullus dubito.

Sed redeamus ad *Majorem* noſtrum, quem Anno ſeptuageſimo primo *Sereniſſima Vidua Serveſtæ Anhaltinorum*, ut Archiater eſſet, deſideravit; maluit tamen ipe laboribus Academicis operam ſuam ulterus impendere, præſertim cum eorum approbatores plurimos et faventem Principem haberet. Hujus enim quoque Anno Octogeſimo tertio, cum ante Annum per Nobilem quendam primi Ordinis, ſibi oblatum munus ſatis ſplendidum, *Haffniæ* ſubeundum declinaſſet, Archiater conſtitutus, uti jam antè decennium, poſt *Marchii, Profeſſoris in Medicina Primarii* diſceſſum, primum in Facultate locum, magno ſuo merito erat conſecutus. Nam per integrum illud tempus, quô muneri Academiæ præfuit, publicæ, privatam utilitatem poſthabuit, & tam publicè quam privatim officio ſtrenuè ſatiſſecit; Commercium inſuper literarium, cum Viris Clariſſimis & Celeberrimi Nominis per Germaniam, Galliam, Jtaliam, Angliam, Belgium, Poloniam, Sueciam, Daniam, habuit, uti literæ Eorum, quæ in promptu ſunt, teſtantur. Quid in Praxi Medica præſtiterit, tota novit *Cimbria*. Quid in re literaria, ſpendida, quæ edidit monumenra, loquantur. Editorum numerus ultra quinquageſimum ſe extendit, ineditorum, & poſthâc forte edendorum Catalogus, non minus eſt amplus & plurima, Curioſis non ingrata futura, exhibet. Notum utique eſt omnibus, quanto ille Antiquitatis, tùm in re nummaria, Græcæ & Romanæ tùm in rerum geſtarum monumentis, Cimbriæ in lucem proferendæ Studio, quanto rerum peregrinarum, quæ Spectatores afficerent, colligendarum deſiderio, Magni *Wormii* exemplo flagrarit, ut, qui hunc in illo redditum, conatu ſaltem exquiſito & ſtudio pari, dixerit, ſi vel audiat

invidia

invidia, verum tamen dixerit, & ſuffragatores Viros principes ſit habiturus. Noſtis, quotquot *technicothecam ejus, & muſeum Cimbricum*, rerum curioſæ contenplationis thearrum luſtraſtis, quibus ille ſumptibus & ſtudio indefeſſo, ab annis multis in eo exornando fuerit verſatus, ſic ut præter veteris *Latii & moderna Numiſmata*, quorum numerus ad tria millia ſe extendit, *Gemmis* illud *nitidiſſimè ſculptis*, variis præterea Naturæ & Artis, domeſticis æquè ac exoticis, rariſſimis cimeliis refertum haberet; quam multos in ejus admirationem rapuerit Spectatores, quam Regibus & Principibus & Proceribus, quos habebat Patronos, hoc etiam nomine placuerit, & in hiſce deliciis ſuis magna cum fama & Academiæ hujus gloria ſe oblectaverit. Verum occidit eheu! *Vir Celeberrimus*, cum in eo eſſet, ut hiſce laboribus ſuis, novum decus conciliaret.

Verſabatur jam ab Annis plurimis in adornando *Opere Cimbrico*, quò & ſitum locorum accuratius detegere, & Antiquitates eruere & quicquid in his regionibus â Naturâ aut arte commendari poſſet, in apricum producere conabatur. Videbat autem, neceſſarium ſibi eam in rem, per *Cimbricam Cherſoneſum* iter, ut coràm cognoſceret omnia, atque ſic fide, in Relationibus ſuis propriâ, non alienâ niteretur. Quapropter illud in *Daniam & Sueciam*, poſtridiè Kalendas Martias, Anni ſuperioris aggreſſus, totâ ferè *Cimbrica Cherſoneſo* luſtratâ, *Haffniam* ingreſſus, à *Potentiſſimo Danorum Monarcha* maximis beneficiis affectus, & in *Procerum* notitiam admiſſus, eorum gratiam meruit, & poteſtatem rariora *gazophylacii Regii* ſpendidiſſimi luſtrandi à *Clementia Regiâ* impetravit, è quo, plurimas res Naturæ & Artis admirandas, in itinerario ſuo deſcriptas & depictas reliquit, quod lucem fortè aliquando videbit.

Ex *Dania* in *Sueciam* tranſiit Holmiam profectus, ubi *Suecorum Regis invictisſimi*, *Caroli XI.* Gratiam quoque expertus, unà cum aliis, ad curandum *Reginæ* Morbum, in conſilium vocatus, pluribus beneficiis mactatus, & ſplendidis muneribus ditatus, *Muſeo* ſuo *Cimbrico* deſtinatas tredecim Gemmas, ſummâ arte ſculptas, unâ cum nummis in memoriam cuſis, ex auro & argento plurimis, accepit. Accepit autem proh dolor! Muſeum ſuum nunquam viſurus. Nam 23. Julii Die, quô tempore maximus in iſtis locis Borealibus æſtus eſſe ſolet, accedentibus & aliis cauſis, febre acutâ *Holmiæ* correptus eſt, cui icterus ſupervenit, cum pertinaciſſima alvi conſtipatione, quæ tanta cum vehementia, corpus emaciatum & ſenio jam confectum, nec parum per itinerum incommoda afflictum, eſt depaſta, ut hâc ipsâ die tertiâ Auguſti, acceptô ante S. viaticô, circa veſperam Servatori ſuo tradiderit Animam, cùm nondum annum ſexageſimum attigiſſet, & eôdem die, paulò antè obitum, novum *Regii* favoris argumentum reſcriptô Regio, quô *Aſſeſſor Tribunalium Pomeraniæ* erat declaratus, cepiſſet. Sic obiit in ſolo peregrino procul à ſuis, Vir longiore vitâ digniſſimus, cujus Exuviæ in Templo Germanorum, magnâ cum pompâ depoſitæ, donec commodè poſſent in Monumentum, eis deſtinatum, deferri. Quieſcunt autem illæ nihilominus, licet agitatæ ventis, à portu aberrarint; Sunt in manu Domini, qui omnia oſſa noſtra in numerato tenet, *Cui terrâ Marique, inque ſubterraneis, vias ſuas commendaturum* ſe ſcribit noſter, in programmate inaugurali ultimo, paucis antè abitum diebus, hîc publicato. Faceſſant quotquot in mirandis adeò vitæ humanæ caſibus, ſecius quid, ſortis ſuæ ignari adeò liberè judicant. Veniet tempus, ubi & Mare, quos habet mortuos reddet;

ubi

ubi nullo diſcrimine terræ, quotquot ubicunque tumulati, prodibunt è monumentis & reſurgent. Olim Magnus ille *Scipio Africanus*, cùm *Linterni* in exilio eſſet mortuus, ſepulcro ſuo inſcribi juſſit: *Ingrata Patria, ne oſſa quidem mea habes:* Patriam ſic ingratam verecundiâ pulſans. Verùm non eſt arbitrii noſtri locum nobis, vel mortis, vel ſepulturæ eligere. Homo ſæpè hoc modo proponit, Deus verò aliter diſponit, & quomodocumque diſponat, certum eſt Terram eſſe Domini, & omnem ejus plenitudinem; benè mori, quotquot beatè moriuntur; benè conditos, quorum oſſa Dominus ſervat, & quorum monumentum in animis hominum perenni memoriâ erectum. Profectus eſt olim in *Sueciam* à *Chriſtinâ Regina* vocatus, *Nobiliſſimus Philoſophus Carteſius*, Natione Gallus, & procul à Patriâ, *Holmiæ* exitum vitæ inopinatum invenit, ſed & monumentum, quô à *Gallico Legato* eſt ornatus, tanto Philoſopho non usque adeò ſatis dignum. *Major* noſter, Germanus quidem, ſed nominis tamen hujus Philoſophi Studioſus, & ipſe Holmiæ mortuus, quorſum ad *Reginam* verè *Chriſtianam*, glorioſiſſimæ nunc memoriæ, erat profectus, illius funus, funere ſuo eſt comitatus, & licet tumulus ejus ignotus, monumento tamen ornabitur à ſuis, quale nomen Ejus celeberrimum & præclara virtus meretur.

Id unicum verò ſupereſt, *Auditores*, ut dum meritò hunc lugemus, meritò intempeſtivum hujus Viri inſignis obitum deploramus, viciſſitudinum hujus vitæ miſeræ haud ignari cogitemus, accidere poſſe cuique, quod cuiquam accidit; & cùm anniverſarius hic nobis ſit luctus, inde quoque pretium & præſtantiam Viri, cujus jacturam fecimus, æſtimemus, cujus jacturam meritò Eruditus lu-

get orbis. Quis enim *Majorem* nobis reddet? Unde in tantâ Virorum, huic ſimilium inopiâ, exiſtet aliquis tandem, qui Eruditione & Ingenio, aſſiduitate & induſtriâ, longo rerum uſu & in medendo experientiâ, ſingulari quadam in hominum congreſſu dexteritate & prudentiâ, Principibus æquè placeat Viris, & famam quoque ejus meritis æquet. Fuerit arrogantius dictum ab *Hieronymo Cardano, vix ſingula Secula ſingulos Medicos ferre:* ſanè tamen non adeò multos huic ſimiles hoc ſeculum tuliſſe, etiam ab invidis eſt agnoſcendum, qui cum ſolidâ Medicinæ Theoreticæ & Practicæ notitiâ, tot alias dotes habuerint conjunctas, aliarum rerum perinde fuerint gnari, ac earum, quarum ſcientiam præ ſe ferebant ac profitebantur. Quarè *benè memoriæ Ejus precemur, Virtutem & merita*, quæ in hanc Academiam & univerſum orbem literatum extant plurima, agnoſcamus minimum taciti, ſi prædicare ſit moleſtum. Paſcitur in vivis livor, poſt Fata quieſcit. Felix ille, qui cum ipſo jam ſupra invidiam poſitus triumphat: Felix qui ad illius exemplum compoſitus, in omni vita ſibi conſtans, ſic perſtat immotus, etiam dum progreditur & emergit, ut ereptus ſalo fluctuantis ſeculi, ad æternum tandem veræ felicitatis Portum cum ipſo appellat.

MEMO-

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY



Effigiem ſculptor Liber atq; Scientia Mentem
Monſtrat, Paſſia Virum, Cæsar, et Imperium.

Posuit Amic, I.G.S.

Philipp Kilian f.

MEMORIA
LEBENWALDIANA
PIIS EJUS MANIBUS
DICATA
per
Ephemeridum Directorem.

GLoria Laborum filia eſt, Sapientiſſimo jam olim Platone teſte: & nemo magnam acquirit famam ex magna quiete, vendunt enim Dii bona ſua laboribus: Otio perfrui apud Thraces præclarum quidem fuit, Capite tamen è contra â Dracone antiquiſſimo Athenienſium Legislatore (quem leges ſuas non atramento, ſed ſanguine ſcripſiſſe, Demades dixit) mulctatum eſt: Hinc & Appius Claudius bene monuit, negotium Romano Populo melius committi, quam otium, non quod ignoraret quam jucundus eſſet tranquillitatis ſtatus, ſed quod animadverteret, non modo præpotentia Imperia, ſed animos etiam hominum rerum agitatione & perſcrutatione ad virtutem capeſſendam excitari, nimia verò quiete in deſidiam & veluti marcorem quendam relabi, ii enim qui in otio conſeneſcunt, ex mera pigritia putreſcunt, ulteriori memoria plane indigni, vileſcunt, & ceu nunquam nati, ne umbram quidem bonæ notæ ac famæ poſt ſe relinquentes, evaneſcunt; ad negotia non otia nati ſumus, hinc Nunquam Otioſos Academia Cæſareo-Leopoldina Naturæ Curioſorum Collegas ſuos eſſe jubet, iiſque qui magno laborum ſtudio ſaluti humanæ præfuerunt, incrementa Academiæ pro viribus promoverunt, earumque Officiis laudabiliter invigilarunt, æternam erigere memoriam hactenus conſuevit. Exceſſit ex hoc Ordine noſtro, & beatè deceſſit, Vir PræNobiliſſimus & Excellentiſſimus, Dn. Adamus â Lebenwald Philoſ. & Med. Doctor,

Comes Palatinus Cæſareus, Poëta Lauru Cæſareo-coronatus, Notarius Apoſtolicus, Inclyt. Ducatuum Styriæ Phyſicus & Conſiliarius Medicus, Academiæ Cæſareo Leopoldinæ Adjunctus, qui Lemmati noſtro dum vixit, ex aſſe ſatisfecit, & omnino meruit, ut fama ejus nomenque vireat, vigeatque in æternum; meruit, ut abſens, inter nos adſit, mortuusque adhuc ſine fine vivat!

Vivere autem incepit d. 25. Novembris, An. 1624, in Oppido Auſtriæ ſuperioris, ſub ditione Illuſtriſſimorum Comitum â Sprinzenſtein &c. Sairleinſpach, vel Sairlinſpach dicto, ſuxitque unà cum lacte materno prima pietatis fundamenta, cumque humanioris literaturæ dogmata ex ore Præceptorum Linzii hauſiſſet, A. 1645. Græcium profectus Philoſophiæ ibidem Studium cum laude abſolvit; at Scholaſticis hiſce verborum & infinitorum inutilium terminorum tricis, quibus t. t. diſcentes vexabantur, non contentus, Phyſico rerumque naturalium Studio reali, magis utili, magisque neceſſario imprimis delectabatur, eique ſaluberrima Medicinæ Fundamenta ſuperſtruere quovis modo allaboravit: Quem in finem, in Italiam profectus, Antenoreum Lyceum frequentavit, Artique Medendi, Divinæ Medicinæ addiſcendæ unicè ibidem incubuit, & ab ore Celebratiſſimorum, inque Praxi ut vocant Medica Expertiſſimorum Medicorum non ſine magnis exinde hauſtis profectibus, rarioris diligentiæ exemplo pependit.

Non pœnituit Lebenwaldium noſtrum tanti Laboris, non toties expreſſi ſudoris, non tot devoratarum moleſtiarum, conſumtionis temporum & horarum, optimè collocatarum; Verum enim imò veriſſimum eſſe expertus eſt, quoad Romanæ Hiſtoriæ Princeps Livius, quem

S. Hiero-

S. Hieronymus ad Paulinum Epiſcop. Nolanum, fontem eloquentiæ lacteum manantem appellat, ſcripſit: Meliores, prudentiores, doctiores, & conſtantiores nos tempora diesque facere; remque honeſtam ut cum Plutarcho loquar, nullam temere & ſine labore acquiri, pulchra enim & honeſta difficillima eſſe; at labores hi fructu non carent, nam

Ardua ſi facias magno conjuncta labore
ipſe labor perit, at Gloria parta manet.

Manſit & Lebenwaldio noſtro laborum ſuorum quod omnino meruit præmium, manet & poſt fata ſuperſtes Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris Titulus & Elogium, quibus non ſine magnorum privilegiorum acquiſitione in ante dicto Lyceo Patavino & quidem in Eccleſia Cathedrali exornatus, in vita gaviſus inque medendi officio fructus eſt: meritò hinc ut exorſus ſum exclamo, Gloria laborum filia! Ne autem â Deo concreditum ſibi talentum ſine fœnore intactum relinqueret, & ceu mortuus inter vivos ambularet, ut Erudiſſimus Lipſius de ignavis loquitur, Græcium reverſus, Medicus reverà eſſe quam videri ſaltim voluit, hinc ſalutari & auxilio & conſilio ægris adſtitit, Praxinque Medicam ſub ductu celeberrimi Dn. D. Warnhauſeri, exercuit, tam felici ſucceſſu, ut A. 1655. non tantum famoſi Cœnobii Admontini, ſed Provincialis etiam Medicus Incl. Statuum Styriæ Superioris honorifico ſtipendio & Conſiliarii Medici Titulo fuerit conſtitutus.

Sedecim præterfluxere anni, cum domicilium ſuum mutavit, & in Vicinam urbem Rotenmanium A. 1671. ſeceſſit, ubi tam firmam, veram & ſinceram Amicitiam cum viro Præ-Nobili ac Generoſo Domino Johanne Georgio Schlechtio, Redituum Directore Cæſareo contra-

 xit,

xit, ut unicam in binis hiſce corporibus habitare animam, ſi vidiſſes, dixiſſes, Pyladem & Oreſtem revixiſſe, crediſſes, & jucundiſſimam eam eſſe amicitiam, quam morum ſimilitudo conjunxit, cum Cicerone meritò exclamaſſes! eousque enim alter ex alterius virtutibus ſuſcitatus fuit, ut cum Præ Nobiliſſimus Dn. Schlechtius A. 1674. ad Præturam Celebris Cœnobii Goſſenſis abiiſſet, Lebenwaldius eum ſecutus ſit, utque â latere tanti Viri, tanti amici, ſemper penderet, Vicinum Cœnobio prædium Nobile, Stibich-Hof dictum, emerit: cujus cum per decennium Poſſeſſor fuiſſet, vendere denuò placuit, hinc A. 1684. Leobium ſe contulit, & ubique ægrotis, pauperibus æque ac divitibus ſollicite ac fideliter operam ſuam præſtitit Iatricam: graſſante in Styria A. 1679. Peſte, atrociſſimo morborum Tyranno, adeo ut & prædium ejus cinxiſſet, fidelem & intrepidum ſe geſſit Medicum, mediusque inter tot mortalium ſtrages & mille pericula ex ſingulari Omnipotentis Dei clementia & protectione ſanus, ſalvusque permanſit, tantique monſtri Victor, lætus ſuperſtitit. Verbo: ob dexteritatem & felicitatem medendi, â Magnatibus magno in pretio ſemper fuit habitus, â Concivibus, Conterraneis & Vicinis ſuis amatus, laudatus, obque merita ſua imprimis æſtimatus; Traxit humanitate ſua omnium ad ſe oculos, cumulavit beneficiis egenos, præſto fuit miſeris, verumque eſſe omnino expertus eſt Magni Ciceronis effatum: Liberalitate qui utuntur benevolentiam ſibi conciliare: ſic enim ad Illuſtrem Celſum, Præſidem Magnificum Dn. D. Schröckium A. 1683. d. 3. Sept. beatus noſter ſcripſerat: „ Hungari rebelles irruptiones apud nos tentant, hucus-„ que repulſam paſſi, Vicini mei operarii metallici nume-

ro

„ ro octingenti, congregati ſpoliarunt quædam bona, nec „ mihi pepercîſſent, niſi beneficia illis à me in medendo „ præſtita, manus rapaces retraxiſſent &c. ſic melius ut cum Tacito loquar beneficiis cuſtoditur imperium, (vita, libertas) quam armis.

Horas ſubciſivas, non otio tranſegit, quamvis probè noverit nihil eſſe durabile, quod alterna careat requie, nihil quod aſſiduum perferre poſſit laborem, quin potius cum Chilone è ſeptem Græciæ ſapientum Claſſe, Lacedæmonio, ſemper damnandam eſſe putavit quietem, quoties honeſtum ſuperſit otium, hinc in animi relaxationem Muſicam coluit, Muſicam, quæ data eſt hominibus tanquam lac animæ, & gratiſſimum ſolicitudinis lenimentum, laborum ſolatium, & ad inducendam humanarum calamitatum oblivionem, optimum remedium, in qua tam vocali quam inſtrumentali non modo magnopere excelluit, ſed & verbis Textuum, elegantiſſimos maximèque ſonoros adaptare Tonos optimè calluit, unde poſt tot tantasque Celeberrimarum urbium in Germania noſtra expugnationes, devaſtationes, cruenta prælia, horrendas clades, deplorandas calamitates, rata & publicata Monaſterienſi Pace tam longè deſiderata, exoptata, amata, A. 1649. Officium ſacrum Muſicum (Ein gantzes Muſicaliſches Amt) tanto cum applauſu elaboravit, ut Illuſtr. Styrii ſtatus, Centum Imperialium dono exceperint.

Reliquum temporis & *Muſis* porro dicavit & *Orbi erudito*, & *Amicis*. *Muſis*, cum nullam tranſegit diem ſine linea, in qua non eruditionis ſuæ cumulum, vel ex eruditorum Virorum ſcriptis nova quaſi meſſe locupletavit vel propria Experientia confirmavit, cumque Seneca

probè

probè conſideravit, tamdiu diſcendum nobis eſſe, quamdiu neſciamus & quamdiu vivamus. *Orbi eruditio*, cum publica quædam ingenii ſui monumenta typis evulgata ſummo ſtudio bonaque fide ſeræ poſteritai conſecravit, & quidem An. 1680. typis Salisburgenſibus in forma ut vocant duodecima, Germanicè edidit Tractatum de Fraudibus ſatanæ ut & paulo poſt eodem idiomate, Damographiam, ſive de Ægagropilis libellum, nec non Monoſtichorum extemporaneorum, latinorum Centurias tres. Tandem 1695. Juſſu & Authoritate laudatorum Statuum Styriæ, Germanica etiam lingua inſigne Volumen de morbis contagioſis, Norimbergæ in folio impreſſum publicavit, & *Invictiſſimo ac Victorioſiſſimo Romanorum Cæſari Leopoldo Magno*, ſubjectiſſima devotione inſcriptum, conſecravit: plura, ſi Deus Vitam viresque protraxiſſet, in lucem emiſiſſet erudita ſcripta, maxime de ſale illo mirabili Nitro, quod ſibi præ aliis ſelegerat, nihilque tamen de eo evulgare decreverat, niſi Vulcano prius conſulto, propriaque Experientia comprobatum. Ut autem ſtudia ſuccumbunt ubi arma ſtrepunt, & Muſæ ſilent, ubi

Martius ille æris rauci canor increpat & vox
Auditus, fractos ſonitus imitata tubarum.

Sic grave ob atrociſſimæ Belloniæ Turcicæ irrumpentis periculum, Lebenwaldium noſtrum de ſecuriori loco quærendo monuit, hosque laudabiliſſimos ejus conatus utiliſſimosque labores turbavit, protraxit, annihilavit. Quanta autem tum animorum dejectio, quanta pericula illic locorum fuerint quis neſcit? Ita ſane noſter d. 24. Junii A. 1683. ad Illuſtris Academiæ Cæſareo Leopoldinæ

poldinæ Magnificum jam Dominum Præſidem ſcripſit: *Scire fortaſſe cupit Excell. Tua, quid apud nos agatur? Muſæ ſilent, Mars fulminat, Bellona triumphat, falces mutantur in enſes: Chriſtiano ſanguine madent, imo perfunduntur frameæ Turcicæ, Luna eſt in domo exaltationis, Sol Auſtriacus Ecclypſin patitur, Pauci apud nos ſunt in armis, plurimi in fuga, non habemus ullum Horatium, Curtium, Mutium Scævolam, Ego in mea arce hæreo, cum metu quotidianæ irruptionis, deprædationis, incendii & latrocinii; Utinam Archimedis animus mihi eſſet! non timeo quidem hoſtem, nec mortem, ſed tyrannidem &c.* Dicavit etiam aliquid otioſi temporis Beatus Lebenwaldius *Amicis*, dum mutuum doctûque cum variis Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Dnn. Collegis, aliisque Eruditiſſimis Celeberrimisq; Viris commercium ſuſtinuit Literarium, dumque ut *S*ymboli Academici memorem ſe eſſe ipſo opere nunquam otioſus, probaret, neque ſolo nomine memoriam ſuam commendaret, ſingulis Annis Ephemerides noſtras Obſervationibus ſingularibus locupletare non deſtitit.

Sed ut Gloriam laborum eſſe filiam porro innoteſcat, videamus quos honores Lebenwaldio Virtus attulerit condignos? præter enim Mitram Doctoralem coccineam, quam Gratioſus Aſclepiadeus Ordo capiti ejus impoſuit, tempora quoque lauru Cæſareo cinxit Apollo, nomenq; Lebenwaldianum Sacro Poetarum albo aurea inſcripſit penna; Donavit eum AUGUSTISS. IMPERATOR Comitiva Cæſareo-Palatina, & Sumus PONTIFEX, Notariatu Apoſtolico: Cumque Annô 1683. Academiæ noſtræ inſeri deſideravit, facile id, & quidem d. 7. Februarii impetravit, in qua cum ſedulum ſe Collegam præſtitit, Annô 1689. die 9. Januarii Adjunctorum etiam numerò fuit meritò adſcriptus.

Libertatis amans, neque Aulas Principum ad quas clementiſſimè vocatus fuerat, adire, neq; Uxorem ducere voluit; Aulas, cum Seneca Thyeſt. dicens:

Stet quicunque volet
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis ſaturet quies,
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio,
Nullus nota quiritibus
Ætas per tacitum fluat.

Uxorem, non ut legitimum improbaretConjugium, non ut timeret malam fœminam, malam herbam, cum & probam & manſuetam ſibi potuiſſet ſeligere; quin potius, ne ipſi ſublata tam Chara thori ſocia:

---- ----- *mors miſero bis patienda foret,*

Nec exclamandum ſibi ſit, cumViduo quodam Matre ſua familias præmatura morte ſublata:

Parte mei ſupero, pars eſt mihi demta vel ergo
Cum chara præſtat conjuge poſſe mori.

Vivant alii ex liberis ſuis, vivit hic ex libris, vindicent alii ex numeroſa proleNomen familiamq; ſuam ab interitu, Lebenwaldius, cui nunquam fuit uxor, nulliLiberi, immortalem nominis ſui famam ex ſcriptis acquiſivit & prole Chartacea; Vivit, vivetq;, quam diu ſuperſtites erunt libri, quamdiu in Orbe vivent eruditi, durabilis enim fama eſt, etiam poſt mortem, quæ & vitæ integritate & ſtudiorum aſſiduitate paratur.

Cum autem breves & mutabiles ſint rerum mundanarum vices, & fortuna nunquam adeo conſtanter nobis indulgeat, ut diu proſpero ejus utamur afflatu, quin potius, ut cum inopinatò reflat, affligamur; ſic Lebenwaldius Fortunam mox matrem habuit benignam, mox ſævam novercam, maximè ad vitæ finem, adeò, ut præ mœrore tandem Valetudinarius factus, Cachexiam contraxerit, quam aſcites, & tandem d. 20. Junii Annô 1696. beata excepit mors; ſic ſolvit Amiciſſimus quondam Collega noſter Naturæ debitum, reddiditq; DEO creatori

creatori animam ſuam per LXXII. ferè annos corporis jam labaſcentis incolam, quod terræ Matri ad futuram usque reſurrectionem concredidit: Requieſcant oſſa in pace, animæ autem ejus æternum bene ſit!

Corpus putreſcat tumulo, mens vivat Olympo;
Solaq; Virtutis Gloria ſemper erit.



Sta Viator!
jacet ſub hoc Tumulo
Vir ſine Conjuge
nunquam Maritus,
à *Vita* & *Sylva* nomen ducens,
qui, dum multas olim Morti abripuit victimas,
in Victimam ejus jam ipſe ſeceſſit,
ACADEMIÆ CÆSAREO-LEOPOLDINÆ
ADIUNCTUS,
dum viveret
Nunquam otioſus,
ſedulus, laborioſus,
quoad animam
ad ſidera
beate delatus,
Tu nunc diſcedens dicas, placideque quieſcat,
Terraq; perpetuò ſit ſuper oſſa levis!

INDEX

INDEX EPHEMERIDUM

Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Natur. Curioſ. Decuriæ III. Anni V. & VI.

A.

Abortus VI. menſium dentatus 619
Abortu ſoluta febris quartana. 636
Abrotani Planta lapidi impreſſa. 62 app.
Abſceſſus Hepatis ex opii Uſu. 55
plumoſus in Anſere. 424.
ſine inſigni dolore & æſtu. 102
Acetum cum fuligine fornacum evporiſton in fluxu nimio lochiorum. 168
Achates in quo VII. Arbores delineatæ. 60 app.
ſimilis Palmitum floribus. 61 Ap.
Acicula Veſicæ calculo impacta. 591
Acicularũ deglutitarũ exempla. 120 app.
Acida non ſemper rejicienda 127 app.
Acidularum Effervecentiam in Antlia penvmatica concernentia Exprimenta. 650
Acini paſſularum majorum alvum adſtringunt. 177.
Adianditbes Dendritis ſpecies. 61. app.
Adianthum aureum cur ſponte in ruderibus enaſcatur. 47
Ætiti calculus ſimilis in Cane. 99 app.
Geodi ſimilis Gaſidanes Gem̃a Plinii. 61. app.
Ægagropilæ ſunt Bezaar Germanic. 81. app.
qualitates. 82 app.
Uſus & abuſus. 83 app.
â Welſchio deſcriptæ ſynopſis. 81. app.
Affectus ſpaſmodicus ſingularis. 272.
Albedo corvorum in ſeptentrionalibus locus unde? 106 app.
Algæ figura impreſſa lapidi Phylites Pliny. 60 app.
de *Almerico* Baro Haly medicaſter famoſus. 10
Alvus excernit ſanguinem menſtruum. 457
rejicit pus in brachii tumore collectum. 635
*Alvi*fluxus inhibitus ſingultus cauſa. 618

Obſtructio ab acinis paſſularũ majorũ. 177
ad XIV. & plures dies ſine incommodo. 104 app.
Obſtructione diuturna demortui Anatome. 466 & 676
Amavroſis ex terrore. p. 66.
Ammonis cornua encrino ſimiles. 65 app.
nova. 64 app.
quomodo generentur. 40
Varia. 44
Ammonites Lapis. 45.
Amygdaloides Lapis. 45
Anatome Arietis hermaphroditi 669.
Aſthmate & hydrope Pectoris defuncti. 13
Fœtus mortui. 595
Gemelliparæ cum Tumore Teſtis ſingulari. 478
hydropici & phthiſici 471. 627
hydropicæ virginis. 32
ex obſtructione & induratione meſenterii. 382
Infantis â matre pedibus enecati. 295.
Juvenis incontinentia Urinæ defuncti. 423
Leporis. 522
Lochiorum ſuppreſſione & Abdominis Tumore laborantis. 178
Obſtructione Alvi diuturnæ mortui pueri phthiſici cum Polypis in Corde. 466. 676
Septuagenarii cum menſtruis vermes excernentis. 474
Androgyna Spinachia. 484
Urticæ. 485
Anevriſma Arteriæ magnæ. 416
Anguinum ovum Pinii cum Armatura pulchra. 41.
Ani Aſcarides menſtruatim prorumpentes. 1(?)3
per *Anum* ſecedentes membranæ. 77
inteſtini tenuis pars excluſa. 409
Anus imperforatus cum ventris tumefacti ſacco. 334
Animalium & Inſectorum variorũ per os excretio
Anni 1697. Conſtitutio Epidemica Auguſtana. 153 app.
1698. Conſtitutio Epidemica Aug. app. 159
Anſer abſceſſum plumoſum gignit. 424
Anſeres inter frequenter monſtra 425
Anthera muſci terreſtris clavati. 98 app.
Antimonii vitri vis emetica oppreſſa. 109
Flores Apoplexiam & ptyaliſmum non excitant. 132 app.
Gummi pro Tinctura. 285
Tinctura verior. 283
Antimonialis Proſapiæ eſt Mercurius Vitæ. 104 app.
Antipodagricum Emplaſtrum efficax. 150 app.
Antliæ pnevmaticæ Experimenta circa acidularum Effervescentiam. p. 658

Apnææ hyſtericæ Balſamus de Gilead medetur. 492
Apoſtema lienis hydropis cauſa. 633
Aquæ frigidæ Balneum phreniti-dem curat. 251
fortis illitus podagræ dolorem ſedat. 62
ſub *Aqua* octiduum integrum in Suecia quis vixit. 138
Aranææ longicruræ ex fungoſis lenticulis. 624
Arborifica Tinctura in dendritarũ geneſi. 72 app.
Archeo an adſcribenda lapidum figuratorum geneſis. 67 app.
Arenulæ in ore. 617
Argentea fila minutiſſima vitro innata. 542
Arietis hermaphroditici Anatome. 669
Armaturæ Cornuum Ammonis unde. 41
Armeniaca mala febrim ardentem producunt. 232
Arteriæ magnæ Anevriſma. 416
Arthritis Univerſalis Salivatione curata. 348
Aſcarides ani menſtruatim prodeuntes. 503
Aſcis Piſcis pinguedinis efficacia. 359
Aſcitica ſine medicamentis ſanſata. 632
per naturam inſtituta paracenteſi. curata. 336
Aſinino lacte hyſterica paſſio ſublata. 255
Aſitia in Gallis Indicis. 586
Aſthmæ molitoribus in Hoſſatia familiare malum. 126
Cardiacum. 271
ex ſcabie retro, pulſa. 148 app.
Convulſivum & periodicũ ſtratagemate victum. 243.
ex aura Venenata. 579
Aſthmate & hydrope pectoris defuncti Anatome. 13
Aſthmatis Lymppatici cura. 17
Aſtroitarum ſpecies. 60 app.
Aſtroites undulatus major Boconis, eſt Scolopendrites. 67 app
Atramenti Scriptorii elegans compoſitio. 144
Atretarum exempla. 92 app. 635
Atrophia Scorbutica lethalis â corruptione viſcerum. 153
Auguſtana conſtitutio Epidemica Anni. 1697. 153
Anni. 1698. 159 app.
Avium digeſtio ſingularis. 582
Morbi Epidemici. 385
Ventriculis cur lapides, ſilices, Arena inſit. 582
Aures fundunt hæmorrhoides. 616
Aurifabris uſitata foliorum ornamenta lapidi impreſſa. 66. app.
Auri confectio Soutonei Scoti. 16 app. ſeq.
conjunctio cum ♄ in Tinct. quomodo fit. 287
Panaceæ purgantis virtutes. 182
Tritura Langellottiana & Gerhardo debetur. 109 app.

B.

B*Alneum* Aquæ frigidæ phreniti-dem curat. 281 app.

in

in Paræſi ex colica prodeſt. 135 app.
Balſami de Gilead Utilitas in Apnæa hyſterica & trichiaſi chronica. 492
ex *Barba* prædictiones. 634
Barbata mulier. 636
Baumſtein qualis. 59 ſeq. app.
Belemnitæ Lapidis figura interna 45
Bellis major tergemina monſtroſa. 412
Bezoar gemma Gaſidanem Plinii credidit Dalechampius. 61 ap.
Germaniæ ſunt ægagropilæ 87 app.
Biliarii pori capacitas. 47 app.
Bilis motus circularis 41. app.
per ductum cyſticum in hepaticum, & ex eô in Hepar non derivatur. 43. app.
omnis è corpore non ejicitur. 43. app.
non eſt clyſter naturalis 43. app.
in quæ vaſa ex inteſtino tranſeat. 44. app.
in vaſa meſeraica ex Inteſtino exoneratur. 44. app. 52. app.
ſanguis ab ijsdem cauſſis movetur. 46. app.
& ſanguinis proportio 47. app.
an oriatur â ſanguine 48. app.
an in renibus ſuccenturiatis generetur 49. app.
an ex ſanguine 50. app.
an ex parte ſanguinis ſubrubra. 51. app.
abundat Aqua. 55. app.
eſt oleoſa. 55. app.
Biſmuthi & Lithargyrij noxæ in Vino 600. ſeq
Botryoides Terra foliata Tart. 196.
Uteri hydrops. 539
Brachiorum veſtigium nullum in monſtro fœminino. 98. app.
Bufo exſiccatus Ulceri cacoëthico impoſitus prodeſt. 583
Bufones an Axungia Norvagica jugulentur. 151. app.

C.

Cachexia in podagra recurrens. 63
incipiens hydropis prodromus. 111
in Paralyſin deſinens. 449
Calculi Caninæ veſicæ innumeri. 600
veſicæ agglutinati tamen exempti. 577
per Tuſſim ex pulmonibus rejecti 152. app.
excreti ceſſare faciunt IVnam triennalem. 226
fragmina in ſectione minimè relinquenda. 592
Calculo Veſicæ Acicula imapacta 591
Calculoſa conſtitutio 76
Calculus Scroti exemptus 591
ſubter Linguam. 91. App. 573
capitis doloris cauſá. 100
Canis Ætiti ſimilis ℔ jß pendens 99
curatur decocto Jooſie Muzaba. 2
Camphoratis puſtulæ & rubor oculo ſublatæ. 49
Campanarum ſonus epilepticam reddit 63
hæmorrhagiæ cauſa. 64
Cancer contuſus in vino maceratus Iſchu-

Iſchurium plurium dierum curat. 32
Canis calculus Aëtiti ſimilis ℔jß pendens. 99
calculi veſicæ innumeri. 600
Canibus familiares ſcirrhi ventriculi verminoſi. 593
Canum quorundam celeritas in credibilis 384
morbi Epidemici. 383
Capillivori gemelli. 638
Capitis dolor ex calculis. 100
pili diverſi â pubis. 173
Podagra. 344
Capreæ pili fortiter agitati flammas eructant. 86
Carcinoma horrendum dextrum brachium occupans. 8
latens funeſto exitu exſtirpatum 370
Cardiaca Syncope. 300
Cardiacum Aſthma. 271
Carniolæ ſecretum ſv. liquor Martis. 11
Carioſi dentes plumbo implendi. 507
Caro gelatinoſa gangrænæ indicium. 73
Carvi Semina lapidibus impreſſa. 63. app.
Caryophylli Regii Amboinici 308
Caſus ab alto ſine noxa. 111. app.
Cati domeſtici vomitus habitualis unde. 48
Catarrhi ſuffocativi ſpecificum Panacea Auri. 185
Cauterij Potentialis uſus in Tumoribus. 486
Celeritas Canis ejuſdam in credibilis. 384
Cephalæa Veſicatorio curata. 38
ex materia podagrica reverente. 345
Ceraſa Acido-prolifera. 199
Cervæ Pulmonibus infixum fruſtum Ligni. 218
Cervi Cordi in hærens globus plumbeus. 218
Ceterachites 62. app.
Chacorillæ Tincturæ uſus in principio Febb. Epidemicarum. 521
Chinæ Chinæ Corticis pernicioſus Uſus. 453
Chirurgica medica miſcellanæ 590
Chocolatæ virtutes 103. app.
Chocolata vermiculis albis repleta 103 app.
Chryſopæja Souteniana. 18. ſeqq. app.
Chryſopæjæ varia Exempla. 59. app.
Cichorij albi radices balſamico tempore collecti hæmorrhagiam narium curant. 172
Cicindelarum ſtructura qualis per microſcopium. 86
Cicutæ Aquaticæ noxæ & Hiſtoriæ â Wepfero deſcriptæ. 83. app.
eſus noxius. 136. app.
Cinabaris per digeſtionem exaltata Clauderi. 107. app.
Ciſſites Lapis Wormij. 60. app.
Clyſter frigidus. 398
ſimplicior evacuationem notabilem producit. 439
naturalis non eſt bilis. 43. app.
Clyſterum ope curandi febres methodus. 130 app.
Uſus innoxius in morbis ſpaſmodicis gravidarum. 637
Coccygis oſſis luxatio periculoſa facile tamen reſtituta 572

Cochlea lapidea. 44. 110. app.
Sclopeti XVII. annos frontis oſſi inhærens per nares excreta.
Cochlites ſeſſilis. 44
Coecitas repentina ex Terrore cum inſequente Epilepſia. 65
Coitus ſine ſemine excreto. 646
Coli cellulæ in colico tactu deprehenſæ. 79
Colica Epidemica â vino lithargyrio infecta 601
alia. 115
Convulſiva mercurio curata. 305
Colicæ medetur panacæa Auri purgans. 185
Color diverſus in Circulo Urinæ unde 309. ſeqq.
Cometites Lapis. 60. app.
Concha lapidea montana. 44
ſtriata bivalvis elegantiſſima. 45
Conchites ſtriatus bivalvis 44
montanus bivalvis. 45
Conſolida major curat dolorem Iſchiadicum. 45.
Contractura Crurum in Scorbutico. 460
CoPrilis refertum 251
XIV. & dimidiæ vnciarum pondere 149. app.
in *Corde* Cervi globus latens. 228
Vermes qualia ſymptomata producant. 435
Cordis Polypi in puero Phthiſico. 466
Corallorum Tinctura verior 280
Coralliformem Arborem repræſentans lapis. 62. app.
Cornua Ammonis quomodo generentus. 40
encrino ſimilia. 68. app.
varia montis Randij. 44
earumque novum genus. 64. app.
Cornu in ganglio. 148. app.
uſtum redolens, ferro affrictus lapis 60. app.
Coronæ Urinæ Diverſus Color unde 309. ſeq.
Laureæ ſpeciem repræſentanus ſaxum 64. app.
Corticis Chinæ Chinæ pernicioſus uſus. 453
Corvi albi Curlandici. 106. app.
Coſtarum fractura diraque exinda ſymptomata cum morte. 629
Croci colore tinctum ſemen. 623
Crurum contractura in ſcorbutico. 460
Cucurbitulæ & v. ſ. neglecta hæmoptiſin producunt. 58
Cumini pratenſis ſemina lapidibus impreſſa 63. app.
Cute illæſa viſcera tranſeunte curru rupta. 541
Cyani virtus antipodagrica. 50
Cynosbati decoctum Euporiſton in hydrope. 356
Cyſſites Plinij. 60. app.
Cyſtici meatus capacitas. 47. app.

D.

D*aphnia* Plinij 64. app.
Delirium periodicum Alexipharmacis curatus. 98
Maniaco-Melancholicum Helleborinis curatum. 238
Dendrachates Plinij. 59. app.
Dendrites Plinij. 59. app.
igni expoſitus picturam amittit. 70. app.
Dendritarum geneſis. 60. app.

Dens Cartilagineus. 619.
Dentes maxillares cũ maxilla concreti imprudenter evulſi. 620
carioſi plumbo implendi. 507
alveolis rurſus inſerti coaluerunt. 508
evulſi non ſtatim ejiciendi. 508
Dentitus IV. menſium abortus. 619
Diabetes ſitis & ventris fluxus lethalis. 513
Digeſtio, Avium ſingularis efficaciæ. 582
Digeſtionis vis & efficacia in Chymicis. 107. app.
Digitus, è manu cum Nervo evulſus. 116
Diureticis ſolis hydrops non curatur. 32
non niſi attenuata lympha utendum. 34
Doloris ſenſatio perfecta, non niſi in cerebro. 5. App.
Dolor capitis ex calculis. 100
mammis errabundus. 124
Doronicum non eſt venenoſum. 82 app.
Dyſenteria ulceroſa. 511.

E.

Echinitis cum armatura elegan-ti. 41
Efferveſcentiam acidularum in Anthia pnevmatica concernentia Experimenta.
Effloreſcentia miliaris petechiis juncta. 132 app.
Elatites Welſchii. 60. app.
Elixirii Propr. dulcis abuſus hæmorrhagiæ fonticulorũ cauſa. 622
Emulſio laxativa Mynſichti elegans antipodagrica. 106
Emplaſtrum antipodagricũ 150. ap.
Encrinos lapis 65. app.
Epidemica conſtitutio Ann. 1697. Auguſt. 153. app.
An. 1690. Auguſt. 159. ap.
Colica 115.
à vino Lithargyro infecto. 610
Febris per Autumnum & hyemem durans. 516
Lues pennatorum. 383
Epidemici morbi canum. 385
piſcium. 386
Epilepſia ex Campanarum ſono. 63
cœcitatem inſequens ex Terrore. 65. ſeq.
ſenſu atque ratione ſalvis. 89
ſiniſtri lateris. 580
ex inanitione. 615
Equiſeti paluſtris figura lapidi impreſſa. 62. app.
Ericites lapis. 62. app.
Eryſimum Anguſtifolium ſponte poſt deflagrationem in ruderibus enatum, & unde. 47
Eryſipelas faciei excreſcentia carnoſa in oculo cauſa. 355.
Zoſter Plinii. 92. app.
Excoriationis Pudendorum muliebrium cura. 12
Excreſcentia carnoſa in oculo ex Eryſipelate faciei. 355

Experimenta circa motum muſculorum.
elaſticum.
projectorum.
Externorum Remediorum effectus ſtupendi. 301
Extracta volatilia oleorum fœtidorum CC. & Tart. 587.
Exulceratio Pudendorum & fiſtuloſus ſinus poſt partum difficilem. 377

F.

FAba Pulmonibus ingeſta Mortis cauſa. 588
Fagus raram figuram repræſentans. 67
Fanadazibanæ fruticis deſcriptio 3
Febris maligna continua curata. 27
verminoſa. 178
ſalivatione ſoluta. 257. 132. app.
Febris malignæ metaſtaſis in Cœcitatem. 131. app.
curatio per ſola vomitoria. 298.
Febrim malignam æmulans tertiana. 118
in Febri maligna quale ſignum præbeat phthiriaſis. 396.
Febrium ardentium cautelæ. 584
Febris recidiva arte procurata. 75
ardens ab Eſu malorum Armeniacorum. 232
ſomnum diuturniorem poſt ſe relinquit. 431
â vermibus in corde pabulantibus curatus. 435
cum Tumoribus. 447
curandi methodus per febres. 130. app.
Epidemica per Autumnum & hyemen durans. 116
tertiana malignam æmulans. 118
quartana abortu ſoluta. 636
quartanæ ſpecificum *Panacæa* Auri purgans. 185
putrida ſine ignis putredine animatæ. 540
Fermenti ſtomachici ſingulare robur. 229
Ferro affrictus Lapis cornu uſtum redolens. 60. app.
Fiaku Schyqua Arboris deſcript. 2
Fibræ nervorum & tendinum cincinnatæ. 218
Figura rara in Fago. 67
Figurati Lapides Helvetici. 40
qualem modulum habeant. 41
quomodo gererentur. 42
Figuratorum lapidum geneſis obſcura. 66. app.
Filamentorum Mariæ productio unde? 379. 380.
Filicem marem referens lapis. 63. app.
Filicites dendritis ſpecies 61. app. 63. app. 78. app.
Fiſtuloſus ſinus & pudendorum exulceratio poſt partum. 377
Fiſtula osſis ſquamoſi ſanata. 19
Flamæ in capreæ pilis gelatis fortiter agitatis conſpicuæ. 86

Flatuum in Inteſtinis phœnomena. 79
Floccorum lectio in febribus non ſemper lethalis. 135. app.
Fœniculi utilitas in hæmorrhagia narium. 169
Fœtui noxia pica. 258.
Fœtus mortuus in ſecundinis poſt vivi excluſionem retentus, extractus, ſalva matre. 156
frustulatim perumbilicum inteſtinis ruptis exemtus. 222
retrocedens & adhuc aliquot ſeptimanas latitans. 149. app.
Mortui Anatome. 595
Foliorum ornamenta aurifabris uſitata lapidi impreſſa. 66
Fons ſuper libellam fluens. 612
Fonticuli an ſteriles reddant. 121.
Fonticulorum utilitas. 120. 98. ap.
hæmorrhagia ob abuſum Elixir propr. 622
Fonticulus â natura aſcitica in abdomine inſtitutus. 336
Formicarum acervo ſanguis ægri incluſus morbum pellit. 177. app.
Freyenwaldenſis Terra. 567
Frigus non coagulat liquorem pro Vitr. Mart. parando. 194.
cruſtam producit folia Meliſſæ repræſentantem
Frontis oſſis cavitati inhærens cochlea ſclopeti xvii. annos, per nares tandem excreta.
Frumentariu Lapis 63. app. 78. ap.
Fuci marini figuram repræſentans lapis. 60. app.
Fuligo fornacum cum Aceto euporiſton influxu lochiorum nimio. 168
Fumo propagata peſtis. 456
Funduli Sceleton Virginem exhibet. 96. app.
Fungus Seminifer creditus. 742
Furor Uterinus ex inflammatione Uteri. 253

G.

Gallica inſignia Liliorum, lapidi, impreſſa. 65. app.
Galli Gallinacei ovum ſemicirculare. 278
Gallinarum Indicarum lues Epidemica. 385
Aſitia. 586
Ventriculi interioris Tunicæ nulla vis ſtomachica. 583
Gallopavi ovum ut rarum ſic monſtroſum. 374
Ganglium cornu repletum. 148
Gangrenæ nondum confirmatæ euporiſton. 497.
Gaſidanes Gemma Plinii. 61. app.
Gelatinoſa Caro Gangrænæ Index. 473
Gemelli Capillivori. 688
Gemmæ per trituram longiorem odorem præ ſe ferunt. 108. ap.
Gemma Gaſidanes Plinii. 61. app.
Geodis ſpecies Gaſidanes Plinii. 61 app.
Gerhardo debetur Langilottiana Auri tritura. 109. app.
Gingivæ Oſſeæ. 131

Glandiforme corpus in Abdomine mortis cauſa. 599
Globus Plumbeus in Corde repertꝰ. 318
Graminis medicati Japonenſis ſpecies. 1
Grandines Aquæ immiſſæ natant. 617
Grandinoſus Paſſer Piſcis. 462
Gratiolæ Uſus Aſciticam reſtituit. 138
Gravida nimium quantum Majoranam expetit. 150 app.
Gravidarum Affectibus ſpasmodicis opiata & Clyſtres non nocent. 637
Graviditas falſa. 147 app.
Gummi Antimoniale pro Tinctura. 285
Guttæ Magiſterii experimentum curioſum. 68 app.
Gummi Arboris deſcriptio. 2
Guttæ Gummi Magiſteriū experimentum ſuppeditat. 68 app.

H.

Hæmorrhagia ex campanarum ſono.
post variolarū eruptionem non lethalis. 135. 153 app.
narium fœniculo curata. 169
radice cichorū albi curata. 172
frigida ſæpe nocent. 584
â dente evulſo enormis. 147 app
Hæmoptyſis & Mors ex Ulcere pedis clauſo. 670
periodica pluriū annorum. 55 b.
ex neglecta V. S. & cucurbitulis. 58
Hæmorrhoides mulierum cum menſibus. 99 app.
in puero. 99 app.
fluunt per Aures. 616
Halecis integri ſpina & cauda lapidi impreſſa. 110 app.
Hederæ truncus in lapide. 60 app.
Hellebori albi polline ſcabies deſperatiſſima curata. 243
Helleborinis curatur delirium maniaco-Melancholicum. 239
Hemicrania periodica. 138 app
Hepatis abſceſſus ex Opii Uſu. 55
æſio haud levis non tamen lethalis. 49 b. 51 b.
portio bombardis exploſione extra corpus ejecta. 53 b.
Rubedo ex ſanguine. 42 app.
Hermaphroditicus lepus. 174
Aries ejusque Anatome. 669
Hermaphroditicum Animal non eſt lepus. 526
Herniæ Sectione Spaſmus lethalis ſuperveniens. 81
Ungvium præſegmina arbori impreſſa proſunt. 116 app.
Hernioſo prodeſt ſymphyti radix oleo defoſſa. 116 app.
Hippocratis Authoritas. 80
Hippurita lapis. 62
Homines ſub Aqua ſuperſtites. 137
Horminum traumaticum. 575
Hydrope Pectoris & Aſthmate defuncti Anatome 471. 627
Hydropicæ Virginis Anatome. 32
& phthiſicæ Anatome. 471. 627

Hy-

Hydrops ſolis diureticis non curatus. 32
Hydrops Uteri occultus Caſu curatus. 114
thermis curatus. 370
ſaccatus. 539
Cyano curatus. 50
â lienis Apoſtemate. 632
pectoris ex coſtarum fractura. 629
Mercurpecul vita liari modo præparato curatus. 105 app.
ex Obſtructione & induratione Meſenterii. 381
Pectoris. 340
eup riſtis curatus 336
Aſcites graticla ſanatus. 133
ſine medicamentis ſanatus. 637
Hyſterica Paſſio abortus & Mors ab odore Roſarum. 158
lacte aſinino curata. 255
febrim quotidianam imitans. 274
Hyſtericum Laudanum Weſtphali. 640

I.

I*Cterus* Auripigmento curatus. 275
Magneticè curatus. 366
Ignis moſlis Chemicorum. 107 app.
Ileon Inteſtinum innoxiè Ulceribus perforatur. 418
Inanitio Epilepſiæ cauſa. 615
Inediæ ſtupendæ exempla. 100 app
Inſectorũ & animalũ variorum per os excretio.
Intertrigo quibus ægris maxime infenſa. 279
Inteſtina tenuia lumbricis perforata 429
per peritonæum transparentia. 118 app.
Inteſtinorum periſtalticus motus extra abdomen conſpicuus. 222
Inteſtini tenuis pars per Anum excluſa. 409
Inteſtinis ruptis fœtus fruſtulatim per Umbilicum exemtus. 222
Inteſtinum Ileo innoxiè ulceribus perforatus. 418
Jooſt Graminis Japonenſis medicati ſpecies. 1
Ipecaæ anna remediũ antidyſenterium. 50
Iſchiadici doloris remediũ ſymphium. 45
Iſhuria pluriũ dieris. 31
XIII. dierum lethalis. 503
Infantum curatus ſemine Lycopodii. 98
luto quod ſubter Cotem colligitum, curatus. 101
per Epilepſiam ſoluta. 129 app.
Iteites Lapis. 63 app.
Judaicus Lapis fructui olivæ ſimilis. 45
oblongus. 45
cum pediculo. 45
Juniperini Olei Virtus. 128

K.

Kümmelſtein quid. 63 app.

Labii

L.

Labii Vlcus acidum & corrodentem liquorẽ ſtillans. 134
Langelottiana Auri tritura Gerhardo debetur. 109 app.
Lapis Abrotanites. 62 app.
in quo Arbores VIII. delineatæ. 60 app.
Achates ſimilis palmitum floribus Plinii. 61 app.
Alnites. 66 app.
Ammonites. 45
Amygdaloides. 45
Aſtroitæ ſpecies. 60 app.
Aſtroites undulatus major Bocconis eſt ſcolopendrites. 63 app.
Belemnites ejusque facies interna. 45
Carcoides. 45
Cererachites. 62 app.
Ciſſites Wormii. 60 app.
Conchites ſtriatus bivalvis. 44
montanus bivalvis. 45
Cyſſites Plinii. 60 app.
Daphnia Plinii. 64 app.
Dendrachates Plinii. 59 app.
Dendrites Plinii. 59 app.
ejusque Geneſis. 60 app.
igni expoſitus picturam amittit. 70 app.
Lapis Echinites cum armatura eleganti. 41
Elatites Welſchii. 60. App.
Encrinos. 65. app.
Ericites. 62. app.
Filicites. 61. app. 63. app. 78. app.
Frumentarius. 63. 78. app.
Gaſidanes Plinii. 61. app.
Hippurita. 62. app.
Iteites. 63. app.
Judaicus fructu olivæ ſimilis. 95
oblongus. 45.
cum pediculo. 45.
Lauri folia oſtendens. 64
Lonchitides. 62. app.
Lunaris. 141
Lyncis cuſpidatus. 45
Concavus.
Narciſſites Plinii. 60. app.
Peucites Welſchii. 60. app.
Phycites Plinii. 60. app.
Phyllites. 63. app. 79. app.
Pini nucleum referens. 45
Pterites. 61. app. 63. app.
Quercites. 66. app.
Rhodites Plinii. 60. app.
Verus Welſchii Aſtroitæ affinis. 60. app. 78. app.
Salicites. 63. app.
Scolopendrites. 62. app. 78. app.
Selenites. 142
Stigmites Aſtroitæ affinis. 60. app.
Wurzeburgenſis. 62. app.
Lapides figurati eorumque Geneſis obſcura. 66. app.
Helvetici. 40
qualem modulum habeant. 41
quomodo generentur 42
Laudani opiati nimia quantitas innoxie aſſumpta. 54
Laudanum hyſtericum. 640
Laureæ coronæ ſpeciem repræſentans. 64. app.

Lauri

Lauri folia lapidibus impreſſa. 64. app.
Lepus hermaphroditus. 174
non eſt animal hermaphroditum. 526
Leporis Anatome 522
Libræ ſanguinis quot in homine. 47 app.
Lienis Apoſtema hydropis cauſa. 633
Ligni fruſtum pulmonibus cervi infixum. 228
Liliorum folia Ammonis cornubus impreſſa. 65. app.
convallium oleum an habendum. 117
Lilien Stein qualis app. 65
Limax in ovo. 600
Linguam ſubter calculus. 91. app.
ejusque ſubſequentia mala. 573
Liquor Martis ſv. ſecretum Carniolæ. 170
pro Vitriol. Mart. parando frigore non coagulabili. 194
Lithargyri & Bismuthi noxas in vino. 601
Lochiorum fluxus nimius evporiſto curatus. 267. ſeqq.
Suppresſio abdominis tuor em & mortem cauſatur. 178
Lonchites lapis. 62. app.
Lumbricorum Terreſtrium Ol. ad combuſta optim. 107
Lunaris Lapis. 141
Lupi deſcriptionis Paulinianæ Synopſis 89. app.
Ventriculi ſiccati nulla vis. 583
Lutum quod ſubter cotem colligitur Iſchuriæ medetur. 101. app.
Licographiæ Paullinianæ Synopſis. 89. app.
Lycopodii ſemen medetur Iſchuriæ infantium. 98. app.

M.

M*Ajalis* roris vis in variis morbis. 498. ſeqq.
Majorana nimium quantum gravida expetit. 150. app.
Malorum Armeniacorum Eſus febrem ardentem producit. 232
Mammæ dolor errabundus. 124
Maniaco Melancholica Helleborinis curata. 239
Mariæ filamentorum productio unde. 263. 379
Martis liquor ſive Carniolæ Secretum. 170
Meatus cyſtici & pori biliarii capacitas. 47
Medico medicamenta generoſiora parare liceat. 97 app.
Melancholia Hypochondriaca cum inſidiis diabolicis. 668
Melancholicum & Maniacum delirium Helleborinis curatur. 238
Meliſſi folia frigus in cruſta lixivio Sal Meliſſæ inducto repreſeatat. 195
Membranæ per Anum ſecendentes. 77
Menſium fluxus nimius evporiſto curatus. 168
in fœmina LXIV. annorum. 176
LXVII. annor. 118. app.

Menſtrua alvo excreta.457
instantia nullo modo tamen movenda.513
in Infantibus.119.app.
Menſtruo ſanguine nervi curantur. 245
Vermis per muliebria excretus. 274
Metallica transmutatio genuina. 147
Mercurii uſus in colica convulſiva. 306
vivus è vivo hominis corpore effluens.391
ſublimati noxa externè manibus applicat.463
dulcis noxæ ſtupendæ.96.app.
Mercurius vitæ eſt Antimonialis proſapiæ. 104
ex tempore paratus hydropi medetur. 105.app.
Mercurialium medicamentorum præparata periculoſa.97.app.
Modulus lapidum figuratorum qualis.41
Mola murem corporis mole referens.469
eodem modo generatur ac Polypus.470.
Molitoribus Aſthma familiare malum.126
Monkii vomitorium febres malignas ipſamque peſtem curat.299
Morbi Epidemici Canum.383
pennatorum.385
piſcium.386
Moſchata porcellorum glandula. 95
Motum muſculorum concernentia experimenta elaſticum ſy. effervescentiam acidularum in Antlia pneumatica concernentia experimenta. 658
projectorum concernentia exprimentur.657
Motus inteſtinorum periſtalticus extra abdomen conſpicuus. 222
bilis circularis.41.
ſanguinis cauſæ.46.App.
bilis cauſæ.48
Muſculorum motus concernentia experimenta. 659
Muzuba JooſieGraminis Japonenſis ſpecies.2
Mytuli montani bivalves.44

N.

NÆvi delentur menſtruo ſanguine.
Narciſſites Plinii.60.app.
Nares excernunt cochleam Sclopeti xvij. annos in frontis oſſis cavitate hærentem. 685
Naſſelwurm - Stein qualis. 62. app.
Navigantium nauſea & vomitus unde. 112. app.
Nauſea &vomitus navigantium unde.112.app.
Nautili lapidei figura.44
Nervus cum digito evulſus.216
Nervorum fibræ concinnatæ.218
Nivales vermes.70.95.app.
Nivis appetitus nimius.259
figura primitus Keplero memorata.481
hexagona pruinæ.99.communis.482
unde proveniat.483

Nivis

Nivis color cœruleus & rubeus. 94.
& pruinæ figuræ.480 app.
Sal. Sulph.& Ol.95.app.
Nix oculos lædit.95.app.
Noctambulatio periodica.246
Nucleum Pini referens lapis. 45
Nyctalopia curata 108

O *Beſitas* nimia curata. 130
Obmuteſcentia repentina ſanata.616)
Ochſenmutter quid.81
Occiduum integrum ſub aquis quis vixit.137
Oculi pupilla è ſitu naturali dimota ſalvo viſu 126
pterygium ex Eryſipelate faciei. 355
vitulinis ſimiles errore matris. 136
Oculis an pinguia & unctuoſa nocent.361
Oculorum puſtulæ & rubor camphoratis ſublatæ.49
Affectus ſingularis.108
Oculos nix lædit. 95.app.
Odontalgia pertinax Venere edomita. 146
Odoratus deperditus.368.459
urinoſis volatilibus reſtitutus.369
Odor roſarum paſſionē hyſtericam, abortum & mortem cauſatur.158
Cardinali Caraffæ infenſus.159
Ohr-aſſel Würm-Stein qualis. 62.app.
Oleorum fœditorum CC. & Tart. extracta volatilia.587
Olfactus deperditus vid. odoratus.
Olivæ foliis ſimilia lapidi impreſſa. 64.app.
Ombriæ pars convexa & concava.45
Opii temerarius uſus producit abſceſſus hepatis.55
funeſtus uſus in febri maligna.110
innoxius uſus in ſpaſmodicis gravidarum affectibus.637
Opiati laudani nimia quantitas innoxie aſſumpta.54
Oris arenulæ.617
Os excernit varia animalia& inſecta.
Os monſtroſum è cantho ſiniſtri oculi protuberans.4
Oſſis ſquamoſi fiſtula ſanata.19
Coccygis luxatio periculoſa, facile tamen reſtituta.172
frontis cavitati inhærens cochlea Sclopeti xvii. annos, tandem per nares excreta 785
Oſſeæ gingivæ.131.
Oſtryæ folia Tofis impreſſa.
Ovo incluſus limax.600
Ovum Anguinum Plinii.41.45
Bovis quid.81
Galli Gallinacei ſemicirculare. 278
Gallopavi ut rarum ſic monſtroſum.374

P*æoniæ* Hünerwolfianæ Anatomes Synopſis.88.app.
Palpitatio Cordis & Syncope ex intempeſtiva V.S. & purgatione.429
Panaceæ Auri purgantis virtutes. 182
Paræſi ex colica balnea proſunt. 136.app.
Paralyſis Cachexiæ ſuperveniens. 443
Paracentheſis à natura Aſcitica inſtituta.336

Partus numeroſi exempla.354
difficilis, fiſtuloſum ſinum & exulcerationem producit.377
Partu uno quadrigemini excluſi. 352.458
Paſſer piſcis grandinoſus.462
Paſſularum majorum acini alvum adſtrictam reddunt.177
Patellæ relaxatio ad Talum usq; 97
Pathologia inverſa.421
Pectoris hydrops.340
habetur pro incurabili.343
Pectunculus bivalvis ſtriatus.44
Pectunculi montani ſtriati contorti. (44
Pectunculites.44
Pennatorum epidemica lues.385
Πνέυλοεχ☉ in ſterili conjugio.174
Pericardium cum corde coalitus. 472
Periſtalticus inteſtinorum motus extra abdomen conſpicuus.222
Peſtis Monckii vomitorio curatur. 299
Signa an *Piſcium* morbi epidemici.368
Fumo propagata.456
Peucites Welſchii.60.app.
Phaſeoli minoris ſemen in pulmones hauſtum.588
Phosphori naturalis phœnomena. 87
Phrenitis Balneo Aquæ frigidæ curatæ.251
Phthiriaſis quale ſignum in febribus malignis.396
Phthiſis ex podagra recurrente.62
à natura curata. 103
Phthiſin comitantia ſymptomata. 458
Phthiſicis intertrigo maxime infeſta.279
Phthiſici pueri Anatome cum Polypis Cordis.466
& hydropici Anatome.471.627
Phycites Plinii.60.app.
Phyllites Lapis. app.63.app.79
Pica fœtui noxia.258
Pietra intoſcata.59
frumentali Imperati.63.78.app.
di Sanai 59
Pili capreæ fortiter agitati flammas eructant.81.
diverſi in capite & pube.173.
Pinguedine refertus tumor.91
Pinguia & unctuoſa an oculis noceant.361
Pini nucleum referens lapis.45
Piſcis Paſſer grandinoſus.462
monſtroſus & prægrandis.145
figura vittæ Gallicanæ vulgo Fontangæ.146
Piſcium morbi Epidemici an Peſtis ſigna.386
Noſologia inter deſiderata medica.462
Pleuritidi Ao. 1696. graſſanti V.S. & purgatio noxia.247
Pleuritis ex ulcere pedis clauſo.640
Plumbi mutatio in Aurum à ſoutaneo factus. 18.app.
Plumbum depaſcentes vermes.220
Plumoſus Abſceſſus in Anſere.424
Pluvia ſericea.378
Podagra recurrens producit Tuſſim & tandem phthian. 60
ex Lympha acri vitra corrodente. 104
Capitis. 344

Podagrici â quibus remediis abſti-
nent. 347 (466
Polypi Cordis in puero phthiſico.
generatio eadem quæ molæ. 470
Porcellorum glandula moſchata. 95
Porcini capitis fumo indurati Eſus
febris recidivam producit. 75
Prægnantis miſerabile fatum. 231
Præputii violenter retracti noxa &
exinde Gungrænana Virgæ. 163
Pruinæ & nivis figura. 482
quoque ſexagonæ lamellæ ſunt
482 (app.
Pæerites Dendritis ſpecies. 61 63
Pterygium in oculo ex Eryſipelate
faciei. 355
Pubis pili diverſi & capitis. 173
Pudendorum mulierium excreatio-
nis cura. 121
exulceratio & fiſtuloſuſſinus poſt
partum. 377
Pulmoni ingeſtum ſemen Phaſeo-
lininoris. 588
Pulmonibus Cervæ infixum Ligni
fruſtum. 228 (app.
Pulviſculus operatoris Ahlenſis. 98
Pupillâ è ſitu naturali demota ſal-
vo Viſu. 226 (1696. 247
Purgationis noxa in pleuricide &c.
Purgatio & V. S. intempeſtiva ſy-
neopes & Cordis palpitationis
cauſa. 429
Purulenti Ichoris nimia quantitas
ex Abceſſu profluens 48 b.
Pus in brachii Tumore collectum
alvus rejicit. 635
Puſtulæ & rubor oculorum Cam-
phoratis ſublatus. 39

QUadrigemini cum partu exclu-
ſi. 352. 458
Quartanæ ſpecificum Panacæa Au-
ri purgans. 185
Quartana triennalis ceſſans poſt
excretos calculos. 226
Arbortu ſoluta. 636
Quercus Solia Lapidibus Stalliko-
nenſibus impreſſa. 66 app
Quinq; Teſticulis gaudens in ſteri-
li conjugio. 175

RAparum albarum polymerphæ
excreſcentiæ. 199
Relaxutio Patellæ ad latus usque. 97
Ren unicus & inſignis in homine.
407
Renes per fruſta excreti. 297
Riſus in Deorũ numerum relatus.
134 app
Sardomus quid ſit. 134 app.
Rhodites Plinii. 60 app.
verus Welſchii Aſtoitæ affinis.
60 app. 78 app. (498
Roris majalis vis in morbis variis.
Roſarum odor hyſtericam paſſione
Abortũ denique mortẽ pro-
ducit. 158 (149
Cardinali Caraffæ infenſim9.
Roſis multis inſignis Lapis Rhodi-
tes. 60 app. (269
Ruptura Uteri ipſo partus tempore.
venarum Colli & Veſicæ Colli
ex caſu. 266

SAbuloſa Tuſſis. 127
Saccatus Uteri hydrops. 539
Salicites Lapis. 63
Stalliconenſis. 66. 78. 79 app.
Salis Ammoniaci ſpiritus ordora-
tum deperditum reſtituit. 369
Salivæ momentanea petrificatio.
91 app.

Salivatione curata febris maligna. 257. 132 app.
arthritis univerſalis. 348
Salmonis muria conditi Eſus varia ſymptomata excitat. 227 (app.
Salviæ Paulliniana ſynopſis. 87
Sambuci ſpiritus in principio febris Epidemicæ prodeſt. 521
Sanguine menſtruo delentur nævi 245 (app.
Sanguinis libræ quot in homine. 47
ſputum ex neglecta V. S. & cucurbitulis. 59
& bilis motus ab eodem principio. 46 app.
motus cauſiæ. 46 app.
eruputio è Vaſe brevi in ventriculum mortis cauſa. 597
Scabies retropulſa Aſthma producit. 148 app.
cum Tremore ad Tabem inclinans. 11 (vit. 45
dolore Jſchiadicum in ſene ſol-
in ſenibus ſæpe lethi nuntia. 47 ſeq. (243
deſperatiſſima Helleboro curata.
ex contuſione gravi. 427
Scintillæ ex capillis, Induſio & Chirothecis cujusdam proſilientes. 87
Scirrhi verminoſi in Ventriculis canum. 593
Scolopendrita lapis. 62. 78 app.
Scolopendræ Vermis figura lapidi impreſſa. 62 app.
Scroti Calculus exemptus. 591
tumor ingens. 113
Ulcus manans Gydropis cura 258
Selenites ſv. Lapis Lunaris. 142 ſeq.
Semen Croci colore tinctum. 623
nullus ejectus in Coitu. 645
Sempervivum majus evporiſton in Ulceribus manentibus. 238
evporiſton in hydrope. 336
Senſatio perfecta *nulla* niſi in Cerebro. 3 app.
Corporũ quomodo fiat. 9. app.
Seri in ſanguine lateſcentia. 73
in corpore magna copia. 446
Serum lacteũ poſt V. S. 119 app.
Sericum Numburgenſe ſingulare. 261
Sericea pluvia. 378
Serpens dormientis ori ſe ingerens rejectus vomitu. 365
Sinei montis Lapis. 59 app
Singultus ex alvi fluxu inhibita. 618
in momento ſedatus. 650
ridicule curatus. 376
Somnus poſt febres diuturnos. 431
Sonus Campanarum epilepticam reddit. 63
hæmorrhagiæ cauſa. 64
Spasmodicus Affectus ſingularis. 272.
in *Spasmodicis Affectibus* gravidarum opiata & Clyſteres non nocet. 637
Spaſmus lethalis Herniæ ſectione ſuperveniens. 81
incipiens poſtherniæ ſectionem curatus. 83
Spectrum quatuor 20. robuſtos viros trucidet. 199
Spectra quomodo differant. 210
homines inerimunt. 214
Sphacelis nondum confirmati evporiſton. 497
Splacelata tibia ſine corporis noxa non exſtripata. 495

Spi-

Spinachia Androgina. 484
Speciebus vini ingurgitatio nimia mortis cauſa. 166
Spiritui mundi an lapidum geneſis adſcribenda. 67. app.
Squamoſi oſſis fiſtula curata. 19
Stenterophonici tubi experimenta 120
Sternutatio a matre gravida fœtui qq. impreſſa. 428
Stigmites lapis 60. app.
Struma Ventriculi. 401
Stylus Chirurgicus ix. annis in corpore ægro inſcio reſiduus. 668
Succinum in mucilaginem reſolutum. 107. a.
Sudor in dyſenteria defuncta. 441
unius lateris ab intempeſtiva venere. 461
Sudatio infelix. 107
Sulphuris Tincturæ uſus in Tuſſi. 456
Suppreſſio Urinæ à magna Veſicæ extenſione. 102. ſeqq.
Sutonei Transmutatio plumbi in aurum. 18 a.
Symphyt, Iſchiadici doloris remedium 45
in oleto defoſſum hernioſo prodeſt. 115. a.
Syncope Cardiacum. 300
Tabes ex ſcabie cum Tremore. 11
Tartari terra foliata botryoides. 169
& CC. oleorum fœtidorum extra acta Volatilia. 587
Tendinum. fibræ cincinnatæ. 218
Terra quæ jam Freyenvvaldenſis. 567
foliata Tartari Botryoides 196
Terror repentinæ Cœcitatis cauſa. 65
Teſticulis quinque gaudens in ſterili conjugio. 175
Teſticulus durus pugnum æquans curat9. 622
Teſtis Tumor ſingularis in gemelli para. 478
Thermis curatus uteri hydrops. 370
Tibiæ Ulcus Euporiſto curatur. 235
Tibia ſphacelata non tamen exſtirpata ſine corporis noxa. 495
Tinctura Corallorum vdrior. 280
Antimonii verior. 283
Sulfuris, Williſii Remedium in Tuſſi. 456
Succini elegans. 107. app.
Arborifica in dendritarum generatione. 71. app.
chacorillæ ejusque uſus in principio febrium epidemicarum. 521
Toſi, quibus folia Quercus, ſalicis, Alni, rubi impreſſa. 66. app.
quomodo generentur. 79. app.
Transmutatio metallica genuina. 147
Plumbi in aurum Sutonei. 18. app. ſeqq.
Transplantatio morborum anne licita? 115 a.
Transplantatione Atrophia ſcorbutica curata. 115. app
Icterus curatus. 366
Travmaticum Horminum. 575
Tremor Arboris FiackuSchyqua ſi digitis ſcalpitur. 2
Trichiaſi chronicæ Balſamus de Gilead medetur. 493.
Trituræ in opere Philoſoph. utilitas. 108. ap.
Auri Langelottianæ B. Gerhardus Author. 109. app.
Tſiagki Koe Fruticis deſcriptio. 3
Tubi ſtentorophonici experimenta. 120. ap.
Tumor ablatus per cauteria potentialia. 486.
Pedum & crurum ab Urinæ retentione. 428
Pinguedine refertus. 91
Supra genu fungiformis feliciter ſublat9 197.
Scroti ingens. 113
Teſtis ſingularis in gemellipara. 478
Vermibus ſcatens. 151. app.
Tumores Febrim concitantur. 447
Tunicæ interioris ventriculi gallinarum vis nulla ſtomachica. 583
Tuſſis & phthiſis cò Podagra recurrente. 60
ſabuloſa. 127.
Curatur Williſiano remedio. 455
Variolæ confluentes & malignæ Epidemicæ. 153. app.
ex *Variolis* agonizans reſtitutus. 164
è *Vaſe brevi* ſanguinis eruptio in ventriculum mortis cauſa. 597
Venarum delectus in ſectione. 121
cervicis & collo uteri dilaceratis ex caſu 266
Venæſectio & purgatio intempeſtiva ſyncopen & cordis palpitation. producit. 429
noxia in pleuritide A. 1696. p. 247
& cucurbitulæ neglectæ perdunt hæmopthyſin.
ingravidiratis ultimis menſibus tentata. 426
varia oculis exhibet. 101

Venere edomita odontalgia pertinax 146
Veneris intempeſtivus uſus ſudorem unius lateris producit. 461
Ventriculi Struma 401
interioris Gallinarum Tunicæ vis nulla ſtomachica. 583
Scirrhi verminoſi canibus familiares 592
Venena vegetabilia 88. app.
Vermes animi deliquium & dolores punctorios cauſantur. 435
nivales. 70. 95. app.
in corde ſtabulantes Tremoris cordis cauſæ. 435
ex tumore prodeuntes. 151. app.
per muliebria cum meſtruis excreti 474
plumbum depaſcentes. 220
vivi cum urina excreti. 217. 253
Vermiculi albisſimi minutisſimiq; per uterum prodeuntes. 540
Verminoſi ſcirrhi ventriculi canibus familiares. 592
Veſicatoriorum efficacia, 37 (ptus. 576
Veſicæ calculus antè agglutinatus tn. exemcum impacta acicula. 591
Caninæ calculi innumeri. 600
Vini noxæ à Lithargyro & Biſmutho. 601. ſ.
Virginem exhibet funduli ſceleton. 96. app.
Viperarum pingvedo an oculis conducat. 361 ſeq. 364
Viſcera curru transeunte rupta cute illæſ. 541
Viſus lateralis amiſſus. 125
ſingulare ſymptoma. 592
ſalvus dimota pupilla è ſitu naturali. 226
Vitri Antimonii Vis emetica oppreſſa. 109.
Vitro innata minutisſima fila argentea. 542
Vitrioli Martis liquor frigore non coagulabilis. 194
Vitulinis oculis ſimiles errore matris. 136
Vlceroſa dyſenteria. 511
Vlceribus innoxie inteſtinum Ileon perforatum. 418
Vlcus labii acidum & corroſivum liquorem ſtillans. 134
pedis clauſum pleuritidis & mortis cauſa.
Scroti hydropem curat. 256 (640
Tibiæ manans cuporiſto curatur. 235
Vnguium præſegmina arbori impacta lienoſis proſunt. 116. app.
Volatilia extracta olorum fætidorum. 587
Volatilium ſingularis digeſtio. 582
Lues epidemica 385
Vomitus habitualis Cati domeſtici. 48
enormis cruenti cura. 490
cruenti & mortis cauſa ſanguis è vaſe brevi eruptio in ventriculum. 597
proficuus. 505
& nauſea navigantium. 112. app.
Chronicus & periodicus 653
Vomitu rejectus ſerpens ori dormientis ſe ingerens 365
Vomitorii Monkiani efficacia in febribus malignis ipſaq; peſte. 299
Vrinæ circuli diverſus color unde. 309
copioſa emisſio tumorem pedem ſolvit 478
immixti vermes vivi 217. 253
Vrina inſtar coaguli lactis. 550. app.
Vrtica elegans antihydropicum. 105
androgyna. 485
Vteri Cervicis & Colli Veſicæ venarum ruptio ex caſu. 266
Furor ex inflammatione. 253
ruptura in ipſo partus tempore. 269
hydrops occultus caſu curatus. 114
ſaccatus. 539
thermis curatus. 370
Vterus homicidia. 526
Vulneribus recentibus imponitur Jooſie Muzaba. 2. (61. app.
W Aſſerſtein/ Wurzburgenſium quales.
Welſchii ægagropilarum deſcriptarum ſynopſis. 183. app. (129 a.
Wildeganſianæ Pilulæ earumque virtutes.
Williſianum medicamentum in tusſi. 455
WirZburgenſes lapides. 62. app.
Z *Incilla* quid. 92. app.
Zona Herpetis ſpecies. 92 app.
Zosler Plinii. 92. 93. app.

F I N I S.